LOGICAE BREUIS EXPLICATIO CUM GRAUIORIBUS QUAESTIONIBUS À LOGICIS DISPUTARI...

Diego Ortiz, Agapito Ugoni

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 G
8

X. 117.

17

14 - 2. g. 5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LOGICAE
BREVIS EXPLICATIO
Cum grauioribus quæſtionibus à
Logicis diſputari ſolitis.

AVTHORE

ADM. REV. P. DIDACO ORTIZ
Hiſpalenſi Ordinis Prædicatorum
In Sac: Theol: Preſentato, & eiuſdem primario Lectore in
Regali Conuentu S. Pauli eiuſdem Ciuitatis,
& Ordinis.

Hac Secunda editione
Tribus Indicibus Illuſtrata
A Fr. Agapito Vgonio de Brixia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BRIXIÆ, M. DC. L
Apud Antonium Ricciardum.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARCE LIBELLO TEMPVS

Inſigne quem Nomen exornat

NICOLAI RODVLFII

Veneratur Orbis in ſene grauiſſimo

Europei Soli ornamento præcipuo

Vegetum ſummę ſapientiæ robur

In quo

Religio Virtus Nobilitas

Aequo ita ſemper Marte decertarunt

Vt penes vnamquamquè victoriam ſtetiſſe

Meritò dixeris perpetuam.

Talem prętenita non exceperunt ſæcula

Ne Non futura? Arcanum.

Voto communi ideò perpetuò optatum & optandum.

Dignitatem & facilitatem raròſimultaneas

Indiſſolubili coniunxit nexu

Et moderationem ei nunquam abſtulit eminentia

Sed auxit.

Quòd virum ſuprà omnem laudem

Aeternitati natum

Inter Caritum & Muſarum vlnas enutritum

Diſi-

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Difficillimis temporibus datum
Secundis & aduerſis rebus æquè temperantem & fortē.
Omni fortuna maiorem
Non alia naſci domo
Non alia agnaſci quàm Dominicana familia
Non alio contigerit æuo
Immortales Deo gratias æternum reddens
Domino & patrono ampliſſimo
Humillimus Seruus, & alumnus
D. D.
F. Agapitus Vgonius Brixianus.

Digitized by Google

Benigniſſimo Lectori.

F. Agapitus Vgonius.

PRodit tandem in lucem Hiſpanienſis Philoſophus Italis, ac exteris tantopere expetitus MAGNVS ORTIZIVS. Quid ita? nempe, quia in tali, ac tanto Philoſopho mira diſputandi ſubtilitas, & ſumma dicendi perſpicuitas ad inuicem feſtiuiſſimè certāt. Adde breuitatem, quę tanta eſt, vt cum pauciſſimis tàm multa complectatur, nullo tamen pacto Horatianum illud incurrat. Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Sic dùm ingenioſo cuiq. ſubtili acumine, rudiori perſpicua facilitate, obliuioſo perfectiſſima breuitate ſatisfacit, vnus omne tuliſſe punctum, theatralesquè ſtudioſorum omnium applauſus promeruiſse videtur. Huius reliquę Philoſophię partes dùm prælo ſubijciuntur, vna tu interim. s. Dialectica fruere benigniſſime Lector, & habeas gratiā Ad. R. P. Mag. GEORGIO RAINOLDO MEDIOLANENSI, qui tale, ac tantum donum publico beneficio & noſtræ potiſſimùm Religioni diutiùs deberi noluit. Vale.

AD LECTORES.

Fr. Didacus Ortiz.

LIbrorum ſcribendorum infinitus eſt numerus. Quotidiè alij alios excipiunt, qui tamen hactenus propoſitum mihi laborem ſuſceperit, ſcio neminem. Quamplures veritatis arcanum non in lucē eruere, ſed verborum potiùs inuolucris tegere laborant, ita vt ſtudioſorum vtilitatem poſtponentes, lucrubationes ſuas ſubtilioribus Doctorum ingenijs litare nitantur. At ego ſanè adoleſcentum profectum magis, quàm operis oſtentationem ſpectans, communique omnium bono aduigilans, documenta ſumere volentibus, clariſſima quæquê propono. Necnon, vt Angelicus meus Præceptor voluit, ſummam ſuam Theologię, cęleſtē

illum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

illum Eccleſiæ theſaurum, *eo modo tradere, ſecundùm quòd congruit ad eruditionem incipientium.* Ego logicæ explanationem, ad huius doctrinæ candidatos faciliùs, ac tutiùs imbuendos, cum aliquo fortaſſis molis damno, nullo tamen vtilitatis. Omnium namquè votum eſſe reor, quod fuit Priſcorum, quidquid dicas, quidquid ſcribas, dic breuiter, ſcribe compendio. Hoc exequi cupiens, in ſynopſim, & breuem ſummam redegi inſignem logicam doctiſſimi Magiſtri fratris Dominici de Soto, quem ſacra noſtra Religio Prædicatoria, tanquam è cælo miſsum, ad teneros ſtudentium animos limpidiſſimo ſuæ ſapientiæ rore perfundendos, complexa eſt. Cui Concilij Tridentini Patres, ob præclaram eius in rebus fidei determinandis dexteritatem, æternos honores decreuerunt. Cuius admirãdę doctrinę Salmantica Vniuerſitas, fęcunda omnis litteraturę mater, tantùm authoritatis, ac laudis attribuit, vt ſuis quondam artium Profeſsoribus perpetua lege iniunxerit, eius eruditos in rebus philoſophicis libros auditoribus è Cathedra pręlegerent. Huius, inquam, Magiſtri logicam paucis pagellis contractam; vt ab alio Homeri Iliadem; adoleſcentibus offero; præcepta, regulas, diuiſiones, diffinitiones, ſolidioraque fundamenta excerpens, et viam ſternens, qua faciliùs, & ſine ambage ad grauiores controuerſias exiguo tempore percipiendas, transmittantur. In quibus potiſſimum meum ſtudiũ fuit, Thomiſticam doctrinam breui ſtylo, ac methodo exponere, & ab aduerſariorum impugnationibus pro viribus vindicare, interdum minus compotè loqui volens, modò poſſim clarê, quod quantûm ſcholæ expoſcebant, nemo eſt qui neſciat. Cęterum nonnullas opiniones eligere mihi placuit, quę quamuis â modernis authoribus, etiam Thomiſtis, non paſſim amplectantur, â genuina tamen D. Thomę ſchola exulare non debent, cum ſapiori eius menti, nedum non repugnent, verùm eundem ducem, & anteſignanum habeant, omnique conatu propugnatæ fuerint ab antiquioribus eius diſcipulis, ad quos verę intelligentiæ fontes redũdantiùs, quàm ad alios dimanarunt. Quocirca hoc opus meum, non quia meum, ſed quia Aquinaticis rationibus innixum, Ariſtotelicis documentis corroboratum, denique Magiſtri Soto præceptis munitum benignis oculis, ac manibus admittere non grauemini. Valete.

Digitized by Google

Index primus Capitum.

Quę continentur in quinque libris Logicæ.

Vnicus numerus marginalis.

LIBRI PRIMI.

C.1 De neceſſitate Logicæ n. 1.
Cap. 2. Explicatur an Logica ſit ſcientia. n. 9.
C. 3. Explicatur vnitas Logicæ in ratione ſcientiæ. n. 12
C. 4. Explicatur an Logica ſit ſcientia ſpeculatiua. n. 16.
C. 5. Explicatur ſubiectum formale Logicæ. n. 20
C. 6. Explicatur natura entis rationis, & proponuntur eius diuiſiones. n. 24

Libri ſecundi.

C. 1. Explicatur proœmium libri Prædicabilium. n. 30
C. 2. Explicatur natura vniuerſalis Logici. n. 32
C. 3. Explicatur, quæ, & qualis vnitas, & aptitudo requiratur ad vniuerſale. n. 36
C. 4. Explicatur quid ſit actu eſſe in multis, & actu prædicari. 41
C. 5. Exp. varij modi prædicationis. n. 43.
C. 6. Exp. quomodo concreta, & abſtracta inter ſe prædicentur. n. 48
C. 7. Exp. diuiſio vniuerſalis, ſeu prædicabilis in quinque prædicabilia. n. 52.
C. 8. Exp. diffinitio generis. n. 56
c. 9. Proponuntur diffinitiones ſpeciei. n. 60.
c. 10. De indiuiduo. exp. definitiones. n. 63.
c. 11. de differentia. exp. diuiſiones, & propria diffinitio. n. 65
c. 12. De proprio 4. præd. n 70
c. 13. De accidente 5. præd. n. 72

Libri Tertij.

c. 1. Exp. octo notabilia. n 75
c. 2. Exp. quid, & quotuplex ſit ante prædicamentum. n. 81
c. 3. Exp. diuiſiones, & regulæ ante prædicamentales. n. 86
c. 4. De Analogis. n. 92
c. 5. De diuiſione entis in decem Prædicamenta. n. 97
c. 6. Exp. quid ſit ſubſtantia prædicamentalis. n. 103
c. 7. De diuiſione ſubſtantiæ in primam, & ſecundam. n. 107
c. 8. Exp. proprietates ſubſtantiæ. n. 112
c. 9. Exp. coordinatio præd. ſubſtantiæ, & alia vtilia ad ſequentia. n. 113
c. 10. De quantitate quid, & quotuplex ſit. n. 116
c. 11. Numerantur ſpecies quantitatis. n. 118.
c. 12. Diffiniuntur quinq; ſpecies quantita-

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 G
8

X. 117.

17

14 - 2. G. 5

Digitized by Google

Digitized by Google

LOGICAE
BREVIS EXPLICATIO

Cum grauioribus quæſtionibus à Logicis diſputari ſolitis.

AVTHORE

ADM. REV. P. DIDACO ORTIZ

Hiſpalenſi Ordinis Prædicatorum

In Sac: Theol: Præſentato, & eiuſdem primario Lectore in Regali Conuentu S. Pauli eiuſdem Ciuitatis, & Ordinis.

Hac Secunda editione

Tribus Indicibus Illuſtrata

A Fr. Agapito Vgonio de Brixia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BRIXIÆ, M. DC.L

Apud Antonium Ricciardum.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARCE LIBELLO TEMPVS

Inſigne quem Nomen exornat

NICOLAI RODVLFII

Veneratur Orbis in ſene grauiſſimo

Europei Soli ornamento præcipuo

Vegetum ſummę ſapientiæ robur

In quo

Religio Virtus Nobilitas

Aequo ita ſemper Marte decertarunt

Vt penes vnamquamque victoriam ſtetiſſe

Meritò dixeris perpetuam.

Talem prçterita non exceperunt ſæcula

Ne Non futura? Arcanum.

Voto communi ideò perpetuò optatum & optandum.

Dignitatem & facilitatem raro ſimultaneas

Indiſſolubili coniunxit nexu

Et moderationem ei nunquam abſtulit eminentia

Sed auxit.

Quòd virum ſuprà omnem laudem

Aeternitati natum

Inter Caritum & Muſarum vlnas enutritum

Diſſ-

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Difficillimis temporibus datum
Secundis & aduerſis rebus æquè temperantem & forté,
Omni fortuna maiorem
Non alia naſci domo
Non alia agnaſci quàm Dominicana familia
Non alio contigerit æuo
Immortales Deo gratias æternum reddens
Domino & patrono ampliſſimo
Humillimus Seruus, & alumnus
D. D.
F. Agapitus Vgonius Brixianus.

Digitized by Google

Benigniſſimo Lectori.

F. Agapitus Vgonius.

PRodit tandem in lucem Hiſpanienſis Philoſophus Italis, ac exteris tantopere expetitus MAGNVS ORTIZIVS. Quid ita? nempe, quia in tali, ac tanto Philoſopho mira diſputandi ſubtilitas, & ſumma dicendi perſpicuitas ad inuicem feſtiuiſſimè certāt. Adde breuitatem, quę tanta eſt, vt cum pauciſſimis tàm multa complectatur, nullo tamen pacto Horatianum illud incurrat. Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Sic dùm ingenioſo cuiq. ſubtili acumine, rudiori perſpicua facilitate, obliuioſo perfectiſſima breuitate ſatisfacit, vnus omne tuliſſe punctum, theatralesquè ſtudioſorum omnium applauſus promeruiſse videtur. Huius reliquę Philoſophię partes dùm prælo ſubijciuntur, vna tu interim. s. Dialectica fruere benigniſſime Lector, & habeas gratiā Ad. R. P. Mag. GEORGIO RAINOLDO MEDIOLANENSI, qui tale, ac tantum donum publico beneficio & noſtræ potiſſimùm Religioni diutiùs deberi noluit. Vale.

AD LECTORES.

Fr. Didacus Ortiz.

LIbrorum ſcribendorum infinitus eſt numerus. Quotidiè alij alios excipiunt, qui tamen hactenus propoſitum mihi laborem ſuſceperit, ſcio neminem. Quamplures veritatis arcanum non in lucē eruere, ſed verborum potiùs inuolucris tegere laborant, ita vt ſtudioſorum vtilitatem poſtponentes, lucubrationes ſuas ſubtilioribus Doctorum ingenijs litare nitantur. At ego ſanè adoleſcentum profectum magis, quàm operis oſtentationem ſpectans, communique omnium bono aduigilans, documenta ſumere volentibus, clariſſima quæquê propono. Necnon, vt Angelicus meus Præceptor voluit, ſummam ſuam Theologię, cęleſtē

illum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

illum Eccleſiæ theſaurum, *eo modo tradere, ſecundùm quòd congruit ad eruditionem incipientium.* Ego logicæ explanationem, ad huius doctrinæ candidatos faciliùs, ac tutiùs imbuendos, cum aliquo fortaſſis molis damno, nullo tamen vtilitatis. Omnium namquè votum eſſe reor, quod fuit Priſcorum, quidquid dicas, quidquid ſcribas, dic breuiter, ſcribe compendio. Hoc exequi cupiens, in ſynopſim, & breuem ſummam redegi inſignem logicam doctiſſimi Magiſtri fratris Dominici de Soto, quem ſacra noſtra Religio Prædicatoria, tanquàm è cælo miſſum, ad teneros ſtudentium animos limpidiſſimo ſuæ ſapientiæ rore perfundendos, complexa eſt. Cui Concilij Tridentini Patres, ob præclaram eius in rebus fidei determinandis dexteritatem, æternos honores decreuerunt. Cuius admirādę doctrinę Salmantica Vniuerſitas, fęcunda omnis litteraturę mater, tantùm authoritatis, ac laudis attribuit, vt ſuis quondam artium Profeſſoribus perpetua lege iniunxerit, eius eruditos in rebus philoſophicis libros auditoribus è Cathedra prelegerent. Huius, inquam, Magiſtri logicam paucis pagellis contractam, vt ab alio Homeri Iliadem; adoleſcentibus offero; præcepta, regulas, diuiſiones, diffinitiones, ſolidioraque fundamenta excerpens, et viam ſternens, qua faciliùs, & ſine ambage ad grauiores controuerſias exiguo tempore percipiendas, transmittantur. In quibus potiſſimum meum ſtudiū fuit, Thomiſticam doctrinam breui ſtylo, ac methodo exponere, & ab aduerſariorum impugnationibus pro viribus vindicare, interdum minus compotè loqui volens, modò poſſim clarè, quod quantùm ſcholæ expoſcebant, nemo eſt qui neſciat. Cęterum nonnullas opiniones eligere mihi placuit, quę quamuis à modernis authoribus, etiam Thomiſtis, non paſſim amplectantur, à genuina tamen D. Thomę ſchola exulare non debent, cum ſaniori eius menti, nedum non repugnent, verùm eundem ducem, & anteſignanum habeant, omnique conatu propugnatæ fuerint ab antiquioribus eius diſcipulis, ad quos verę intelligentiæ fontes redūdantiùs, quàm ad alios dimanarunt. Quocirca hoc opus meum, non quia meum, ſed quià Aquinaticis rationibus innixum, Ariſtotelicis documentis corroboratum, denique Magiſtri Soto præceptis munitum benignis oculis, ac manibus admittere non grauemini. Valete.

Digitized by Google

Index primus Capitum.

Quę continentur in quinque libris Logicæ.

Vnicus numerus marginalis.

LIBRI PRIMI.

C.1 De neceſſitate Logicæ n. 1.
Cap. 2. Explicatur an Logica ſit ſcientia. n. 9.
C. 3. Explicatur vnitas Logicæ in ratione ſcientiæ. n. 12
C. 4. Explicatur an Logica ſit ſcientia ſpeculatiua. n. 16.
C. 5. Explicatur ſubiectum formale Logicæ. n. 20
C. 6. Explicatur natura entis rationis, & proponuntur eius diuiſiones. n. 24

Libri ſecundi.

C. 1. Explicatur proœmium libri Prædicabilium. n. 30
C. 2. Explicatur natura vniuerſalis Logici. n. 32
C. 3. Explicatur, quæ, & qualis vnitas, & aptitudo requiratur ad vniuerſale. n. 36
C. 4. Explicatur quid ſit actu eſſe in multis, & actu prædicari. 41
C. 5. Exp. varij modi prædicationis. n. 43.
C. 6. Exp. quomodo concreta, & abſtracta inter ſe prædicentur. n. 48
C. 7. Exp. diuiſio vniuerſalis, ſeu prædicabilis in quinque prædicabilia. n. 52.
C. 8. Exp. diffinitio generis. n. 56
c. 9. Proponuntur diffinitiones ſpeciei. n. 60.
c. 10. De indiniduo. exp. definitiones. n. 63.
c. 11. de differentia. exp. diuiſiones, & propria diffinitio. n. 65
c. 12. De proprio 4. præd. n 70
c. 13. De accidente 5. præd. n. 72

Libri Tertij.

c. 1. Exp. octo notabilia. n 75
c. 2. Exp. quid, & quotuplex ſit antepradicamentum. n. 81
c. 3. Exp. diuiſiones, & regulæ antepradicamentales. n. 86
c. 4. De Analogis. n. 92
c. 5. De diuiſione entis in decem Prædicamenta. n. 97
c. 6. Exp. quid ſit ſubſtantia prædicamentalis. n. 103
c. 7. De diuiſione ſubſtantiæ in primam, & ſecundam. n. 107
c. 8. Exp. proprietates ſubſtantiæ n. 112
c. 9. Exp. coordinatio præd. ſubſtantiæ, & alia vtilia ad ſequentia. n. 113
c. 10. De quantitate quid, & quotuplex ſit. n. 116
c. 11. Numerantur ſpecies quantitatis. n. 118.
c. 12. Diffiniuntur quinq; ſpecies quantita-

Index Capitum.

titatis continuæ. n.121

c.13. Diffiniuntur & exp. duæ ſpecies quantitatis diſcretæ. n.124

c.14. De Præd. Relationis exp. quid ſit. n.129.

c.15. De diuiſione relationis Prædicamentalis. n.134

c.16. Exp. proprietates relationis. n. 137.

c.17. De præd. qualitatis proponitur definitio, & numerantur ſpecies, & exp. prima. n.143

c.18. Exp. tres aliæ ſpecies qualitatis. n.147.

c.19. Oſtenditur ſufficientia ſpecierum qualitatis. n.154

c.20. Exp. proprietates qualitatis, & proponitur coordinatio illius. n.156

c.21. De Actione, & Paſſione prædicamentalibus. n.159

c.22. vltima 4. prædicamenta diffiniũtur, & explicantur. n.161

c.23. Exp. diuiſiones, et coordinationes 4 prædicamentorum. n.167

c.24 De poſtpræd. in communi, et ſpecialiter de oppoſitione. n.171

c.25. Expl. reliqua poſtpræd. n.176

Libri Quarti.

c.1. Exp ſenſus illius propõnis Oĩs Doctrina, omniſq: diſplina, etc. n. 183

c.2. Exp. Tria præcognita, et duæ præcognitiones. n.187

c.3. Exp. duæ præcipuę definitiones demonſtrationis. n. 190

c.4. Exp. illę particulæ ex veris, primis, medioq; vacantibus. n.194

c.5. Exp. quid, et quotuplex eſt propoſitio per ſe nota. n.198

c.6. Exp. illius vltimæ particulæ. Prioribus, notioribus, cauſiſq: concluſionis. n.201.

c.8. Exp. ſenſus illius axiomatis propter quod vnumquodq; tale, etc. n.206.

c.9. Exp. Quid ſit prædicatum de omni, vniuerſaliter, et per ſe. n. 208

c.10. Exp. Quid ſit demonſtratio, quia, et propter quid, et qualis ſit hæc diuiſio. n.215

c.11. Qui modi dicendi per ſe deſeruiant cuilibet demonſtrationi exp. n. 219.

c.12. Expl. quæ figura ſit magis accommodata demonſtrationi. n.220

c.13. Non dari proceſſum in infinitum in demonſt. oſtenditur. n.224

c.14. Quis ſit circulus vitioſus in demonſt. n.228

c.15. Expl. Quid, et quotuplex ſit ſcientia, quæ eſt effectus demonſtr. n. 232

c.16 Expl. differentia inter ſcientiam, et alios habitus intellectuales n.236,

c.17. Expl. differentia ſcientiæ ab alijs, nempè opinione, fide humana, et ſuſpicione. n. 240

c.18. Expl. Quid, et quotuplex ſit quęſitum. n.244

c.19. Oſtenditur, quod reſpectu eiuſdē non poſſit dari diffinitio, et demonſtratio. n.248

c.20, Oſtend. quidditatem, ſeu eſſentiā rei non eſſe demonſtrabilem, duobus modis. n.251

c.21. Oſt. quidditatem non eē demonſtrabilem, alijs tribus modis. n.257

c.22. An quidditas paſſionis explicata in diffinitione quid eſt, et propter quid

Digitized by Google

quid poſſit demonſtrari, n.260
c.23. Oſt. demonſtrationem fieri per omne genus cauſæ. n.262
c.24.Exp. quomodo inueſtigari debet quidditas rei. n.264

Libri vltimi.

c.1.Exp.quid ſit ratiocinatio dialectica, propoſitio dialectica, quæſtio dialectica, et locus dialecticus. n.270
c.2.Quid ſit locus dialecticus. n.274
c.3.Exp.loci dialectici interni. n.277
c.4.Exp.loci dialectici externi.n.281
c.5.exp.quid ſit ſyllogiſmus ſophiſticus, et quis eius finis, et quotuplex, n.284.
c.6.De locis ſophiſticis, qui dicuntur fallaciæ. n.288

Index Secundus.

Queſtionum, ſeù Conferentiarum, que continentur in ſex tractatibus.

Tractatus Primi Proæmialis.

Conf.1. An Logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad acquirendas alias ſcientias. n.297
conf.2.V.ens rationis ſit obiectum formale Logicæ, et quomodo dirigat intellectum. n.325
conf.3. An Logica ſit ſimpliciter ſcientia, et ſimpliciter ars. n.343
conf.4.V.Logica docens, et vtens diſtinguantur realiter, et an vſus actiuus reperiatur in omni ſui parte. n.363
conf.5. An Logica ſit ſimpliciter ſpeculatiua. l. practica. n.380

Tractatus ſecundi.

De natura, & cauſis entis rationis.

conf.1.V. ens rationis logicum conſiſtat formaliter in aliqua entitate intrinſeca. n.390
conf.2.V.ens rationis fiat à ſolo intellectu, et per quem actum. n.406
conf 3. V. Intellectus diuinus poſſit formare entia rationis. n.421
conf.4.V. ens rationis habeat ſpeciem impreſſam. l. expreſſam propriam. n.434

Tractatus Tertij.

De Vniuerſalibus in cõmuni, & in particulari.

conf.1. An detur a parte rei vnitas, et aptitudo requiſita ad vniuerſale. n.447
conf.2. V. Vniuerſale fiat per abſtractionem Intellectus, l. per comparationem. n.475

Digitized by Google

conf.3.V. In diffinitione generis diffiniatur ſecunda intentio, l. natura, l. vtraq. n.503.
conf.4.V. Natura Angelica, ſi illi repugnant eſſentialiter plura indiuidua, poſſit denominari ſpes prædicabilis. n.525
conf.5.V. diffinitio differentiæ, aſſignata à Porphyrio, conueniat differentijs infimis. n.552

Tractatus quarti.

De Analogia.

Conf.1.V. conditiones analogorum ſint recte aſſignatæ. n.572
conf.2.V. Analogia cauſetur ex ſola dependentia. l. ſola tranſcendentia. n.586.
conf.3.V. ens in communi. l. ens completum ſit analogum, et qua analogia. n.597
conf.4.V. Dari poſſit vnus conceptus entis præciſus ab omni modo, et differentia inferiori. n.629
conf 5. V. ens ſit vniuocum reſpectu aliquorum, et quid dicendum ſit de accidenti completo. n.653

Tractatus quintus.

De Prædicam. in communi, & in particulari.

Conf.1.V. Prædicam. ſint decem, et an inter omnia ſit neceſſaria diſtinctio realis. n.670
§3. explicatur, quotuplex ſit diſtinctio realis, et excluditur realis formalis. n.678
conf.2.V. ſubſtantia corporea habeat partes realiter diſtinctas ante aduentum quantitatis. n.689
Dubium Appendix. Quænam ſit mens D. Th. circa partes ſubſtantiæ.
conf.3.V. Primarius effectus quantitatis ſit extenſio partium. in ordine ad ſe, et in quo conſiſtat talis extenſio. n.720
conf.4. An relatio diſtinguatur realiter à ſuo fundamento. n. 733
conf.5, V. omnis relatio terminetur ad relatiuum. n.750
§.3. An dentur duo ſuprema genera relationis. n,760
conf.6. Reſoluuntur aliquæ difficultates circa vltima prædicamenta, et præcipuè an ſex vltima prædicam. ſint extrinſecæ denominationes. n.778.779.
§.3 An actiones immanentes pertineant ad præd. actionis. l. qualitatis
§.4. An in prædic. vbi ponatur etiā vbi Angelicum. n. 787

Tractatus Quintus.

De Demonſtratione.

Conf.1.V. Præmiſſæ demonſtrationis concurrunt effectiuè ad concluſionē, et an neceſſitent intellectum ad aſſenſum illius. n.788
conf.2. An prima paſſio ſit demonſtrabilis de ſuo ſubiecto immediato. n.800.
conf.3. V. ſcientiæ ſumant ſuam vnitatem,

Digitized by Google

tatem, et diſtinctionem ex abſtractione ſeù immaterialitate obiecti. §.5.explicatur vnitas Philoſophiæ. n.840

conf.4.V. ſcientia ſubalternata ſit verè ſcientia in eo, qui non habet ſubalternantem. n.849

conf.5.V. ſcientia, et opinio de eadem veritate poſſint eſſe ſimul in eodem intellectu. n.186

Index tertius materierum, & rerum notabilium.

A

Abſtractio.

Abſtractio eſt duplex, vniuerſalis, & formalis. n.48

Abſtractio à materia, alia paſſiua, alia actiua. 821

Abſt.ex.intellectus agentis,& intellectus poſſibilis. 475

Ex vi abſtractionis duæ reſultant relationes prędicabilitatis .ſ. & ſubijcibilitatis. 500

Abſtractionum varij modi. 830

Ex abſtractione à materia ſumitur vnitas obiecti in ratione ſcibilis, & etiã vnitas ſcientiæ. 825

Accidens.

Accidens completum non eſt genus ad nouem genera accidentium. 659

Accidens completum non poteſt eſſe vniuocum ad nouem genera accidentium. 657

Accidentia non habẽt eſſe niſi per hoc, quod in ſubiecto ſunt. 509

Accidentis ratio,quę eſt inhęrentia aptitudinalis,eſt de quidditate cuiuſcumque accidentis. 657

Accidentis, & ſubſtantiæ diſpar ratio quantum ad eorum cõplementũ. 667

Accidens non completur per inhæſionẽ ſed per modos,& differentias. 667

Actio, & paſſio quomodo ſunt idem motus. 688

Actio intellectus poſſibilis duplex alia ſimplex,& alia compoſita. 475

Actiones immanentes an pertineant ad prædicamentum actionis vel qualitatis. 783

Actus diſtincti ſpecie quomodò poſſint eſſe ab eodem habitu. 372.377

Actus primarius,& ſecundarius Logicæ qui ibidem.

Actus intellectus multiplex. 407

Actus intellectus formatiuus entis rationis neceſſariò inuoluit imperfectionem. 423.426 327

Actus poteſt determinare virtutem põę vt potiùs eligat hunc actum, quam alium Quando hoc verificetur. 792

Actus vnus actiuè concurrit ad eliciendum alium. 792

Actus aliquando eſt applicatio obiecti, & aliquando determinatio põtę: & quomodo differant ibidem.

Æquiuocorum diffinitio. 82

Aequiuocatio non datur in intellectu, & quando eueniat. 443

Analogia.

Analogia idem ſignificat,quod comparatio,ſeù proportio. 92

Analogia eſt duplex,proportionalitatis & proportionis. 94

Pro analogia proportionalitatis dantur tres regulæ. 95

Pro analogia proportionis tres regu.96.

Analogorum diffinitio traditur. 98

In analogia attributionis ratio per nomen ſignificata debet eſſe in principali analogato intrinſecè, & in alijs extrinſecè. 574

Analogia attributionis eſt illa, quando vnum, vel plura denominantur per habitudinem ad aliud. 576

Analogia proportionalitatis poteſt dari etiam ſine vlla metaphora. 577

Conditiones pro analogia attributionis aſſignatę optimè verificantur. 578

Sola proportionalitas eſt ſufficiens ad cauſandam analogiam. 585

Quid ſint dependentia, & tranſcendentia reſpectu analogorũ, vel analogi. 586

Scientiæ variæ circa eam analogiæ. 587
Dependentia ſola in participanda ratione communi eſt ſufficiens cauſa analogiæ. 588
Ex ſola depẽdentia non ſolũ colligitur æqualitas phyſica, ſed et Logica. 589
Tranſcendentia ſola eſt ſufficiẽs ad cauſandam analogiam. 590
Ex conceptu entis, & conceptu explicito cuiuſcunque differentiæ fit vnus ſimpliciſſimus conceptus. 591
Dependentia duplex. 593
In conceptu obiectiuo entis nulla datur diuerſitas actualis licèt detur diuerſitas virtualis. 595
Ex quibus cauſetur analogia, attributionis; proportionalitatis propriæ, & proportionalitatis metaphoricę. 596

Angelus.

Variæ ſententię de ſpeciebus Angelicis, an poſſint denominari prædicabiles. 527.
Natura Angelica dupliciter poteſt concipi adęquatè, & inadęquatè. 532
Natura Angelica concepta ad modum rerum materialium, quid ſit. 541
Natura Angelica poteſt concipi explicitè, vt conſtituta in ſua ſpecie, abſq; eo quod exprimat radicem indiuiduationis. 547
Differentia, quę reperitur inter naturã Diuinam, & Angelicam reſpectu vniuerſalitatis, & prædicabilitatis. 548
Natura Angelica ponitur in prædicamento vt ſpecies ſubijcibilis. 550
Reſpectu ſui indiuidui comparatur, vt ęqualis. 550
Angelus non cognoſcit indiuidua non exiſtentia, non ex defectu repræſentationis ſpeciei, ſed quia ipſa indiuidua ſunt incognoſcibilia. 746
Vbi Angelicum an ponatur in prædicamento. 787
Apoſtoli fuerunt Dialectici. 7
Aptitudo eſt capacitas ad aliquem actũ, quę eſt duplex, negatiua, & poſitiua. n 39.
Ariſtoteles fuit inuentor libri prædicamentorum. 75
Ars quotupliciter ſumatur. 349
Artis ratio in quo conſiſtat. 362.349
Ars, & ſcia quomodo opponantur. 349
Ars quotupliciter poſſit dirigere. 344. 345
Ars an ſit in intellectu practico, vel ſpeculatiuo. 362
Abſtractio. Vide Vnitas, Scientia, Præciſio.
Actus. Vide, Habitus, Opinio.
Analogia. Vide Ens.
Angelus. Vide Natura.
Ars. Vide Logica.
Accidens. Vide Concretum.

B

Bonitas conſequẽtiæ dupliciter poteſt ſumi. 306
Bonitas conſequentię quomodo cognoſcatur. 309.317
Bonitas conſequentiæ, & præmiſſarum quomodo ſe habeant. 321
Bonitas conſequentiæ, quomodo diſtinguatur à conſequentia. 322

C

Cauſa eſt duplex, alia in eſſendo, & alia in cognoſcendo. 203
Cauſarum genera quatuor. 4
Certitudo eſt adhæſio intellectus ad vnum, quæ triplex eſt. 241
Circulus in demonſtrationibus quid ſit, & an poſſit dari, 228. vſq. ad 232
Cognitio alicuius dupliciter poteſt fieri 435
Cognitio, & fides quomodo poſſint eſſe in eodem. 878. 879
In compoſito naturali quinque reperiuntur. 53
Ad compoſitionem inter duo extrema exigitur, quod ſit mutua excluſio vnius ab altero. 638
Conceptus entis præciſus poteſt denominari analogus. 640
Conceptus explicitus entis dicitur tota & adęquata eſſentia entis. 636

Concretum.

Varij modi diffiniendi concreta accidentalia. 521.522.523
Concreta eo modo, quo ſignificantur, & intelliguntur definiri debent. 503
Ex vi ſignificationis concreti, non ſolũ

Digitized by Google

aſſertur formale, ſed etiam materiale & quomodo. 503
Variæ ſent: Doctorum circa definitionẽ concreti. 504
Principale ſignificatum eſt forma concreti & ex conſequenti ſubiectũ. 507
In definitione concreti aſſertur ſubiectũ in recto: in definitione verò abſtracti tale ſubiectum in obliquo. 508
Cõcretum accidentale dupl. põt definiri .ſ. definitione phiſica, & metaph. 52
Cauſa. Vide Principium.
Conceptus. Vide Ens. Analogia.
Concretum. Vide Definitio.
Conſequentia. Vide Bonitas.
Concluſio. Vide Præmiſſæ.

D

Deo nihil eſt prius, nec ſecundum rem, nec ſecundũ intellectum. 650
Deo poteſt eſſe aliquid prius, & ſimplicius per modum predicati cõis. 651
Demonſtratio.
Demonſtrationis diffinitiones aſſignantur. 190
Demonſtratio habet primum locum inter argumentationes. 182
Demonſtratio in qua aſſumitur definitio vt medium ad demonſtrandum aliquid de diffinito, dicitur potiſſima, licet non ſit vera demonſtratio. 817
Demonſtratio uera qualis. 309. 356
Ex parte materię demonſtrationis requiruntur ſex conditiones. 192
Demonſtratio eſt duplex, quia, & propter quid. 215
Demõſtratio à priori non eſt idẽ, quod demonſtratio propter quid: neq. demõſtratio à poſteriori eſt idem quod demonſtratio quia. 217
Demonſtrationes commodius fiunt in prima figura, quam in ſecunda. 221
De eodem reſpectu eiuſdem non poteſt dari demonſtratio, & diffinitio. 248. vſq. ad n. 251. excl.
Demonſtratio potiſſima alia ſecundum ſe, & alia quoad nos. Differentia inter ipſas. 813. & 817
Denominatio Denominatiuum.
Denominatio quid ſit. 737
Denominatiuorum diffinitio. 82
In quocumque denominatiuo tria à parte rei debent conſiderari. 84
Denominatio dupliciter poteſt fieri. 305
Denominatio extrinſeca dupliciter poteſt ſumi. 391
Denominatio extrinſeca quomodo ens reale, & quomodo ens rationis. 392. 394. 399.
Denominatio realis. ax. vna pertinens ad aliud genus. l. ſpem, alia inter eadem rationem ſpecificam. 746
Denominans extrinſecum duobus diuerſis modis denominat. Item effectus ex hoc diuerſi, &c. 780
Denominatio noua quando nouam formam inducat, & quando ablata auferat formam. 739
Dialectica.
Dialectica eſt ſimpliciter neceſſaria ad adquirendas alias ſcientias. 6
Dialectica priùs alijs ſententijs diſcenda eſt. 8
Dialectica inter omnes artes liberales viciniùs accedit ad ſcientiam ſpeculatiuam. 19
Dialecticę nomen quotupliciter ſumatur. 270
Dialectica ratiocinatio quid ſit. 271
Dialectica propoſitio quid ſit. 272
Dialectica quęſtio quid ſit, & quotuplex 273
Dici de omni eſt duplex, prioriſticum, & poſterioriſticum. 209
Quatuor ſunt modi dicendi per ſe. 211
Differentia.
Differentię multiplex diuiſio, ad diffinitio. 65. vſq: ad n. 70. excl.
Variæ ſententię circa definitionem differentiæ, an. ſ. conueniat differentijs atomis. 554
Quomodo differentia infima, & ſubalterna diſtinguantur. 556
Prędicari actu de pluribus differẽtibus in quale quid, eſt actus proprius differentiæ, vt eſt tertium prędicabile. 556
Pręfata diffinitio differentiæ per prædicari, &c. explicat perfectiſſimum actum. 557
Quodnam poſitiuum explicetur in dicta diffinitione differentiæ. 561
De pluribus differentibus ſpecie debet intelligi differentibus ab alijs, & nõ inter ſe. 563.

Plu-

Digitized by Google

Plures actus habet differentia. 564
Quęnam diſparitas reperiatur inter differentiam,& alia prædicabilia. 569
Diffinitio quidditatiua eſt cõpoſitio prędicatorum eſſentialium. 264
Diffinitio quidditatiua duobus modis poteſt inueſtigari. 265
Diffinitio per non repugnantiam, quot conditiones debeat habere. 555
Diſcurſus alius conſiſtens in ſola ſucceſſione, & alius ſecundum cauſalitatẽ: quęnam differentia inter ipſos. 794
Diſcurſus ille, in quo vna diffinitio demonſtratur per aliam, non ė verè demonſtratiuus. 810

Diſtinctio

Diſtinctio quid,& quotuplex. 678
Diſtinctio omnis indiuidualis pendit à quantitate. 700
Diſtinctio realis potentialis non datur. 696
Diſtinctio realis inter duo extrema ex duobus principijs infertur. 736
Diſtinctio,& præciſio non coincidunt. 619
Diſtinctio rationis ratiocinatæ habet latitudinem,& vna eſt maior aliæ. 814
Diſtinctio realis ſolum duplex, ſ. entitatiua,& modalis. 678
Diſtinctio opponitur vnitati, & confuſioni. 714
Diuerſitas radicalis ſine actuali eſt ſufficiens fundamentum analogiæ. 644
Demõſtratio. Vide Prēmiſſæ. Diſcurſus
Dependentia. Vide Analogia.
Dialectica. Vide Logica.

E

Effectus primarius, eſt ille qui alium non præſuponit. 722
Effectus ſubſtantialis non poteſt prouenire à forma accidentali. 698

Ens.

Entis ſumpti in tota ſua latitudine aſſeruntur plures diuiſiones. 98
Ens non conſtituitur eſſentialiter per modos,& differentias. 636
Ens eſt analogum reſpectu quorumcumque inferiorum. 656
Ab ente ad modos eius non valet ſubſiſtendi conſequentia. 636
Ens vt dicitur de ſubſtantia, & accidenti duplici titulo eſt analogũ, et quia tranſcendens,& quia dicit dependentiam. 661
Ens reale poteſt ſpecificari, vt à termino extrinſeco ab ente rationis. 773
Ex hoc quod ens ſit tranſcendens ſolum infertur quod ſit de eſſentiali conceptu omnium ſuorum modorum, non ė conuerſo. 637
Ens non aliter diſtinguitur à ſuis modis, & differentijs niſi penes implicitum, & explicitum. 848
Ens per accidens quomodo poteſt definiri. 515
Entis nonnullæ ſententię circa eius analogiam. 598
Ens non eſt purè æquiuocum reſpectu inferiorum. 599
Ens in communi neque eſt vniuocum ad ſua inferiora. 600
Ens completum eſt analogum reſpectu ſuorum inferiorum. 603
Quid ſit ens completum, vt diſtinguitur contra ens incompletum. 603
Ens completum aliud phiſicè ſumptum, & aliud metaphiſicè acceptum. 606
Ens abſtrahens à completo, & incompleto eſt analogum analogia attributionis,& proportionalitatis. 608
Ens, ſicuti & bonum aliquid poteſt dici, & denominatione intrinſeca, & extrinſeca: 609
Diuerſitas radicalis in ente in cõmunĩ non impedit vnitatem conceptus. 612
Ens completum non poteſt præſcindi à ſuis modis, ſeù differentijs conſtitutiuis. 612
Plures analogię poſſunt conuenire entĩ ſecundum diuerſas conſiderationes ipſius. 616
Et licet idem ſubiectum non poſſit denominari intrinſecè,& extrinſecè ab eadem ratione formali poteſt tamen denominari ſecundum duas rationes omninò diſtinctas. 616
Ens vt analogum analogia attributionis non prēſcindit a ſuis inferioribus. 629
Conceptus entis duplex eſt, alius formalis,& alius obiectiuus. 629
Diuerſa Doctorum placita de conceptu entis. 630

Quo

ꝗuo ad vnitatem, & præciſionem eadem eſt via procedendi de conceptu formali entis, ac de obiectiuo. 631
ntis poteſt dari conceptus quidam imperfectus, & quomodo. 632
ucuti poteſt dari etiam cōceptus obiectiuus, & qua ratione. 633

Ens rationis.

Ens rationis poteſt ſumi dupliciter, Primò effectiuè, ſeù ſubiectiuè. Secundò obiectiuè. 22
Ens rationis obiectiuè eſt ſubiectum formale, & adæquatum Logicæ. 22
Ens rationis propriè ſumptum quid ſit. 24.
Ens rationis quotuplex ſit. 25. vſq: ad n.29. excl.
Ens rationis quā cauſam habeat, & quomodo efficiatur. 405
Ens rationis quid ſit, & quotupliciter ſumatur. 390
Entis rationis conſideratio quomodo ad metaphyſicnm ſpectat. 389
Ens rationis quomodo ſcibile. 359. 360
Ens rationis quas paſſiones habeat. 354. 355.
Ens rationis quomodo poſſit ſpecificare ſcientiam. 356. 357
Quodnam ens rationis ſit obiectum formale Logicæ. 335. 347
Ens rationis quomodo dirigat intellectū 331. 332. 333. 339
Ens rationis formaliter non eſt extrinſeca denominatio. 391
Ens rationis non conſiſtit in obiecto impoſſibili. 393. 401
Ens rationis formaliter cōſiſtit in quadā entitate metaphorica quæ reſultat in obiecto cognito ratione cuius extrinſecè denominatur. 397
Ens rationis quam entitatē habeat. ibid.
Ens rationis conſiſtere in cognoſci quomodo intelligatur. 401
Ens rationis à ſolo intellectu effici poteſt. 408
Ens rationis quādo dicatur verè effici. ib.
Ens rationes efficitur per quemcumque actum intellectus, ſiue directū, ſiue reflexum, ſiue abſolutum, ſiue comparatiuum. 409. 410.
Ens rationis quando dicatur eſſe. ibidem
Ens rationis quomodo requirat actū cōparatiuū ad ſui formationē. 414. 415
Entis rationis Logici à quocunq; alio diſcrimen. 416
Ens rationis dupliciter, poteſt fingi. 420
Ens rationis poteſt cognoſci per ſpeciē impreſſam & expreſſam entis realis, & per vtramq; propriam. 435. 436. 37. 38. 39.
Ens rationis eſt ſimilitudo entis realis, & quomodo. ibid. & 443
Entitas dicitur de entitate, quæ eſt res. & de entitate, quæ eſt modus. 681
Eſſentia diuina intimè includitur in relationibus diuinis, non tamē ipſæ actu includuntur in conceptu eſſentiali ipſius eſſentiæ. 637
Eſſentia rei non eſt demonſtrabilis. 251 vſq ad n, 260.
Eſſentia paſſionis quomodo ſit demonſtrabilis. 261
Euidētia eſt modus cognoſcendi obiectum, quod per ſe ipſum mouet potentiam: qui modus eſt triplex. 242
Extenſio ſupra diſtinctionem partium addit ordinem illarum. 726
Extenſio partium quantitatis in ordine ad ſe conſiſtit in extraneitate partiū. 723
Ens Vide Analogia. Prædicamentum.
Eſſentia. Vide Natura.

F

Fallacia quid ſit. 288
Fallaciarum diſtinctio. 288 289
Fallacia æquiuocationis quid ſit. 290
Fallacia amphibologiæ quid ſit. 291
Fallacia compoſitionis quid ſit. 292
Fallacia accentus quid ſit. 293
Fallacia extra dictionem quid ſit, & quotuplex. 294. 295
Falſum poteſt inferre verum non cauſaliter, ſed conditionaliter. 294
In fidei merito quomodo differant Ruſticus, & Philoſophis. 881. 882. 883
Finis ſcientię ſermocinalis eſt proprietas ſermonis. finis ſcientiæ rationalis eſt intelligere. 1
Forma reſpectu cuius prębeat ſuum effectum formalem. 392

Falla-

Digitized by Google

Fallacia. Vide Ratiocinatio.
Fides. Vide Cognitio.

G

Genus.

GEneris variæ acceptiones. 57
Genus generaliſſimum impropriè vocatur prędicamentum. 97
Genus primum prædicabile eſt illud quod prædicatur de pluribus differētibus ſpecie in eo quod quid. 58
Explicatur materiale proprium generis. 514
Definitum in definitione generis non eſt ipſum vt dicit in recto naturam, & ſecundam intentionem. 505
Genus acceptum pro natura, & ſecunda intentione in recto, eſt quoddam per accidens. 506
Res defin ta in definitione generis eſt ſecunda intentio connotans naturam. 507
Si autem attendamus modum definiendi eſt ipſa natura induta ſecunda intentione. 507
Principale ſignificatum eſt forma concreti, & ex conſequenti ſubiectũ. 507
Diuerſus modus explicandi definitionē generis traditam per prædicari. 513
Non eſt neceſſe ponere aliquod definitum, quod, eſſentiale; ſed ſufficit dari aliquid, cui denominatiuè conueniat definitio. 513
Materiale adæquatum in definitione generis eſt natura, vt denominabilis à ſecunda intentione. 514
Genus entis non eſt ſimpliciter ſuperius ad genus ſcibile. 360
Genera cauſarum quatuor. 4
Genus. Vide. Ens prædicamentum.

H

HAbere poſt prædicam. 181
Habitus vltimũ præd. 165. 166. 170
Habitus contingit quatuor modis. 181
Habitus intellectuales ſunt quinq: 236
Quomodo habitus intellectuales differant inter ſe. 237. vſq. ad n. 240.
Habituum diſtinctio quando ponenda. 372.
Vide Actus, Oppoſitio, Opinio.

I

IDearum deſtinctio in Deo vnde ſumatur. 428. 429. 430. 31. 32. 33
Quid faciat immaterialitas obiecti circa vnitatem, & diuerſitatem ſcientiarum. 847. & ante, & poſt
Indiuiduum eſt duplex, primò intentionaliter, & ſecundò intentionaliter, afferunturq; diffinitiones vtriuſque ac ſeptem proprietates primi. 64
Indiuiſibilia ſubſtantiæ ſunt negatiuè indiuiſibilia ſicuti, & partis. 732
Intellectus, cognitis præmiſſis, &c. nõ ſolum tenetur elicere aſſenſum concl, ſed nec etiam põt ſuſpēdere actũ. 797
Intellectus circa obiectum ſufficienter propoſitum agit vt potētia natur. 797
In intellectu non datur equiuocatio, & quando eueniat. 443
Intellectus diuinus omnia entia rationis, à nobis facta cognoſcit. 422
Intellectus diuinus nullum ens rationis poteſt formare. 423. 431. 432
Intellectus diuinus quomodo entia rationis cognoſcat. 425. 427
Intellectus ex præconceptis ſpeciebus poteſt alias formare. 439
Licet quandoque relinquere proprium iudicium, vt ſectemur ſententiã cõmuniorem: dummodo ſit probabilis. 545
Inequalitas. Vide Tranſcendentia.

L

Locus.

LOcus dialecticus quid ſit. 274. 275
Locorum dialecticorum diſtinctio & numerus. 276
Locus à diffinitione ad diffinitum. 277
Locus ab etymologia nominis cũ locis ad ipſum reductis. 278
Locus à genere, & ſpetie. 278
Locus à partibus ad totum, & à toto ad partes. 279
Locus à cauſis, & ab effectu. 280
Locus extrinſecus quid ſit. 281
Locus ab appoſitis, & cõtrariis quid ſit, & quot eius ſpecies. 281
Locus à comparatis, quid ſit & eius ſpecies. 282
Locus à teſtimonio quid ſit & eius ſpecies

cies

Digitized by Google

ticæ. 283
ocus ſofiſticus quid. Vide Fallacia.
ogicæ nomen quid ſignificet. 1
ogica eſt ſcientia ſermocinalis, ſeù rationalis. 1
ogica differt dupliciter à Rhetorica, & poeſi. 2
Logicæ diffinitio ſecundum doctrinam D. Iſidori. 3
Logica eſt quodammodo homini neceſſaria, quaſi à propria forma hominis dimanans 5
Logica poteſt conſiderari, vt docens, & vt vtens. 9
Logica vt docens eſt propriè ſcientia, non ſolum quo ad partem demonſtratiuam, ſed etiam quò ad partem Topriam, & Sophiſticam. 10
Logica vt vtens non eſt ſcientia. 11
Logica eſt vna ſcientia ſecundum ſpeciem. 13
Logica, & quęlibet alia ſcientia eſt ſimplex qualitas. 16
Logica ſimpliciter, & abſolutè eſt ſcientia ſpeculatiua. 18
Logica, & omnes artes liberales dicūtur quodammodo artes per quamdam ſimilitudinem ad artes mechanicas, deficiunt tamen à vera ratione. 19
Logica eſt duplex. 297
Logica adhuc dupliciter. 343
Logica iterum duplex. 299
Logica quomodo neceſſaria ad alias ſciētias 300.301.302.303.304.305.306 307.308 309 310.311.312.313.334.
Logica quomodo concurrat ad actus aliarum ſcientiarum. 318
Logica licet difficilior alijs ſcientijs, tamen ab ipſa eſt inchoandum. 342
Logica docens, & vtens quid ſint. 363
Logica docens, & vtens ſunt vnus, & idem habitus. 372
Logica vtens dupliciter. 343.364
Logica docens eſt propriè ſcientia. 345
Logica vtens ſiue actiuè ſiue paſſiuè ſūpta non eſt ſcientia 348
Logica docens propriiſſime eſt ars 349
Logica quomodo demonſtret paſſiones de ſuo ſubiecto. 352.353.354.355
Logica reſpectu cuius dicatur vtēs. 364
Logica non habet vſum actiuum in parte demonſtratiua, ſed ſolum in parte topica, & ſophiſtica. 368 369
Logica non concurrit actiuè ad demonſtrationes aliarum ſcientiarum, ſed ad proprias. 370 371
Logica quomodo dirigat alias ſcientias. 375
Logicæ habitus, & vſus quomodo augeatur. 379
Logica non eſt ſimul ſpeculatiua, & practica. 332
Logica eſt ſimpliciter ſpeculatiua, & nō practica niſi modaliter. 388
Logicæ finis propriè quinam? 383.384
Logica qua ratione imperfectior alijs ſcientijs. 388
Logica. Vide Dialectica.

M

Materia.

Materia ex ſe non habet partes præciſo ordine ad quantitatem. 710
Materia 1. pōt in ſe habere diſtinctionē quia dicit ordinem ad actum. 710
Materiam eſſe radicem quantitatis quid ſit. 712
Materia ſub corporeitate ſubſtātiali pręintelligitur ad diſtinctionem ſubſtantialem materiæ in diuerſas partes. 713
Materia triplex, ſingularis, ſenſibilis, & Intelligibilis. 830
Materiale adæquatum in deffinitione generis eſt natura, vt denominabilis à ſecunda intentione. 524
Modeſtia Auctoris circa cenſurā P. Hurtado contra Caetanum, & Soto. 553
Modus ex ſe habet aliquam entitatē ſaltim modalem, diſtinctam ab entitate rei cuius eſt modus. 742
Modus quomodo modificet rem. 681
Motus ſpecies ſunt ſex. 180
Motus non eſt prædicatum quidditatiuū actionis, aut paſſionis. 616

N

Natura in triplici ſtatu poteſt conſiderari 447
Sententię diuerſę circa Naturam. 448
Natura à parte rei habet vnitatem dupli cem formalem, & numericam. 450
Naturæ vnitates formales tot ſunt à parte

Digitized by Google

te rei quot indiuidua. 451
Natura in diuinis vna numero identificatur realiter cum tribus perſonis. 451
Natura ſecundum ſe non habet aliquam vnitatem communem pluribus. 452
Natura ſecundum ſe, & ſolitariè accepta idem valet. 452
Nulla realitas poteſt imaginari in natura communis pluribus realiter. 453
Natura ſecundum ſe nullam habet vnitatem quæ ei in illo ſtatu conueniat, & ſecundum illum non reſpiciat inferiora. 455
Nullum prædicatum reale competit naturę ſecundum ſe, niſi ſit prædicatum eſſentiale naturæ. 456
Vnitas conueniens naturæ exiſtenti in intellectu eſt illa quę requiritur ad ūle 457
In natura à parte rei datur fundamentū remtoum ad vniuerſalitatem. 458
Aptitudo ad eſſendum in multis non cōuenit naturę ſecundum ſe, neque exiſtenti in indiuiduis. 459
Natura in indiuiduis exiſtens habet repugnantiam vt ſit in multis. 460
Natura in re, ſiue à parte rei, ſemper eſt coniuncta cum aliquo indiuiduo. 461
Aptitudo, quæ eſt fundamentum vniuerſalitatis reperitur in natura in intellectu exiſtenti. 462
Nulla prioritas naturæ aſſignatur reſpectu ſuæ ſingularitatis in re; ſed per opus intellectus duntaxat. 466
Indifferētia, vt natura ſit in plur. diuiſa non tollitur per ſingularitatem. 467
Indiuidua omnia eiuſdē naturę ſunt vnū inter ſe per conformitatem. 468
Natura exiſtens vna abſq; aliqua diuiſione non poteſt eſſe in pluribus. 474
Natura vt rapręſentata per intellectum agentem eſt vniuerſale metaphiſ. 477
Neceſſarium dicitur multipliciter iuxta multiplex genus cauſarum. 4
Neceſſitas duplex, quo ad ſpecificationē & quo ad exercitium. 796
Neceſſitas duplex, quędam abſoluta, & quædam ex ſuppoſitione. 798
Neceſſarium ad finem eſt duplex. 4
Aduenire poteſt aliquid alicui de nouo dupliciter vno modo tanquam id ad quod datur per ſe motus, alio modo tanquam id, quod ſimplici reſultātia reſultat in eo. 745
Numerus diuiditur in numerum numerantem, & in numerum numeratum. 124

O

Obiecti ratio formalis alia dicitur Quæ & alia ſub qua. 821
Obiectum cuiuſcunq; ſcientiæ poteſt pertinere, & ad genus entis, & ad genus ſcibilis. 821
Obiectum non mouet, niſi attingatur per actum. 771
Obiecta [illegible] quænam. 408
Obiectū duplici ſpecie cognoſcitur. 395
Obiectum intellectus quodnam ſit. 408
Operationes intellectus tripliciter poſſunt dirigi. 346
Oppoſitio eſt incompoſſibilitas duorū vt ſimul exiſtant in eodem ſubiecto, & eſt quadruplex. 173
Actus ſcientiæ non compatitur cum actu opinionis de eadem veritate, & in eodem intellectu, 862, &c.
Actus oppoſitos non ſe compati in eodē nec etiam ratione diuerſi medii. 863
Nec eam de potentia Dei abſoluta. 868
Idē dicendum etiam de habitibus. 869
Quomodo duo oppoſita poſſint eſſe ſimul in intellectu, & quomodo gaudium, & triſtitia reſpectu eiuſdem obiecti materialis. 877
Ordo ſeù relatio quam dicit ens rationis dupliciter poteſt ſumi. 416.437
Obiectum. Vide ratio formalis.

P

Prima paſſio ſecundum ſe eſt indemōſtrabilis de ſuo ſubiecto immediato 804
Prima paſſio eſt demonſtrabilis de ſubiecto immediato quò ad nos, non demōſtratione propria, ſed diſcurſu aliquo explicatiuo eiuſdem veritatis. 806
Philoſophiæ vnitas explicatur. 840. &c.
Quando plura inter ſe habent ordinē, nō ſunt plura, vt plura, & ſic poſſūt ſimul cognoſci; 746

Poſi-

Digitized by Google

Poſitio eſt duplex, alia eſt ordinatio partium inter ſe: & alia eſt ordinatio partium in ordine ad locum. 165
Practicum et ſpeculatiuum ſunt rationes oppoſitæ. 382.386
Præcognitiones duæ, an ſit, & quid ſit. 188
Poſſibile quotupliciter dicatur. 359
Duplex præciſio intellectus: altera negatiua, altera poſitiua. 646
Præciſio, & diſtinctio nō coincidūt. 629
Præciſio duplex, 629
Præcognoſcenda ante concluſionem demonſtrationis ſunt tria. 187
Prędicabilia duplici definitione definiri poſſunt: & phyſica, & metaph. 523
Omne prædicatum vniuocum, vel eſt genus, aut ſpecies, differentia, propium, aut accidens. 602
Prædicamentum.
Prędicamentorum numerus denarius eſt ſufficiens. 673
Prædicamentum non poteſt cōſtitui pro ſubſtantia increata, & quare. 575
Prædicamenta neceſſario ad inuicem diſtinguuntur aliqua reali diſtinctione. 682
Prædicamenta neceſſariò diſtinguūtur diſtinctione reali entitatiua. 683
Prædicamentum eſt prædicabilium coordinatio. 99
In qualibet coordinatione prædicamētali eſt duplex linea: alia dicitur recta & alia tranſuerſalis. 115
Nullū genus prædicamētale eſt modus, ſed omnia ſunt genera rerum. 749
Prædicamenta triplicem reſpectum habent. 83
Prædicamenta ſunt decem ſecundum Ariſt. 99
Quodnam ſit conſtitutum ſex vltimorum prædicamentorum, quatuor ſententiæ. Reſolutio veritatis. 779, &c.
Prædicandi modi ſunt quinq. 54
Prædicatio multiplex. 43. vſq ad n. 48
Præmiſſæ.
Præmiſſæ aliæ formales, aliæ obiectiuæ. 788
Præmiſſæ obiectiuæ influunt in concluſionem formaliter extrinſecè, & cauſalitate obiectiua. 789
poteſt defendi ipſas influere etiā aliquo modo efficienter, ibidem.
præmiſſæ formales concurrunt efficienter ad aſſenſum concluſionis. 790
præmiſſæ aliç ſunt prius notæ ſecundum ſe, & aliæ quò ad nos. 204
præmiſſæ quomodo ſint cauſa æquiuoca, & principalis, l. inſtrumentalis concluſionis. 795
primus effectus præmiſſarum ſyllogiſmi facta in Barbara, eſt concluſio directa: indirecta autem eſt effectus ſecūdarius. 798
prioritatis modi ſunt quinque. 176
principia logicæ, quomodo cognita 308
principia logicæ, quomodo adinuenta. 336.
principia prima quomodo nota, & inuēta. 337
principia ſcientiarum quomodo inueniēda. 338 &c.
principium probabile quid ſit. 271
principia ſe habēt in demonſtratiuis ad concluſiones, ſicuti cauſæ in naturalibus ad effectus. 790
proceſſus in infinitum non poteſt dari nec ſecundū ſuperiùs, & inferiùs: nec ſecundum priùs, & poſteriùs. 225
Quid ſit prōpo immediata ſecundum ſe, & quid immediata quò ad nos. 802
propoſitio alia formalis, alia obiectiua, & quæ differentia inter ipſas. 810
Idem eſt propoſitio immediata, prima, per ſe nota, & propoſitio indemonſtrabilis. 800
prōpo immediata eſt, quæ caret medio quo à priori poſſit probari. 802
prōpo immediata duplex, vna cuius termini ſunt omnibus noti alia non. 802
proportio eſt habitudo vnius rei ad aliā. 95.
proportionalitas eſt habitudo, quæ eſt inter duas proportiones. 95
proprium accipitur quatuor modis. 70
Præmiſſæ Vide Intellectus.
propoſitio. Vide quæſtio.

Q

QVæſtio an res ſit obtinet primū locū inter quatuor quæſtiones. 1

Quæſtiones ſunt quatuor an res ſit, quid ſit, quia, & propter quid. 245
Differentia inter quæſtionem, & propoſitionẽ dialecticam. 273
Qualitates ſupernaturales pertinent probabiliter ad predicamentum. 677
Qualitas ex ſua natura eſt modificatiua ſubſtantię. 154
Qualitatis diffinitio, & eius ſpecies. 141. vſq 153.
proprietates qualitatis, & eius coordinatio. 156
Quantitas continua, & diſcreta poſſunt dupliciter conſiderari, ſecundum rationem extenſionis, & ſecundum rationem menſurę aliorum. 119
Quid ſit quantitas, & quotuplex. 116. 117
Quæ ſpecies quantitatis. 118. vſq: ad 128
Quantitatis continuæ terminus communis eſt aliquod indiuiſibile. 118
Quantum duplex eſt continuum, & diſcretum. 118
Quantitas quomodo ſequatur materiã. 676
Quantitatis effectus primarius eſt extenſio partium in ordine ad ſe. 721
Quidditas rei quomodo debeat inueſtigari. 264
Termini, & quidditas ſubiecti aut prędicati nobis non nota dupl. poſſunt explicari. 803
Quidditas ſubiecti. l. prædicati poteſt notificari per aliquem diſcurſum. l. ex ſola terminorum explicatione. 803

R

Ratiocinatio fallax alia eſt captioſa propter ſolam formam, alia propter ſolam materiam, & alia propter vtrumq. 818
Ratio formalis conſtitutiua entis rationis in eſſe obiecti. 262
Ratio formalis obiecti alia dicitur, quę, & alia, ſub qua. 821

Relatio.

Relatio in tota ſua latitudine diuiditur in prædicamentalem, & tranſcendentalem. 130
Inter relationem prędicamentalem, & tranſcendentalem reperitur duplex differentia. 131
In relatione prædicamentali duplex cõceptus diſtinguitur, In, & Ad 132
Ad relationem prædicamentalem tria concurrunt, ſubiectum, fundamentũ, & terminus. 134
Ad relationem realem prædicamentalẽ exiguntur quinque conditiones. 133
Fundamentum relationis eſt triplex. 134
Poſito fundamento, & termino ponitur relatio, quomodo intelligatur. 769
Terminus relationis duplex materialis & formalis. 768. 769
Fundamentum relationis proximum, & remotum. 769
Relatio inter omnia genera rerum habet debiliſſimum eſſe. 749
Relatio poteſt fundari in modo ſpectãte ad lineam abſolutam, cum in perfectione ſe habeant ut excedens, & exceſſum. 749
Relatio omnis an terminetur ad relatiuum, opiniones variæ. 751
Relatio omnis, ſiuè mutua, ſiuè non mutua terminatur formaliter ad relatiuum, ad abſolutum verò materialiter 752
Relationi duo conueniunt neceſſariò 1. quod opponatur relatiuo cum ſuo termino. 2. quod ſit ſimul natura cum ſuo termino. 753
In relatione non datur duplex oppoſitio, vna terminatiua, quę exerceatur per abſolutum termini, & alia relatiua, quę exerceatur reſpectu relationis illius. 754
Relatio Dei ad creaturas quomodo cõcipiatur. 394. 395. 399.
Propoſitiones cauſales circa relationẽ quædam dicunt cauſam fundamentalem, & quædam formalem. 767
Relatio diſtinguitur à ſuo fundamẽto tam proximo, quam remoto, vt res, à re. 740
Relatio vna numero an poſſit reſpicere plures terminos multiplex opinio. 747.
Relatio rationis dupliciter fieri poteſt: per tendentiam. ſ. directam: & per tẽdentiam indirectam. 502
Ex abſtractione duę reſultant relationes prædicabilitatis, & ſubijcibilitatis

Digitized by Google

tis. 500
Relatio prędicamentalis diſtinguitur à parte rei, à ſubiecto & fundamento. 735
Terminus formalis relationis non mutuæ per quid conſtituatur. 758 759
Relatio in communi an habeat terminũ ſibi correſpondentem in ſua generalitate. I. in ſuis inferioribus. 760 761
Quodnam ſit ſpecificatiuum relationis in communi. 761

S

SCibile triplex philoſophicum (quod etiam dicitur naturale) mathematicũ, & methaphiſicum. 830

Scientia.

Ad ſcientiam duo requiruntur, alterum ex partee obiecti, & alterum ex parte potentię. 14
Scientia propriè ſolum accipitur prò habitu, qui ſe tenet ex parte potentiæ. 15.
Scientia eſt habitus generans aſſenſum neceſſarium, & euidentem per demõſtrationem. 9
Scientia dupliciter poteſt ſumi. 353
Scientia ſpeculatiua, & practica quid ſint. 380
uomodo obiectum ſcientiæ ſubalterna
Qtæ ſit ens per accidens. 838
Scientia differt ab opinione, fide humana, & ſuſpicione. 243
Quomodo ſcientia ſpeculatiua differat à ſcientia practica. 17
Reſpectu ſcientiæ poſsunt dari duo fines, ſ. ſcientis. & ſcientiæ. 17
Scientia eſt duplex, actualis, & habitualis. 131
Scientia diuiditur in ſubalternantem, et ſubalternatam. 234
Scire quid ſit traditur, & explicatur. 190
Senſus quomodo ferantur in obiecta apparentia. 413.418
Sillogiſmus ſofiſticus quid ſit. 284
Sillogiſmus vel demonſtratio a iqua dupliciter poteſt pertinere ad logicam. 369.370.
Simile quomodo per ſuum ſimile cognoſcatur. 435.437.441
Simul aliqua duo dicũtur tripliciter. 179
Sofiſtæ finis qualis. 285
Sophiſtæ finis quotuplex. 286
Sophiſtica ars eſt vtilis ad alias ſcientias. 7
Species requiſitæ ad intelligendum quænam. 434
Species impreſſa & expreſſa plura poteſt repreſentare ſed diuerſimode. 435 436, 441.
Species expreſsa repreſentans ens rationis eſt realis & rationis diuerſimode 445.
Speciei variæ acceptiones, ac diffinitiones. 69
Species prędicabilis duplex alia Logicè, alia metaphyſicè ſumpta. 550
Speculabili, vt eſt obiectum potentię aliquid competit ex parte potentiæ intellectiuæ, & aliquid ex parte ſcientię. 827

Subalternatio.

Subalternatio ſcientiarum conſiſtit in dependentia vnius ab alia. 849
Triplex modus ſubalternatiouis. ibidẽ.
Quęnam ſcientia dicatur propriè ſubalternata. 850
Scientia ſubalternata eſt verè ſcientia in eo, qui non habet ſubalternantem licèt non habeat ſtatum perfectum ſcientię. 852
Ad ſubalternationem ſcientiarum tres conditiones requiruntur. 235
Subiectum duplex inhæſionis, & informationis. 104
Subiectum ſcientiæ eſt duplex, inhæſionis, & attributionis, item ſubiectum, obiectum, & materia ſignificant eandem rem diuerſis rationibus. 20
Subiectum attributionis ſcientiæ eſt duplex adęquatum, & principale: adæquatum debet habere tres conditiones. 21
Subiectum principale Logicę eſt argumentatio. 23

Subſtantia.

Diffinitio, diuiſio, variæ acceptiones, & proprietates ſubſtantiæ eiuſq. coordinatio. 103. vſq. ad 116
Subſtantię acceptiones variæ aſſignantur. 104
Subſtantia eſt prior accidentibus diffinitione, cognitione, & tẽpore. 105
ſub-

Subſtantia habet partes ſubſtantiales ſubſtantialiter diſtinctas ante quantitatem actualem, non autem ante ordinem ad ipſam. 702
Ad compoſitionem ſubſtantialem ſufficit quod partes ſint in genere ſubſtantiæ, & vnio ſit ſubſtantialis. 708
Ad compoſitionem ſubſtantialem partium ſubſtantię præciſſa quantitate, non requiritur vnio poſitiua ſed vnio modo confuſo. 731
In ſubſtantia ante quantitatem ſunt indiuiſibilia modo confuſo. 732
Subſtantia quatuor tantum modis poteſt modificari à qualitate. 154
Ad diſtinctionem ſubſtantialem partiũ ſubſtantiæ non concurrit, nec, vt conditio quantitas actualis. 729
Scientia Vide vnitas, Obiectum, Opinio, Diſtinctio.
Species. Vide Angelus.
Subſtantia. Vide Vnitas.

T

Theologia an ſit ſimpliciter practica, & ſpeculatiua. 387
Tranſcendens ſignificat id quod in propria ſua ratione petit in aliis includi 637
Tranſcendentia, & dependentia cauſat inæqualitatem logicam. 640

V

Vbi Angelicũ an ponatur in præd 787
An detur vnicum vbi denominans corpus, & accidentia eius. 787
Vbi eſt duplex, diffinitiuum, & circumſcriptiuum. 168
Differentia inter verum, & probabile. 871.

Vnitas. Vnum.

Quæ ſunt vnum ſecundum ſubſtantiam ſunt vnum ſimpliciter, & multa ſecũdum quid. 718
Vnitas, l. diſtinctio ſpecifica potentiæ, actus, & habitus deſumitur ex vnitate, l. diſtinctione obiecti in ratione obiecti. 811
Vnitas philoſophiæ explicatur. 840
Vnitas ſcientię non poteſt deſumi ab obiecto in eſſe entis, nec ſufficienter explicatur per hoc, quod deſumatur ex vnitate obiecti principalis, ad quod omnia alia partialia ordinantur 813.
Vnitas obiecti in ratione ſcibilis ſumitur ex abſtractione à materia & ab illa ſumunt vnitatem ſcientię. 815
Vnitas eſt entitas carens diuiſione, ita vt ſupra ens nihil addat præter ipſam carentiam diuiſionis. 36
Vnitas multiplex iuxta multiplicitatem carentię diuiſionis. 36. vſq. ad n. 38. excl.
Vnitas ſpecifica ſcientię deſumitur ex vnitate ſpecifica obiecti. 13
Vniuerſale eſt illud, quod aliquo modo reſpicit plura, & eſt triplex. n. 32
Vniuerſale Logicum eſt vnum aptum eſſe in multis, & prædicari de illis. 33.
Ad vniuerſale logicũ requiritur vnitas, ſiue ſpecifica, ſiuè generica, quæ ſit vnitas poſitiua. 38
Vniuerſale diuiditur in quinquè ſpecies n. 52.
Vniuerſale duplex. ſ. Metaph. & Logicum. 475
In vniuerſali tria reperiuntur, ſubiectũ, fundamentum, & forma conſtitutiua 375.
Sententiæ variæ circa formationem vniuerſalis. 476
Per abſtractionem intellectus agentis ponitur vniuerſale logicum tantùm remotè. 479
Vniuerſale metaph. fit formaliter per abſtractionem tam negatiuam, quam poſitiuam intellectus poſſibilis. 478
Vniuerſale Logicum fit fundamentaliter proximè per abſtractionem intellectus poſſibilis ſiuè abſtractio ſit negatiua, ſiuè poſitiua. 480
Diffinitio illa vniuerſalis. i. vnum aptum natum eſſe in multis, &c. explicat fundamentum proximum vniuerſalitatis. 481
Vniuerſale formaliter fit per abſtractionem intellectus poſſibilis, & quomodo. 482
Ad cognoſcendum formaliter vniuerſale requiritur actio comparatiua, 485
Explicatur vera mens D. Th de vniuerſa-

Digitized by Google

ſali vbi multa dicta conciliantur. 487. & 491

Vniuerſole duplex, aliud ſecundum rem & rationem ſimul, & aliud ſecundum rationem duntaxat. 526

Vniuocorum diffinitio traditur. 82

Vniuocum predicatum, vel eſt genus, vel ſpecies, vel differentia, vel proprium, vel accidens. 657

Voluntas quomodo feratur in non ens, & in bonum apparens. 412

Voluntas non poteſt aliquando impedire alias potentias, ne operentur. 797.

Vnitas. Vide Scientia, Natura.

Vniuerſale. Vide Natura.

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIS EXPLICATIO LOGICÆ

In quinque Libros diſtributa.

PROOEMIVM.

SEQVENS modum, quem in ſummulis ſeruaui, prius in hoc breui compendio proponam modo doctrinali præcepta, regulas, diffinitiones, & diuiſiones, quæ ad Logicam pertinent, vt his inſtructi, & edocti ſtudentes, facilè poſſint percipere varias difficultates, & quæſtiones, quas his temporibus Logicæ Præceptores ad longum tractant. Et quia non cuique licet pro ſuo libito in ſcientijs noua præcepta, & regulas tradere, aut nouas diffinitiones, & diuiſiones confingere, decreui in his omnibus aſſignandis ſequi ſapientiſſimum Magiſtrum Fratrem Dominicum de Soto, cuius doctrinam non ſolùm quantùm ad ſubſtantiam, ſed quantùm ad modum, & ordinem procedendi amplector in præſenti, vt conformiorem noſtro Angelico Magiſtro D. Thomæ Aquinati. Quapropter præſens opus in quinque libros diuido. In primo, qui Proœmialis eſt, explanabo naturam, & quidditatem ipſius Logicæ. In ſecundo agam de vniuerſalibus, & prædicabilibus. In tertio de prædicamentis. In quarto de ſyllogiſmo demonſtratiuo. Et in quinto de ſyllogiſmo Dialectico, & Sophyſtico.

LIBER PRIMVS PROOEMIALIS.

ANtequàm ad propriam materiam Logicæ tractandam accedamus, in hoc libro primo, qui loco proœmij deſeruit, explicandum eſt, an ſit, quid, & qualis ſit Logica, quæ noſtris actibus adquiritur. Quod præſtabimus ſex capitulis ſequentibus, in quibus ferè ad literam proponitur doctrina ſapientiſsimi Magiſtri Fr. Dominici de Soto.

Digitized by Google

CAPVT I.

De neceſsitate logicæ.

QVamuis inter quatuor quæſtiones, quas iuxta doctrinam Ariſtotel. de qualibet re percontamur prima ſit, vt (inquit Boetius) an res ſit; tamen quia idem eſt quærere an talis ſcientia ſit, quod quærere, an ſit neceſſaria, & nihil ſit redundans, primũ, quod ſe offert explicandum, eſt an Logica ſit neceſſaria, vt intelligamus qua neceſſitate, aut commoditate fuerit Logica excogitata à Philoſophis.

1. Ad cuius explicationem notat M. Soto primò, ne ignorantia nominum faciat nos hallucinari, quid ſignificet hoc nomen (Logica) quod Latinè receptum eſt à (logos) Græcè, quod præcipuè duo ſignificat, & ſermonem, & rationem, ac proinde Logica eſt idem quod ſcientia ſermocinalis, ſeù ſcientia rationalis. Eſt tamen differentia inter ſcientias iſtas ex parte finis. Nam finis ſcientiæ ſermocinalis eſt proprietas ſermonis, vt rectè, ornatè, aut figuratè loqui, & hic finis eſt grammaticæ, Rhetoricæ, & Poeſis, quæ ſunt ſcientiæ ſermocinales, & comprehenduntur nomine Logicæ. Finis autem ſcientiæ rationalis eſt intelligere, & hic finis eſt Dialecticæ, & quia opus Rhetoricæ, & Poeſis eſt opus rationis, nempè perſuadere veritatem coniecturis, & repræſentationibus, fit inde, vt prædictæ tres nominentur ſcientiæ rationales.

2. Et quidem ad præſens ſolùm attinet agere de logica, vt diſtinguitur contra Rhetoricam, & Poeſim, quæ differunt dupliciter. Primò ex parte finis, & materiæ. Nam finis logicæ [vt docet D. Thomas in princ Poſter.] eſt facere, vel certam ſcientiam ex vniuerſalibus, & neceſſarijs, vt in libris Poſteriorum, vel ſaltem fidem humanam, ſeù opinionem, vt in libris Topicorum; Rhetorica autem non habet neceſſe generare ſemper fidem humanam, vel opinionem; ſed ſatis eſt, ſi ſuſpicionem faciat, & hoc de rebus particularibus, v.g. ſi Milo occidit Clodium, &c. Poeſis verò generat, & amorem virtutis, & odium vitiorum per modum repræſentationis, veluti cibus oſtenſus generat, vel appetitum ſui, vel horrorem. Secundò differunt ex modo procedendi. Nam Dialectica eſt compendioſior, Retorica verò extenſior. Quod enim Dialectica breuiſſimo ſillogiſmo tribus terminis concludit, id Rhetorica, pluribus verbis explicat, & amplificat. Quapropter comparatur à Philoſophis Dialectica pugno conſtricto, & Rhetorica extenſæ palmæ.

3. Secundò notandum, quòd ſi propriè accipiatur Dialectica, non eſt ità ampla, ſicut Logica, quin potius eſt pars illius. Nam Logica diuiditur in Dialecticam, & Topicam tanquàm in partes illius, ità vt Dialectica ſit illa pars, quæ eſt iudicatiua, & traditur in libris Priorum, & Poſteriorum, vbi traditur quomodo de vnaquaque re iudicandum ſit per reſolutionem in ſua principia neceſſaria; alia autem pars, nempè Topica, docetur in libro Topicorum, vbi docentur ſedes, & loca argumentorum, vt vnuſquiſque abundet medijs ad perſuadendum quamlibet veritatem. Nihilominus Doctores promiſcuè vtuntur vtroquè nomine, vt pro eodem accipiant Dialecticam, & Logicam, & ſic vtimur in præſẽti.

Digitized by Google

Et diffinitur à Magiſtro Soto, ex doctrina D. Iſidori lib. 2. Etymologiarum. [Eſt ſcientia diffiniendi, inquirendi, & differendi, quæ docet diſputando, quemadmodum vera, & falſa diiudicentur.] Et de hac dicendum eſt quomodo ſit neceſſaria.

4. Tertiò notandum eſt circa titulum huius capitis, quòd neceſſariũ dicitur multipliciter iuxta multiplex genus cauſarũ; nàm aliquid dicitur neceſſarium ab intrinſeco, & ratione cauſæ formalis, ſicut hominẽ eſſe riſibilem ratione formæ, & ratione cauſæ materialis, ſicut hominem mori, ratione materiæ. Item dicitur neceſſariũ ab extrinſeco, & hoc ratione cauſæ efficientis, & alio nomine dicitur violentum, ſicut neceſſe eſt ſagittam ſurſum proiectam aſcendere, & etiam ratione cauſæ finalis, hoc eſt, in ordine ad aliquem finem. Quod poteſt eſſe dupliciter, vel ſimpliciter: puta ſine quo nõ poteſt quis conſequi finem, vt cibus dicitur neceſſarius ad vitam, quia ſine illo non poteſt vita conſeruari: dicitur etiam aliquid neceſſarium ad bonum, ſeù commodum ipſius finis, ſeù ad melius eſſe, ſicut equus dicitur neceſſarius ad iter faciendum.

5. His ſuppoſitis ſit 1. concl. Logica eſt quodámodo hominibus neceſſaria primo modo, quaſi à propria forma dimanans. Hæc concluſio eſt M. Soto, in qua nihil aliud intendit, niſi quòd homo habeat naturalẽ inclinationem ad Logicam, & ſic dicetur naturalis, ſeù neceſſaria quatenus eſt terminus inclinationis naturalis, & neceſſariæ, quæ dimanat à natura, & forma hominis. Quæ concluſio ſic explicata. Prob ratione. Nam homo, vt diſtinguitur ab alijs animalibus, propriè eſt rationalis, cum illi ſit natiuum progreſſu quodam, ac diſcurſu veritates perueſtigare, & ex notis ad ignota procedere, v. g. viſa eclypſi, cauſã quærere; ſed dialectica eſt ars docens diſſerere, ac ratiocinari: ergo homo habet naturalẽ inclinationẽ in dialecticã.

6. Concluſio 2. Dialectica non tantũ eſt vtilis ad adquirendas alias ſcientias; ſed etiam eſt ſimpliciter neceſſaria. Pr. ratione. Nam non eſt alius modus adquirendi alias ſcientias, niſi per diffinitiones, diuiſiones, ac diſcurſus; ſed dialectica eſt ars, quæ docet diffinire, diuidere, & argumẽtari: ergo dialectica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſciẽtias adquirendas. Et cõfirmatur hoc ex ratione D. Tho. in principio poſter. Nam, teſte Ariſtot. 1. Met. cap. 1. hominum genus arte, & rationibus viuit; in quo differt ab alijs animátibus ratione carentibus, ac proindè quæ nulla arte ducuntur; ſed ſolùm naturali inſtiuctu aguntur: & ob id ad diuerſa opificia adinuentæ ſunt diuerſæ artes, vt ſculptoria, ferraria, &c; ſed intellectus, & ratio non ſolũ ordinat exteriora opera, ſed etiam diſponit ſuos conceptus in formam diffinitionis, ſillogyſmi, &c. ergo ad hoc eſt neceſſaria ars, quę dicitur dialectica. Tunc addendũ eſt quod ſine tali diſpoſitione, & forma non poſſunt adquiri aliæ ſcientiæ: ergo nec poſſunt ſine dialectica. Mitto ſecundam probationẽ eiuſdem concluſionis deſumptam ex authoritate antiquorum, & ſimiliter tertiam acceptam ex pluribus erroribus, qui antiquitùs acciderunt propter ignorantiam Dialecticæ; & remitto lectorem ad conferentiam primam ſummularũ per totam, & ad dicenda in hoc opere, tract 1. conferent. 1.

7. Tertia concluſ. Ars ſophiſtica etiã eſt vtilis, dummodò ſit ad mediocritatem propterea quòd non ſolùm oportet Phyloſophum eſſe in-

Digitized by Google

ſtructum ad docendum veritatem, ſed etiam neceſſum eſt eſſe armatum aduerſus eos, qui fallacijs, & cauillis veritatem adulterant, & impugnant: ſed hoc præſtat ars ſophiſtica: ergo etiam eſt vtilis. Confir. exemplo D. Auguſtini, qui quantò priùs, dùm eſſet gentilis, ſua Dialectica plus nocuit Eccleſiæ, quando cantabatur, [à Logica Auguſtini libera nos Domine,] tantò, poſtea Chriſtianus eadem arte plus profuit contra hæreticos, vnde pro crimine objiciebant illi quòd eſſet Dialecticus, à quo ipſe ſe purgat lib. contra Greſconium gramm. miris modis extollens Dialecticam, aſſerens, Apoſtolos fuiſſe Dialecticos cum ſępè diſputauerint aduerſus Gentiles, imò, & Chriſtum, qui ſæpè diſputauit contra Iudæos. Secundò, vtilis eſt ars ſophiſtica ad exercendum, & exacuendum ingenia iuuenum, vt ſciant in omni materia promptè diſputare. Sed tamen hoc eſt in perniciem hominum, nimium immorari in huiuſmodi.

8. Quarta concluſio. Dialectica eſt priùs diſcenda ante alias ſciẽtias. De hac concluſione dixit M. Soto in Proœmio ſummularum, vbi illam explicuimus, & probatur breuiter. Nam modus ſciendi prærequiritur ad adquiſitionem ſcientiarum, ſicut ars ad conſtructionem domus, & vt ait Ariſtoteles, abſurdum eſt ſimul quęrere ſcientiam, & modum ſciendi; ſed Dialectica tradit modum ſciendi: ergo ipſa priùs adquirenda eſt.

CAPVT 2.

Explicatur an Logica ſit ſcientia.

9. OMiſſis pluribus diſtinctionibus, quas vt fictas à iunioribus logicis, reijcit Mag. Soto, tria ſunt notauda in præſenti. Primum eſt, quòd hic agimus de habitu logicæ acquiſito, qui ordinatur ad diffiniendũ, diuidendũ, & argumẽtãdũ, & verſatur circa opera intellectus, & de hoc intendimus explicare, an ſit ſcientia, ſicut aliæ. Secũdũ nota, qd ſcire eſt rẽ perfectè cognoſcere, ideſt, Ariſt. teſte. 1. Poſt. 5. eſt rẽ per demonſtrationem intelligere. Atq; adeò ſciẽtia eſt habitus generans aſſenſum neceſſarium, & euidentem per demonſtrationem. Tertiũ nota, quòd logica poteſt dupliciter conſiderari, 1. vt docens, 2. vt vtens. Docẽs dicitur, quatenus docet naturam diffinitionis, v. g. & aliorũ inſtrumentorum logicalium; vtens verò vocatur, prout illa vtuntur alij in alijs ſcientijs, ad diffiniendũ, diuidendum, & argumentandũ; accipitur enim hic ly, [vtens] paſſiuè, ideſt, qua vtuntur tractatores aliarum ſcientiarum. Et conſulto dixi ſequens Mag. Soto, quòd logica poteſt dupliciter conſiderari, nõ autem, quòd eſt duplex, nam, vt ipſe exiſtimat, nõ ſunt duo habitus diſtincti, ſed vnus ſub diuerſis conſiderationibus.

10. Quo ſuppoſito duæ concluſ. ponuntur à Magiſt. 1. eſt Logica, vt docens, eſt verè, & propriè ſcientia; non ſolũ pars demoſtratiua, ſed etiã topica, & ſophiſtica. Prob. Scientia eſt habitus generans aſſenſũ neceſſariũ, & euidentẽ per demõſtrationẽ: ſed logica eſt huiuſmodi ſecũdũ tres dictas partes: ergo eſt ſciẽtia ſecundum omnes illas. Maior eſt diffinitio ſcientiæ, & mi. probatur. Quia logica demoſtrat euidẽter ſyllogiſmum demõſtratiuum generare ſcientiã, eadem ratione demonſtrat

quod

Digitized by Google

quòd ſyllogiſmus dialecticus procedẽs ex probabilibus generat opinionem, & quòd ſyllogiſmus ſophiſticus procedens ex apparentibus fallit apparenter: ergo eſt habitus generans aſſenſum neceſſarium, & euidentem per demonſtrationem ſecũdùm tres prædictas partes. Confir. & explicatur hoc. Nã, tàm neceſſaria, & euidens concluſio Logicalis eſt, quòd ſyllogiſmus dialecticus facit opinionem, & quòd ſophiſticus facit apparentiam, quàm quòd demoſtrativus generat ſcientiã, quòd maximè notandum eſt; ſed in parte demonſtratiua oſtendit logica hoc vltimũ, & primũ in parte topica, ſecundũ autẽ in parte ſophiſtica: ergo eſt verè ſcientia ſecũdùm omnes tres partes.

11. Secunda concluſio. Logica, vt vtens, non eſt ſcientia. Prob. Nam vſus logicæ in alijs ſcientijs nõ ſemper generat ſcientiam: ergo vt vtẽs non eſt ſcientia; prob. antecedens. Nã ſi Philoſophus naturalis, aut moralis faciat ſyllogiſmum dialecticum ex probabilibus, non generabit ſciẽtiam, ſed opinionem: & ſi faciat ſophiſticum generabit apparentiam; ergo vſus logicæ in alijs ſcientijs non ſemper generat ſcientiam, & hac ratione docet Mag. Soto, quòd vtens non eſt ſcientia, quia non ſemper in alijs ſcientijs ex vſu logicæ generatur ſcientia.

CAPVT 3.

Explicatur vnitas Logicæ in ratione ſcientiæ.

12. DVplex difficultas verſatur circa vnitatem Logicæ, 1. eſt propria illius, & pertinẽs ad proprium munus Logici, videlicet an logica, vt continet omnes ſuas partes, ſit vna ſciẽtia ſpecie, 2. An ſit vna ſimplex qualitas, vel ex pluribus cõpoſita, & hæc difficultas pertinet ad Metaphiſicũ, & eſt communis omni ſcientiæ.

Circa primam difficultatem. Nominales relati à Mag. Soto aſſerebãt eſſe plures logicas, plures phyloſophias, ità vt quot ſunt obiecta materialia, & particularia in logica, tot multiplicant actus totq; aſſerunt eſſe Logicas. Cõtra quos aſſerit Soto, iſtos ſermones indignos eſſe, qui in ſcholis doceãtur, vt potè quos extrà ſcholam non auderemus proferre.

Quo ſuppoſito, ſtatuitur conc. Logica eſt vna ſcientia ſecundũ ſpeciem. Et prob. Nam logica reſpicit vnam formalem rationem obiecti: ergo eſt vna ſcientia ſpecie. Antecedens eſt certum. Nam licet agat de pluribus obiectis, tamẽ omnia reſpicit ſub vna ratione formali, vt dicetur cap. 5. ſequenti. Et conſequentia probatur. Quia vnitas ſpecifica ſciẽtiæ deſumitur ex vnitate ſpecifica obiecti. Quapropter optimè docet Sot. quod licet in logica eſſent plures habitus partiales, adhuc haberet vnitatem ſpecificam ſcientiæ. Nam nõ repugnat, quòd aliqua res ſit vna in vno genere, & plures in alio, v.g. exercitus in genere ſubſtantiæ eſt plures, nempè plures homines, & in genere quantitatis eſt vnus, ſcilicet vnus numerus.

13. Circa 2. difficultatẽ primò nota qd ad ſcientiã duo requirũtur, alterũ ex parte obiecti, vt putà ſpecies intelligibiles, quæ ſunt ſimilitudines obiecti, atq; adeò ſunt cauſæ apprçhẽſionũ; alterũ eſt ex parte potentiç, qd eſt virtus, & habitus illius inclinãs ad aſſẽſus iudicatiuos. Quo ſuppoſito

Digitized by Google

poſito aliqui Thomiſtæ exiſtimant ſcientiam eſſe collectionem illarum ſpecierum, alij verò eſſe habitum tenentem ſe ex parte potentiæ.

14. Pro reſolutione ſit 1. concl. Scientia propriè ſolū accipitur pro habitu, qui ſe tenet ex parte potentiæ. Prob. Nam ſcire eſt idem quòd iudicare, ſed per ſpecies non iudicamus, ſed per aſſenſum, vel diſſenſum: ergo ſolùm habitus inclinans ad aſſenſum eſt propriè ſcientia.

15. Secunda concluſio. Logica, & quælibet alia ſcientia eſt ſimplex qualitas. Hanc concluſionem eſſe D. Thomæ, nullus poteſt dubitare. Et pr. ratione D. Thomæ. Nam habitus eſt perfectio potentiæ; & eius virtus: ergo debet proportionari cū potētia. Tunc ſic; ſed vna ſimplex potentia reſpicit omnia illa, quæ conueniunt in vnica ratione formali obiecti potentiæ; ergo vnus ſimplex habitus reſpiciet omnia illa, quæ conueniunt in vnica ratione obiecti ſcientiæ. Alias rationes adducit Magiſter, ſed quia de hoc longa nobis erit alibi diſputatio, ſufficiant pro nunc breuiter, & clarè dicta pro captu incipientium.

CAPVT 4.

Explicatur an Logica ſit ſcientia ſpeculatiua.

16. Scientia ſpeculatiua in hoc diſtinguitur à practica qd illa ſit ſolùm propter veritatē cognoſcendam, practica verò ſit propter opus. Item ex Ariſtot. expreſſiùs habetur quòd finis ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt veritas, actiuæ autē opus. Quapropter cum ſcientia ab obiecto, ſeù fine habeat, vt ſit practica, requiruntur duo, vt ſit practica, primum quòd ſit de obiecto operabili à nobis, & ideo de rebus naturalibus non poteſt dari ſcientia practica; v. g. de Cœlis, plantis, animalibus, &c. Secundum, qd finis eius ſit operari; ideſt, quòd ſit proxima regula ipſius operis, & tractet de re operabili modo operabili. Vbi aduerte duos poſſe eſſe fines reſpectu ſcientiæ, alterum ipſius ſcientiæ, & alterū ſcientis, v g quando quis addiſcit ſcientiam aliquā eo animo, vt lucretur pecunias, huiuſmodi lucrum eſt finis ſcientis, hoc eſt, cōſtitutus ſolū ab ipſo ſciente, & iſte non conducit ad conſtituendam ſcientiam practicā, vel ſpeculatiuam. Quia accidentaliter omninò comparatur ad illā; Ad ſcientiam autem ſpeculatiuam ſufficit quòd procedat modo reſolutiuo, in quo diſtinguitur à practica, quæ procedit modo cōpoſitiuo, v. g. ſpeculatiua tractat de naturis rerum reſoluendo vſq; ad prima principia; practica autem inducendo formam in materiam, vt ædificatoria docet dolare ligna, quadrare lapides, conſtruere parietes.

17. Hoc ſuppoſito ſit 1. conc. Logica ſimpliciter, & abſolutè eſt ſciētia ſpeculatiua. Prob. Nam Logica etiam ſi agat de rebus à nobis operabilibus, v. g. Syllogiſmo, &c. non tamet tractat de illis modo operabili, ſed modo reſolutorio contemplando illorum naturas, & concluſiones in ſua principia reſoluendo; ſed hoc ſufficit ad rationem ſcientiæ ſpeculatiuæ: ergo eſt ſcientia ſpeculatiua. Et quia illa ſunt opera facillima, fit vt cognita eorum natura, facilè fabricentur à nobis.

18. Secunda concluſio. Logica, & omnes artes liberales dicuntur quodāmodo artes per quamdam ſimilitudi-

tudi-

Digitized by Google

tudinē ad artes mechanicas. Et probatur ex D. Th 2.2 q.57. art.3. Nam artes liberales ordinantur ad rectè intelligendum, ſeù rectè operandū: ergo habent aliquam ſimilitudinem cum artibus, quæ etiā ordinātur ad operandum. Cœterum deficiunt à vera ratione artis, quia verſantur circa opera ipſius animæ, & ideo dicuntur artes liberales ad differentiam aliarum mechanicarum, quæ dicuntur ſeruiles, eo quòd ſunt propter neceſſitatem corporis, liberales verò propter delectationem animæ, & corpus ſubditur animæ, ſicut ſeruus domino.

19. Tertia concluſio. Dialectica inter omnes artes liberales viciniùs accedit ad ſcientiam ſpeculatiuam, & ratio eſt, quia finis eius eſt ſpeculatio, putà ratiocinari; mox Retorica, cuius finis eſt perſuadere, & ornatè proferre argumenta; deinde grammatica.

CAPVT 5.

Explicatur ſubiectum formale Logicæ.

20. PRiùs notandum, quòd ſubiectū ſcientiæ aliud dicitur inhæſionis, cui inhæret ſcientia, quod eſt intellectus, & de hoc nihil ad rem præſentem. Aliud eſt ſubiectum attributionis, de quo in præſenti tractamus. Item nota, quòd iſta tria nomina, ſcilicet [ſubiectum, obiectum, & materia] ſignificant eandem rē diuerſis rationibus, dicitur.n.[ſubiectum] reſpectu paſſionum, quæ demonſtrantur in ſcientia, & reſpectu illarum dicitur ſubiectum prędicationis, nàm de illo prædicantur paſſiones. [Obiectum] autem vocatur per ordinem ad habitum ſcientiæ, à quo attingitur, & conſideratur illius natura; quare ſignificātiùs dici obiectum, quàm ſubiectum, exiſtimat M. Soto. (Materia) appellatur, vt aliqui volunt, quia eſt primum fundamētum, quod ſupponitur in ſcientia, cum omnis ſupponat ſubiectum ſuum eſſe. Aut fortè materia nuncupatur eadē ratione, qua eſt obiectum, nam obiectum, & materia virtutis idem ſunt, vt author eſt D. Thomas 12. quæſt. 55. artic. 4.

21. Rurſus nota, quòd ſubiectum ſcientiæ aliud eſt adæquatum, quod continet vniuerſa, quæ tractātur in ſcientia, ſicut ens eſt ſubiectum Metaphiſicæ, aliud vero dicitur obiectum præcipuum, ſeù principalitatis, & eſt illud de quo eſt principalis intentio in ſcientia, v.g. ſubſtantia eſt obiectum principale in Metaphiſica. Tres autem cōditiones debet habere obiectum adæquatum. Prima eſt. Quæcunque ſunt in ſcientia, continentur ſub tali obiecto, & conſequenter debet comprehendere omnia, tanquam prædicatum vniuerſale. Et ideo dicitur ſubiectum attributionis, quia illi omnia attribuuntur. Secunda conditio eſt. Cognitio obiecti adæquati principaliter intenditur in ſcientia, ità vt omnia, quæ tractat, eò tendant, vt habeatur perfecta cognitio talis obiecti. Tertia conditio. Per obiectum adæquatum diſtinguitur ſcientia ab alijs ſcientijs, & ab illo ſumit ſuam ſpeciem.

22. His ſuppoſitis, ſit prima concluſio. Ens rationis eſt ſubiectū, ſeù obiectum formale adæquatum logicæ. Et ante eius probationem, nota quòd ens rationis poteſt ſumi dupliciter, primò effectiuè, ſeù ſubiectiuè, idest

ideſt, pro omni illo quod effectiuè procedit ab intellectu, & in illo ſubiectatur, quales sũt operationes, & cõceptus formales ab intellectu producti, & in ſe ipſo recepti, & tales ſunt entia realia, & de his in præsẽti non loquimur. Secundò dicitur ens rationis obiectiuè, nempè pro illo, eſſe obiectiuo, quod reſultat in rebus ipſis ex conſideratione intellectus, & hoc propriè eſt, & dicitur ens rationis, vt conſtabit cap. ſequenti, & hoc aſſerimus in concluſione eſſe obiectum adæquatum logicę. Et pr. 1. ex Ariſtotile 4. metaph. text. 5. vbi ait quòd Metaphiſicus, & Logicus agũt de omni ente, ſcilicet Metaphiſicus de ente reali, & Logicus de ente rationis, quod poteſt conuenire omni enti Nàm omne ens poteſt cognoſci ſub ratione, generis, ſpeciei, &c. Idem docuit D. Thomas ibidẽ lect. 4. & Opuſc. 42. cap. 4. & alibi ſæpè. Secundo pr. ratione. Nã, illud eſt obiectum adæquatum alicuius ſcientiæ, cui conueniunt tres conditiones ſuprapoſitæ; ſed iſtæ conueniunt enti rationis: ergo ens rationis eſt obiectum adæquatum logicæ. Maior eſt certa, & prob. mi. Nam ens rationis comprehendit omnia, quæ continentur in logica, & ſub illius ratione attinguntur, non enim logica tractat niſi de genere, ſpecie, propoſitione, ſyllogiſmo, & alijs, quę omnia ſunt entia rationis, & hæc eſt prima conditio obiecti adæquati. Item. Logica principaliter intendit naturam entis rationis explicare, & illius proprietates demonſtrare, tàm in ratione cõmuni, quàm in ſpeciali, quæ eſt ſecunda conditio obiecti adæquati: & tandem tertia illi conuenit. Nàm ab alijs ſcientijs in hoc diſtinguitur, quòd alię attingunt entia realia; ipſa vero attingit ens rationis, & quia ab ipſo ſpecificatur, dicitur ſpecialiter ſcientia rationalis, ideſt, tractans de ente rationis, vt de ſuo proprio obiecto diſtinctiuo, & ſpecificatiuo: ergo enti rationis conueniuut omnes conditiones obiecti adæquati logicæ.

23. Secunda concluſio. Subiectum principale logicæ, ideſt, inter obiecta materialia illud, quod principaliter intendit explicare logica, eſt argumentatio. Probatur. Nam de omnibus alijs tractat logica in ordine ad conficiendam argumentationem, vt conſtabit diſcurrenti per ſingula: ergo argumentatio eſt obiectum principale inter obiecta materialia. Neç hinc infertur, ait Magiſter Soto, quod demonſtratio ſit obiectum principale. Nàm finis Logicæ non eſt, niſi verum inquirere, ſiuè id fiat per ſyllogiſmum, ſiuè per aliud genus argumentationis; ſed accidit quod inter argumentationes præemineat ſyllogiſmus demonſtratiuus.

CAPVT 6.

Explicatur natura entis rationis, & proponuntur eius diuiſiones.

24. BReuiter explicuit Magiſter Soto naturam entis rationis, ſed quia paſſim illius notitia eſt neceſſaria, vtile duxi illud diffinire, & diuidere in proœmio logicæ, quantùm ſufficiat ad noſtrũ inſtitutum, cùm non ſit propriũ munus Logici, ſed Metaphiſici dè illo latè tractare. Igitur ſuppoſita diſtinctio-

Digitized by Google

ſtinctione poſita in capite antecedenti. Ens rationis propriè ſumptum ſic diffinitur. [Eſt illud quod tantùm habet eſſe obiectiuè in intellectu] in hoc, quod eſt [habere eſſe] conuenit cum ente reali; & differt à pluribus in eo quod habeat eſſe [in intellectu;) ſunt enim multa entia realia, quæ nullatenus pendent in ſuo eſſe ab intellectu, verbi grat. [homo, lapis, &c.] rurſus illa particula [obiectiuè] excludit illa entia realia, quæ dependent ab intellectu, tanquam à ſubiecto, vel cauſa efficiente, verbi gratia, operatio intellectus, & conceptus illius, & ſpecies impreſſæ ſubiectantur in intellectu, & ab illo fiunt, & non tantum habent eſſe [obiectiuè] ideſt per modum obiecti, vt requiritur ad naturam entis rationis, & idcirco ſunt ſimpliciter entia realia. Denique particula (tantùm) ponitur, vt denotetur quod ens rationis præter illud eſſe obiectiuum in intellectu non dēt habere aliud eſſe à parte rei, & ideò quamuis aliqua entia realia obijciātur intellectui, quia tamen habent ſuum eſſe proprium à parte rei, non dicuntur entia rationis. Itaque illud dicitur propriè ens rationis, qd præter eſſe obiectiuum, quod habet in intellectu, non habet aliud eſſe à parte rei. In quo autem conſiſtat illius natura, & à qua potentia, vel per quem actum fiat dicemus latè in noſtris conferentijs tractatu ſecundò proœmiali.

25. Circa diuiſionem entis rationis nota, quod in illo tria poſſumus conſiderare. Primum eſt illud ſubiectum, cui attribuitur. Secundū ratio ipſa, quæ concipitur, & attribuitur alteri. Tertium id, ad cuius ſimilitudinem concipitur, & apprehenditur. Ita docet Magiſter Ioannes à Sancto Thoma quæſt. 2. art. 1. Quo ſuppoſito triplex aſſignari poteſt diuiſio. Prima ex parte illius, cui attribuitur, & ſic diuiditur in illud, quod habet fundamētum in re, & in illud quod non habet fundamentum in re. Illud dicitur habere fundamentum in re, quod in re habet aliquid, cui attribuitur, v. g. intentio [ſpeciei, generis,] quæ attribuitur naturis realibus. Illud autem non habet fundamentum in re, quod non habet à parte rei aliquid cui attribuatur, verbi gratia, chimera, & plura alia, quæ ſunt merè figmenta.

26. Secunda diuiſio ex parte illius, quod concipitur, & ſic diuiditur in negationem, priuationem, & relationem. Vbi nota, quòd priuatio in hoc diſtinguitur à negatione, quòd hæc eſt carentia formæ in ſubiecto incapaci illius, v. g. carentia viſus in lapide dicitur negatio viſus, quia lapis non eſt capax potentiæ viſiuæ, illa autem eſt carentia formæ in ſubiecto apto ad illam recipiendam, v. g. cæcitas eſt priuatio reſpectu hominis, quia homo eſt capax potentiæ viſiuæ Itaque quando intellectus conſiderat negationem viſus, ac ſi eſſet aliquid in lapide, tunc producit formam quandam rationis, quæ dicitur negatio, ſumpta denominatione à ſuo fundamento reali. Quando verò conſiderat priuationem viſus, ac ſi eſſet aliquid in oculo, & per modum cuiuſdam nebulæ operientis illum, tunc format quandam formam rationis, quæ dicitur priuatio, etiam ſumpta denominatione à fundamento reali. Quapropter negatio, & priuatio ſi conſiderentur (remotiuè) vt dixit Caietanus, aliquid reale eſt, nempè realis remotio potentiæ viſiuæ, ſi autem talis remotio,

Digitized by Google

conſideretur, ac ſi eſſet aliquid in re ipſa inhærens, cum in re non inhæreat, dicitur ens rationis, & eſt forma poſitiua rationis, quæ vocatur nomine ſui fundamenti. Relatio rationis dicitur reſpectus ille, quem format intellectus inter duo extrema, quæ in re non ſe reſpiciunt, ſed multoties identificantur, v.g. reſpectus, quem format intellectus in natura humana ad ſua indiuidua, cum quibus in re identificatur, qui reſpectus eſt intentio ſpeciei. Vbi nota quod licet D. Thomas quæſt. 21 de veritate art. 1. diuidat ens rationis adæquatè in negationem, & relationem, quia tamen communiter dicitur, quòd ſub negatione includitur etiam priuatio, idcircò ad maiorem explicationem, diuiſi illud in tria membra prædicta.

27. Tertia diuiſio ex parte illius, ad cuius ſimilitudinem fit, non poteſt habere membra determinata, ſed per omnia genera rerum diuagatur. Nam poteſt concipi ad inſtar ſubſtantiæ, vt quando concipitur chimera, aut mons aureus, item ad modum quantitatis, v. g. quando concipitur Vacuum, ac ſi eſſet aliqua quantitas, & ad modum qualitatis, vt quando concipitur cæcitas ad modum alicuius inhærentis in oculo.

Inter iſtas diuiſiones, ſecunda eſt directa, & formalis entis rationis. Nam, vt aduertit Mag. Ioa. à Sancto Thoma, illud, quod concipitur, eſt formale in ente rationis. Et relictis omnibus, quia ad intentum Logici præcipuum non pertinent, reſtat diuidere relationem rationis, nam Logica tantum agit de entibus rationis contentis ſub relatione.

28. Relatio rationis immediatè diuiditur in primam, & ſecundam intentionem. Et non loquimur de intentione quæ eſt actus voluntatis; ſed de illa, quę ad intellectum pertinet. Et hæc eſt duplex altera formalis, & obiectiua altera: Intentio formalis eſt ipſa actio, ſeù conceptus formalis intellectus. Obiectiua dicitur ipſum obiectum cognitum, v. g. quando cognoſco hominem, conceptus, ſeù cognitio dicitur intentio formalis, & homo ipſe cognitus eſt intentio obiectiua. Hæc autem eſt duplex, altera dicitur prima, quando ſcilicet cognoſcitur res, ſecundū illud, quod habet à parte rei, v. g. quando cognoſco hominem ſecundùm ſua prędicata realia. Altera eſt ſecunda, quando cognoſcitur res, ſecundum illud, quod habet in ordine ad intellectum, v. g. quando cognoſco hominem in ordine ad ſua indiuidua. Item aduerte quod hæc intentio obiectiua poteſt ſumi dupliciter, 1. pro obiecto cognito, & hoc modo poteſt eſſe aliquid reale, vel rationis. 2. Pro relatione reſultante in obiecto cognito, & hæc eſt ens rationis, ſi igitur eſt relatio cogniti ad cognoſcentem dicitur prima intentio; ſi vero eſt relatio ſecuta ad ſecundam cognitionem in ordine ad aliud, eſt ſecunda intentio, & de his propriè agit Logica, non autem in tota ſua vniuerſalitate, vt dicemus tractatu 1. Conferentia 2. ſed tātum de illis, quę deſeruire poſſunt ad directionem operationum intellectus. De primis autem intentionibus non agit per ſe, ſed quatenus ſunt fundamentum ad ſecundas. In fine autem totius huius compendij aſſignabimus coordinationem omnium ſpecierum relationis rationis. Hæc modo ſufficiant de procemio Logicæ.

LIBER SECVNDVS Prædicabilium Porphyrij.

29. LIBER iſte Græcè vocatur Porphyrion Iſagoge idest [vt explicat Mag. Soto] Porphyrij introductio. Dicitur autem abſolutè introductio, quia opuſculũ hoc eſt introductorium nõ ſolùm ad logicam; ſed etiam ad alias ſcientias, cum multùm conducat ad conficiẽda inſtrumenta ſciendi, quibus aliæ ſcientiæ vtuntur. Et quia author huius libri fuit Philoſophus quidam Platonicus, qui vocabatur Porphyrius, ideo dicitur introductio Porphyrij, qui Græco ſermone ſcripſit. Et quamuis plures fuerint authores interprætes huius libri, tamen M. Soto inter alios, elegit Ioannem Argyropylum quia, cum eſſet natione Græcus, & Latinè egregiè doctus, Græcam proprietatem latiniſſimè exhibuit.

CAPVT I.

Explicatur proœmium huius libri.

30. IN duas partes diuidit Mag. Soto Prologum huius libri, & ait quod in 1. reddit auditorem attentum, & in ſecunda reddit illum docilem. Ex duobus enim pendet attentio auditoris, primò ex intentione dicentis ſecundò ex vtilitate materiæ dicendæ, ſeù explicandæ. Quapropter ait Porphyrius ſuam intentionẽ tendere ad explicanda quinque vniuerſalia, quæ maximè ſunt neceſſaria ad Philoſophiam. Ecce explicatam intentionem, & vtilitatem operis. Et hanc vlteriùs explicat dicens quòd cognitio vniuerſalium ad quatuor eſt neceſſaria, videlicet ad notitiam prædicamentorum, ad conficiendas diffinitiones, ad vsũ deniq; diuidendi, & demonſtrandi Quæ autem, & qualis ſit huiuſmodi neceſſitas explicuimus lib 1. proœmiali c. 1. & latè tractatu 1. conf. 1. & dicemus infra tract. 1 conf. 1

31. In ſecũda parte prologi intẽdit reddere diſcipulum docilem. Ad cuius intelligentiam elegantiſſimè aduertit M. Soto, tria eſſe, quæ diſcipulos deterrent, & pigros efficiunt Primum eſt, prolixitas, ſecundum obſcuritas, tertium profunditas ſentẽtiarum. Aduerſus primum ait Porphyrius compendioſam, & breuem facturum eſſe traditionem Contra ſecundum promittit procedendum eſſe velut introductionis modo, videlicet ſimpliciter præcipiendo, ideſt, tradẽdo præcepta, & non diſputando. Aduerſus tertium dicit ab altioribus quæſtionibus ſe abſtinere, ſimpliciores verò mediocriter coniectare. Et ex hoc reddit diſcipulum docilem, & auidum doctrinæ.

Digitized by Google

CAPVT 2.

Explicatur natura vniuerſalis Logici.

32. AD intelligentiam vniuerſalis Logici, aduerte quòd vniuerſale nihil aliud eſt quàm illud, quod aliquo modo reſpicit plura. Et iuxta diuerſum modum reſpiciendi plura, diuiditur vniuerſale à Magiſtro Soto, hic quæſtione 1. in vniuerſale in cauſando, in repræſentando, & in eſſendo, ſeù prædicando. Vniuerſale in cauſando eſt illud, quod reſpicit plura, vt cauſa illorum, v.g. Deus, Sol, & plures aliæ cauſæ, quæ diuerſos effectus producunt. Vniuerſale in repræſentando eſt illud, quod repræſentat plura, vt ſunt ſpecies impreſſæ actus intellectus, & voces repræſentantes plura. Et de his non eſt nobis in præſenti agendum, ſed de vniuerſali in eſſendo, ſeu prædicando, quod dicitur vniuerſale Logicum, eo quòd ad Logicæ munus pertineat.

33. In qua acceptione ſic diffinitur. Eſt [vnum aptum eſſe in multis, & prædicari de illis.) in qua diffinitione explicatur eſſentia vniuerſalis, quæ conſiſtit in aptitudine ad eſſendum in multis. & vltra explicatur eius propria paſſio, quæ eſt aptitudo proxima ad prædicandum de illis. Quapropter talis diffinitio eſt virtualiter duplex, & acuratè explicanda eſt. Primò enim vniuerſale debet eſſe (vnum) ideſt, incomplexum tàm ex parte vocis ſignificatis, quàm ex parte rei ſignificatæ, & ideo excluduntur omnia complexa, vt ſunt omnes propoſitiones vniuerſales, & omnia principia complexa. Item debet eſſe (vnum) ideſt, completum, & idcircò entia incompleta non dicuntur vniuerſalia, vt ſunt anima rationalis, & aliæ partes componentes aliquod totum. Tandem debet eſſe [vnum] ideſt vniuocum, vt excludantur omnia æquiuoca, & analoga. Et ratio eſt. Nam hic agimus de vniuerſalibus, quæ poſſunt deſeruire ad coordinationem prædicamentorum, ad quæ non pertinent complexa incompleta, æquiuoca, aut analoga, vt dicitur in libro tertio de ante prædicamentis. Secundò vniuerſale debet eſſe aptum ad eſſendum in multis, & prædicari de illis, in quo denotatur eius eſſentiam conſiſtere in aptitudine, ſeù potentia ad eſſendum in multis, non autem in eo, quòd actualiter ſit, aut prædicetur de illis. Eſſe autem in multis, & prædicari de multis eſt exercitium proprium vniuerſalis præſupponens illius eſſentiam, & paſſionem iam conſtitutam. Quæ autem vnitas, vel aptitudo requiratur, dicemus cap. ſequenti.

34. Tandem nota in vniuerſali includi ipſam rem, quæ concipitur vnitate, & aptitudine ad eſſendum in multis, & hæc dicitur vniuerſale Metaphiſicum, eo quòd Metaphiſicus de huiuſmodi rebus ſic conſideratis tractat; & vltra includi relationem ipſam, qua reſpicit plura, quæ eſt ſecunda intentio rationis, & pro, vt ſic dicitur vniuerſale Logicum, quia proprium munus Logicæ eſt naturam ſecundarum intentionum explicare, & quia ad iſtarum cognitionem, multum conducit cognoſcere

Digitized by Google

ſcere naturas rerum, in quibus fundantur, ideò ſolent plures quæſtiones in Logica tractari, quæ videntur ad metaphiſicam pertinere.

35. Circa hoc vniuerſale in eſſendo diuerſa extitere antiquitùs deliramenta, Heraclitus, & Cratilus dixerunt nullum tale vniuerſale dari, ſed omnia eſſe ſingularia, & corruptibilia. Quos impugnant communiter Logici, eo quòd tollunt è medio ſcientias, quæ de vniuerſalibus, & incorruptibilibus agunt, & ordinem noſtri intellectus, qui à cognitione vniuerſalium incipit. Plato poſuit vniuerſalia in eſſendo ſeparata in re ab omnibus ſingularibus fingens quaſdam ideas, v. g. hominis, & equi, &c. ſeparatas realiter ab omni in diuiduo, quæ poſitio impoſſibi is iudicatur ab omnibus.

Et ratio eſt, quia nihil eſt in rerum natura, quod non habeat eſſe productum per aliquam realem actionem, quæ neceſſariò tendit ad ſingularia: ergo nihil poteſt eſſe in rerum natura, quod non ſit ſingulare, ſed de hoc ſufficiat, & veniamus ad noſtrum intentum.

CAPVT 3.

Quæ, & qualis vnitas, & aptitudo requiratur ad uniuerſale explicatur.

36. DVo explicanda ſunt in præſenti, & circa primum, ſcilicet vnitatem, notandum eſt, primò, quod vnitas nihil aliud eſt quam (entitas carens diuiſione,] ita vt ſupra ens nihil addat præter ipſam carentiam diuiſionis, ipſa tamen in ſuo conſtitutiuo includit vtrumquè, nempè entitatem, & carentiam. Et iuxta diuerſos modos illius carentiæ, ſeù negationis diuiſionis eſt duplex vnitas, altera dicitur formalis, & eſt (carentia, ſeù negatio diuiſionis per principia formalia,) & hoc modo Petrus, & Paulus dicuntur vnum formaliter, nam carent diuiſione proueniente à principijs formalibus, quæ ſunt prædicata ſpecifica, in quibus conueniunt. Altera eſt vnitas numerica, ſeù negatio diuiſionis per principia materialia, & indiuidualia, verbi gratia, Petrus eſt vnus numericè, quia non habet diuiſionem in ſuis principijs materialibus, & indiuiduantibus. Rurſus vnitas formalis eſt duplex. Prima ſpecifica conſiſtens in carentia diuiſionis per principia formalia, & ſpecifica, vt conſtat in exemplo adducto de Petro, & Paulo, qui ſunt vnum formaliter ſpecificè. Secunda eſt generica, quæ eſt carentia diuiſionis penes principia formalia generica, & ſic dicuntur vnum formaliter genericè homo, & equus.

37. Deniquè vnitas formalis eſt duplex alia eſt vnitas negatiua, & altera poſitiua. In quarum explicatione eſt magna æquiuocatio inter authores, quæ oritur ex eo quòd cum vnitas formaliter explicet negationem, difficile percipitur vnitas poſitiua. Attendite, & videte claram, & breuem explicationē valde vtilem ad intelligentiam aliquarum quæſtionum de vniuerſalibus. Vnitas negatiua dicitur illa, quę pręcisè dicit carentiā diuiſionis, & hoc mo-

modo Petrus, & Paulus dicuntur vnum formaliter negatiuè à parte rei, quia ex principiis formalibus non habent vllam diuiſionem Vnitas formalis poſitiua præter dictam carentiam diuiſionis formalis, addit quòd ex alio capite non ſit diuiſio per principia materialia, quapropter Petrus, & Paulus à parte rei non ſunt vnum formaliter poſitiuè, quia licet habeant carentiam diuiſionis formalis; diuiduntur tamen actualiter per principia materialia, & numerica.

38. Quo ſuppoſito dico 1. ad vniuerſale Logicum requiritur vnitas formalis, ſiuè ſpecifica, ſiuè generica, quæ ſit vnitas poſitiua. Hoc eſt dicere: Illa natura, quæ caret diuiſione formali, & actuali diuiſione materiali, ſeu numerica, eſt quæ poteſt denominari à ſecunda intentione vniuerſalis. Et ratio eſt. Natura vniuerſalis eſt illa, quæ ex modo, quem habet, poteſt eſſe in multis: ſed ſi non habet carentiam diuiſionis formalis non poteſt eſſe in multis, & eodem modo, ſi actualiter eſt diuiſa in multis diſtinctis numero, iam eadem non poterit eſſe in illis, cum in illis ſit actualiter diuiſa: ergo talis vnitas, quæ ſit poſitiua modo explicato, requiritur ad vniuerſalitatem logicam.

39. Circa ſecundum nota 2. quòd aptitudo nihil aliud eſt, quàm capacitas ad aliquem actum. Et eſt duplex, prima dicitur negatiua, & conſiſtit in quadam indifferentia, ſeù non repugnantia ad actum, altera autem conſiſtit in poſitiuo reſpectu, ſeù tendentia ad actum. Quapropter in natura humana eſt duplex aptitudo ad eſſendum in multis indiuiduis, altera poſitiua, quæ eſt poſitiuus reſpectus, & tendentia ad plura indiuidua, & cum huiuſmodi reſpectus ſit ſecunda intentio rationis, per illum conſtituitur formaliter vniuerſale Logicum. Altera aptitudo eſt negatiua, & ſe habens per modum fundamenti ad illum reſpectum rationis, & hæc aptitudo talis debet eſſe, vt ratione illius dicatur quòd naturæ non repugnat multis communicari, ita vt ipſa non diuidatur, ſeù multiplicetur in illis. Et hæc aptitudo eſt fundamentum proximum alterius aptitudinis poſitiuę, quæ eſt ſecunda intentio rationis.

40. Ex quo breuiter infertur quòd fundamentum proximum vniuerſalitatis eſt vnitas poſitiua modo explicato, & aptitudo negatiua, modo nuper dicto. Et ſic manet explicata diffinitio ipſius vniuerſalis, in qua per fundamentum proximum ſecundæ intentionis explicatur natura ipſius vniuerſalis. Quæ autem pluralitas requiratur, & ſufficiat ad vniuerſalitatem dicemus in noſtris conferentijs,

CAPVT 4.

Explicatur quid ſit actù eſſe in multis, & actù prædicari.

41. AGimus de actibus correſpondentibus illi aptitudini, ſeù capacitati, quæ aſſignatur, vt fundamentum proximum relationis rationis, per quam conſtituitur formaliter vniuerſale. Ad cuius intelligentiam aduerte quòd in vniuerſali conſiderandum eſt id quod eſt materiale, ſeù fundamentum relationis, & ipſa relatio, & proprius actus iſtius eſt actua-

Digitized by Google

actualiter referre naturam ad plura in quibus poteſt eſſe, ita vt etiam ſi natura actualiter non ſit in pluribus, tamen actù referatur ad illa, cum verò aptitudo, ſeù capacitas ſe habeat per modum fundamenti, in præſenti explicare contendimus actum correſpondentem tali aptitudini, ſeù capacitati.

42. Duplex actus correſpondet, primus eſt actualiter eſſe in multis per contractionem, ſeù identitatem, ſecundus eſt prædicari de illis, id eſt, applicari ad multa per ſecundam operationem intellectus. Itaque ſicut aptitudo, ſeù capacitas inuenitur in natura ad eſſendum in multis per identitatem, ita actus correſpondes huic aptitudini eſt ipſum eſſe in multis, cum quibus identificatur; v. g. Natura humana eſt apta ad eſſendum in Petro, & Paulo, ideſt ad identificationem cum illis; & quando cum illis actualiter intelligitur identificari, tunc exercet proprium actum ipſius aptitudinis. Hunc actum identificationis præſupponit alius actus prædicationis, nam ex eo quòd prædicta natura intelligatur identificata cum multis, oritur quòd intellectus componat illam cum illis in ſecunda operatione, & hoc eſt proprie prædicari.

Ex quo ſequitur duplicem eſſe aptitudinem in natura, vnam ad eſſendum in multis, & alteram ad prædicandum de illis. Et per primam conſtituitur eſſentialiter fundamentum proximum vniuerſalis, & ſecunda eſt propria paſſio.

CAPVT 5.

Varij modi prædicationis explicantur.

43. AD numerum venandum prædicabilium neceſſariam eſſe notitiam prædicationum, ait Magiſt. Soto hic quæſt. 5. atqui prædicatio apud dialecticos idem ſignificat quod enunciatio. Et eſt triplex, nempè identica, diſparata, & medio modo ſe habens, & hæc dicitur formalis. Identica eſt illa, in qua prædicatur idem de eodem, v. g. (homo eſt homo.) Diſparata eſt in qua prædicatur diſparatum de diſparato, v. g. (homo eſt lapis.) Formalis eſt illa, in qua ſunt extrema differentia, quæ ſibi mutuo conuenire poſſunt, v. g. [homo eſt animal.

44. Rurſus prædicatio identica duplex, alia identica formaliter, & eſt quando ex vi ſignificationis terminorum idem ſignificatur, ſiuè ſit idem terminus, ſiuè diuerſi, ſynonomi tamen, v.g. [homo eſt homo,] vel iſta, [gladius eſt enſis,] alia eſt identica materialiter, v. g. ſi ſit eadem realitas cum diuerſis ſignificationibus, vt in hac (actio eſt paſſio) quæ ſolet communiter inueniri in tranſcendentibus, & in terminis diuinis, v.g. Iſtæ ſunt identicæ [bonum eſt verum, ens eſt bonum,] & iſtæ in diuinis, [iuſtitia eſt miſericordia, Pater eſt eſſentia diuina, &c.

45. Deinde prædicatio formalis eſt duplex, alia indirecta, in qua id, quod ſe habet vt forma, eſt ſubiectum, & id, quod ſe habet vt materia, eſt prædicatum, v.g. (animal eſt homo)

homo] alia eſt directa, in qua prædicatum eſt id, quod eſt forma, & ſubiectum id, quod eſt materia, v. g. [homo eſt animal,] quas diffinitiones, ſic explicat Mag. Soto, vt directa prædicatio ſit in qua prædicatum ſeruat ſitum prædicati, & id, quod eſt ſubiectum, ſeruat ſitum ſubiecti. Situs enim prædicati eſt poſt copulam, & ſitus ſubiecti ante copulam. In prædicatione autem indirecta inuertitur ordo.

46. Vlteriùs prædicatio directa eſt duplex. Alia eſſentialis, in qua prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, v. g. [homo eſt animal,] aut [homo eſt rationalis.] Alia accidentalis, in qua prædicatum eſt extra eſſentiam ſubiecti, v. g. [homo eſt albus.) Prædicatio eſſentialis eſt duplex, alia quidditatiua, in qua prędicatum dicit quid eſt ſubiectum. v. g. [homo eſt animal] alia [non quidditatiua,] in qua prædicatum non dicit quid eſt ſubiectum. Vt in hac homo eſt rationalis. Prædicatio accidentalis diuiditur in accidentalem proprij, & accidentis communis, de quibus infra dicetur.

47. Circa diuiſionem prædicationis eſſentialis in quidditatiuam, & non quidditatiuam, nota non eſſe idem prædicari eſſentialiter, quod prædicari quiddatiuè, vt notat. Mag. Soto hic quæſt. 1. de genere ad 2. argumentum. Nam prædicari eſſentialiter eſt quòd prædicatum ſit de eſſentia ſubiecti, & ſic tàm genus, quàm differentia prædicantur eſſentialiter de ſuis inferioribus. Prædicari autem quidditatiuè eſt quòd prædicatum ſit materia ſubiecti, vel vt materia ſignificetur, non autem vt forma, & hac ratione genus prædicatur, quidditatiuè nõ autem differentia. Et ratio huius redditur à M. Soto ibidem, nam differentia ſe habet per modum formæ, & actus generis, & quidquid ſe habet per modum formæ, quodam modo dicitur qualitas, & id, quod ſe habet, vt materia, ſe habet, vt quid reſpectu ſubiecti, tamen differentia eſt qualitas ſubſtantialis. Et ſummitur proportio ex artificialibus. Si enim quæratur quid eſt ſcamnum, reſpondetur, quod eſt lignum. Si autem quæratur quale lignum, reſpondetur, quòd eſt lignum ſic figuratum. Eadem proportione ſi quęratur quid eſt homo, reſpondetur quòd eſt animal, & ſi quæratur quale animal, reſpondetur quòd eſt rationale, ex quo infertur quid ſit prædicari in quid, & quid ſit prædicari in quale.

CAPVT 6.

Explicatur quomodo concreta, & abſtracta inter ſe prædicantur.

48. DE modo, quo prædicantur inter ſe concreta, & abſtracta egit Mag. Soto quæſtion. 1. de genere. §. [at ſecundo.] ad cuius intelligentiam notat, quòd duplex eſt abſtractio. Alia, qua vniuerſale abſtrahitur à ſuis inferioribus, v. g. ratio hominis à conditionibus indiuiduantibus: & alia qua forma abſtrahitur à ſuo ſubiecto, v. g. albedo ab albo, & humanitas ab homine. Quapropter prima dicitur abſtractio vniuerſalis, & ſecunda abſtractio formalis. Quo ſuppoſito quælibet forma, ſiuè ſubſtantia-

Digitized by Google

ſtantialis, ſiue accidentalis, poteſt accipi, & vt ſignificatur in abſtracto, & vt ſignificatur in concreto. Et de modo, quo inter ſe poſſunt prædicari, dicemus in præſenti.

49. Et quidem certum eſt concreta ſiuè ſubſtantialia, ſiuè accidẽtalia poſſe inter ſe prædicari, verbi gratia, [homo eſt animal, homo eſt albus, album eſt coloratum, &c. Item certum eſt quod in formis accidentalibus abſtractum ſuperius rectè prædicatur de inferiori verbi gratia [albedo eſt color, nigredo eſt qualitas, &c.] Et ratio huius eſt. Nam prædicatum debet continere totum, quod continet ſubiectum, vt ſit bona prædicatio, quando vnum de altero affirmatur, & prædictis prædicationibus prædicatum continet totum, quod continet ſubiectum, & ideò ſunt rectę prædicationes. Ex quo infertur quod abſtracta ſiuè ſubſtãtialia ſiuè accidentalia ſint, non poſſunt prædicari de ſuis concretis, & idcircò, iſtæ ſunt malę prędicationes [homo eſt humanitas, album eſt albedo &c. quia prædicatum, quod eſt forma abſtractè ſignificata, non continet totum, quod continet ſubiectũ, quod eſt concretum. Nam forma ſe habet, vt pars, & ſubiectum, vt totum, & pars minus continet, quam totum.

50. Excluduntur autem abſtracta tranſcendentia, & diuina, quæ optimè poſſunt prædicari de ſuis cõcretis, verbi gratia [ens eſt entitas, Deus eſt Deitas, &c.) quia propter omnimodam identificationem, & intimam tranſcendentiam, abſtracta ipſa in rei veritate non ſunt partes, neque concretum aliquid amplius habet, vt contingit in aliis abſtractis nuper relatis. In qua doctrina conueniunt ferè omnes Logici; eſt autem difficultas an abſtracta poſſint prędicari de abſtractis in ſubſtãtialibus, verbi gratia, an hęc ſit bona pdicatio, [humanitas eſt animalitas,] ſed de hoc in noſtris conferentijs.

51 Circa prædicationes in terminis ſignificantibus ſecundas intentiones, nota quòd ſecunda intentio, ſi comparetur cum natura denominata, ſe habet vt accidens reſpectu ſui ſubiecti. Et idcircò ſeruanda eſt regula ad prædicationes de concretis accidentalibus tradita. Si autem cõparetur ad alias ſecundas intentiones, ſeruabitur regula tradita pro prædicationibus ipſorum accidentium inter ſe.

CAPVT 7.

Explicatur diuiſio uniuerſalis, ſeu prædicabilis in quinque prædicabilia.

52 Vniuerſale, ſeu prædicabile diuidi in quinque ſpecies, certum eſt apud omnes, & docuit Porphyrius, & D. Thomas 1. contrag. cap. 32. ſpecies autem ſunt, (genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens.] Et huius diuiſionis ſufficientiam, & qualitates iam explicamus, Et in primis nota quòd vniuerſale, ſeu prędicabile, de quo in præſenti loquimur, eſt illud quod conducit ad conſtituenda prędicamenta. De alijs verò hic non eſt ſermo, & conſequenter diuiſum huius diuiſionis eſt tale prędicabile.

53 Quo ſuppoſitò, duplici ratio

Digitized by Google

ne probat Megiſter Soto ſufficientiam huius diuiſionis. Prima ex proportione ſumpta à compoſito naturali. In quo quinque tantum inueniuntur, ſcilicet compoſitum, materia, forma, proprium competens ratione formæ, & accidens conueniens ratione materiæ. Ad hunc modum iu compoſitione metaphiſica eſt compoſitum putà [ſpecies,] materia ſcilicet [genus,] & forma quæ eſt [differentia, & proprinm, & accidens.] Conſtat enim ſpecies ex genere, & differentia, tanquam ex materia, & forma. Ex qua proportione ſic formatur ratio, Nam ſecunda intentio vniuerſalis, ſeu prædicabilis optimè diuiditur, ſeu diſtinguitur in ordine ad ſubiecta adæquata, quæ per ipſam poſſunt denominari; ſed tantum ſunt illa quinque ſubiecta enumerata in compoſitione metaphiſica, ergo tantum erunt quinque ſecundæ intentiones vniuerſalis, ſeu prædicabilis.

54. Secunda ratio deſumitur ex diuerſo modo prædicandi. Et ſic proponitur. Nam prædicabilia debent diſtingui penes diuerſos modos prædicandi; ſed tantum ſunt quinque modi prędicandi ergo tantùm ſunt quinque prędicabilia. Probatur minor. Nam quidquid prędicatur, vel prædicatur eſſentia liter, vel accidentaliter, ſed tantum ſunt tres modi predicandi eſſentialiter, & duo prædicandi accidentaliter; ergo quinque ſunt modi prędicandi. Probatur minor. Nam vel prędicatur tota eſſentia, vel eius pars materialis, vel pars formalis, ſi tota eſſentia, erit [ſpecies,] [ſi pars materialis [genus,] ſi pars formalis, differentia, ergo in prędicatione eſſentiali ſunt tantum tres modi. Item prędicari accidentaliter tantùm poteſt inueniri, vel reſpectu accidentis proprij, vel communis, ergo tantùm ſunt quinque modi prędicandi, & cõſequenter quinque prędicabila tantùm.

55. Ex hac vltima ratione infertur quòd prędicabile immediatè diuiditur in duo membra, tanquàm in ſpecies ſubalternas, nempè prædicabile eſſentiale, & accidentale, Et rurſus illud in tria, ſcillicet [genus, ſpeciem, & differentiam.] Et hoc in alia duo membra, nimirum, Proprium, & accidens commune. Et, vt aduertit Magiſter Soto, optimè poteſt diuidi genus remotum per ſuas ſpecies infimas, quando iſtę poſſuut certo, & determinato numero comprehendi, vt contingit in hac diuiſione prædicabilis in quinque ſpecies infimas.

CAPVT 8.

De genere explicatur eius diffinitio.

56 IN hoc capite de genere docet Magiſter Soto ordinem ſeruandum in proceſſu tractationis prædicabilium eſſe eum, vt prædicata eſſentialia præcedant, & inter eſſentialia, præferantur, quidditatiua, & inter quidditatiua ante ponatur genus, ſicut inter accidentalia antecedit proprium. Et notat quòd quamuis [ſpecies] ſit prædicatum quidditatiuum, & perfectius genere,

cum

cum ſupra hoc addat differentiam, & alias ſit principaliter intenta à natura, tamen melius eſſe docet exordium ſumere à genere, quia eſt pars ſpeciei,& vniuerſalius, & conſequenter notius nobis,& ordo ſeruandus in progreſſu ſcientiarum eſt ab illo, quod eſt notius nobis, vt docuit Ariſtot. 1. Phyſic. text. 1.

57 Ad intelligentiam diffinitionis generis nota quod genus tripliciter ſumitur primo pro collectione multorum habentium habitudinem inter ſe, & ad vnum primum. exemplum adducitur à Mag. Soto, vt Heraclidarum collectio dicitur genus propter politiã, & leges eaſdem, quibus omnes tenentur, & quia ab vno Hercule deſcendunt. Secundo modo accipitur genus pro principio generationis vniuſcuiuſque, quod habet à Patre, vel à Patria, vt Oreſtes habet genus à Tantalo, qui fuit Atauus eius, & Plato ab Athenis patria ſua. Tertio ſumitur pro eo, cui ſupponitur ſpecies, verbi gratia, animal, cui ſupponitur homo. Et relictis duabus acceptationibus, & alijs multis, quibus vtuntur grãmatici,& Rhetores, in præſenti agimus de genere ſumpto tertio modo.

58 Genus igitur ſic diffinitur, Eſt [quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quòd quid] verbi gratia animal prædicatur de homine, equo, Leone &c. qui inter ſe differunt ſpecie, & vt pars quidditatiua ipſorum. Hanc diffinitionem eſſe bonam conſtat ex eo quòd per illam optimè explicatur id in quo genus conuenit cum aliis,& id, in quo ab omni alio diſtinguitur, vt ex illius explicatione conſtabit, [Prædicari] ponitur loco generis, in quo conuenit cum omni alio prædicabili,& cum ipſo indiuiduo. [De pluribus) ponitur, vt differat ab indiuiduo, quod de vno ſolo prædicatur. (De differentibus ſpecie] ad differentiam (ſpeciei) quæ prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus, [Inquid] ponitur ad excludenda tria vltima prædicabilia, nempè [differentiam, proprium, & accidens, quæ prædicantur in quale. Vbi nota quòd in hac vltima particula explicatur proprius,& ſpecificus modus prædicandi generis, qui eſt prædicari inquid, ideſt, quidditatiuè, vt explicui, in quo differt non ſolùm à tribus vltimis prædicabilibus, ſed etiam ab [ſpecie) quæ licet prædicetur, quidditatiuè, tamen affert totam,& adæquatam quidditatem, genus autem ſolum dicit partem materialẽ quidditatis.

59 Circa diffinitum huius diffinitionis eſt longa, & prolixa quæſtio inter Logicos, pronunc ſufficiat addiſcentibus credere diffinitum eſſe ſecundam intentionem in concreto, ideſt, hoc concretum [genus] quod de materiali dicit naturam denominatam, & de formali ſecundam intentionem denominantem. De modo autem, quo hæc duo intrant in ratione diffiniti latè dicemus ſuo loco,& de alijs, quæ hic deſunt.

Digitized by Google

CAPVT. 9.

De ſpecie, proponuntur diffinitiones.

60. Priùs notandum quòd hoc nomen ſpecies accipitur primo modo pro forma, qua res aliqua dicitur formoſa iuxta illud ſpecies Priami digna eſt imperio, quod exemplum adducit Porphyrius, vt alluderet ad infælicitatem Priami, qui cũ eſſet forma præſtantiſſimus, atquè adeò dignus imperio cenſeretur, iniqua tamen fortuna Regno cecidit. Ita M. Soto afferens huiuſmodi eſſe primã acceptionem illius nominis [ſpecies) iuxta Latinos, & inde Philoſophi, & Dialectici tranſtulerunt nomen ad ſignificandam ſpeciem, quæ eſt ſub genere, & hæc eſt ſecunda acceptio illius nominis, iuxta quam.

61. Duplex diffinitio aſſignatur ſpeciei, altera in ordine ad genus nempè, [ſpecies eſt quæ ſubijcitur generi, quod de ipſa in quid prędicatur.) Et hęc dicitur ſpecies ſubijcibilis, quæ conſtituitur per immediatam ſubiectionem ad genus, vt diſtinguatur ab indiuiduo, quod mediatè tantùm ſubijcitur, ideſt media ipſa ſpecie. Altera diffinitio eſt in ordine ad inferiora, & vt talis ſic diffinitur, (ſpecies eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid.) In qua diffinitione duo propria ſpeciei aſſignantur. Primum eſt, quod reſpicit plura ſolo numero diſtincta, & hæc immediatè reſpicit, vt diſtinguatur à genere, quod immediatè reſpicit plura ſpecie diſtincta, etiam ſi mediatè reſpiciat plura ſolo numero diſtincta, nempe omnia indiuidua ſuarum ſpecierum de quibus prædicatur. Secundus eſt modus proprius prędicandi in quid, ideſt, quidditatiuè afferens totam eſſentiam, vt diſtinguatur à genere, quòd affert partẽ eſſentię, & à tribus vltimis prædicabilibus, quę prædicãtur in quale, vt dicebam capite antecedenti.

62 Quo ſuppoſito aduerte quod licet in ſpecie ſint duæ illæ relationes, & ſubijcibilitatis ad genus, & prædicabilitatis reſpectu inferiorũ, tamen in ratione vniuerſalis conſtituitur per hanc ſecundam, qua reſpicit inferiora Nam ratione illius conſtituitur in ratione ſuperioris, vt requiritur ad vniuerſale. Quo modo autem ſe habeãt iſtæ duæ relationes, an diſparate reſpectu naiuræ denominaiæ, vel cum aliquo ordine alibi dicetur.

CAPVT. 10.

De Indiuiduo explicantur diffinitiones.

63 CVm indiuiduum ſit correlatiuum ſpeciei, ſicut ſpecies eſt correlatiuum generis, ideò in hoc capite de ſpecie agit Porphyrius hic de indiuiduo. Ait enim eſſe triplex, determinatum, vagum, & ex ſuppoſitione, de quibus dixi lib. 1. ſum. cap. 7. &

Digitized by Google

& hic docet Magiſter Soto illa non eſſe tria indiuidua in re, ſed eſſe tria nomina ſignificantia idem indiuiduum, ſeu quæ eidem indiuiduo poſſunt applicari.

64 Ad intelligentiam diffinitionum indiuidui nota quod indiuiduum poteſt ſumi dupliciter. Primò pro natura iſta reali exiſtente à parte rei indiuiduata, & hoc mō dicitur indiuiduū primò intētionaliter. Secūdo prò ſecūda intētione indiuidui, & prout ſic dicitur indiuiduum (ſecundo intētionaliter) Quo ſuppoſito indiuiduū acceptum primo modo ſic diffinitur. Eſt [cuius collectio proprietatum non poteſt inueniri in alio.) vergi gratia collectio proprietatum, quæ ſunt in Petro, non inueniūtur in alio indiuiduo, ad differentiam ſpeciei, quæ cum omnibus ſuis proprietatibus inuenitur in omni ſuo indiuiduo. Proprietates autem indiuidui ſunt ſeptem, & continentur ſequenti verſic.

Forma, figura, locus tempus, cum nomine ſanguii
Patria ſunt ſeptem, quæ non habet vnus, & alter,

Forma, ideſt, qualitas, vt color, & complexio, nā forma ſubſtantialis potius pertinet ad ſpeciem. (figura) vt lineamenta corporis) locus, & tempus, putà, hic, & nunc, vt eſſe natvm ſub tali climate, talique reſpectu Cæli, & tali tempore anni. (Nomē, & ſanguis] nempè eſſe genitū ex talibus parentibus (Patria) ideſt, oriundum ex tali Patria. Quę proprietates conueniunt indiuiduo completo ſubſtantię. Et ſic iſtud tantùm eſt diffinitum in præfata diffinitione.

Item, indiuiduum acceptum pro ſecunda intentione reſpicit ſpeciē, & prout ſic diffinitur à Porphyrio eſt illud (quod ſubijcitur ſpecici, & reſpicit id de quo prędicatur]. & vt ſic diffinitur indiuiduum (eſt quod de vno tantùm prædicatur) quę facilè intelliguntur.

CAPVT II.

De differētia explicātur diuiſiones, & propria diffinitio tertij prædicabilis proponitur.

65 RECto ordine ſequitur agere de differentia, quæ eſt tertium prædicabile ad cuius intelligentiam ali quæ diuiſiones differentiæ in hoc capite proponuntur à Porphirio, quas explicat Mag. Soto. Primo diuiditur in differentiam communem, proprium, & propriiſſimam. [Communis] eſt illa quæ [prouenit ab aliquo accidenti, quod vni extremo conuenit, & poteſt conuenire vtrique] v. g. ambulatio conuenit Petro, in quo differt à Paulo ſedente, & tamen Paulo poteſt conuenire ambulatio, & ratione illius differt à Petro ſedente. [Propria eſt accidens inſeparabile, in quo vnum differt ab alio.] v. g. Naſi curuitas, vbi notat Mag. Soto non apponi exemplum proprij ſpecifici, quia non eſt ſermo Porphirij de differentia, qua ſpecies

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

cies inter ſe differunt, ſed qua differunt indiuidua ſub eadem ſpecie. [Proprijsſima] eſt id, [quo vnum eſſentlaliter differt ab alio vt rationale. Inter has autem differentias duæ priores dicuntur differentiæ ſecundum quid, quamuis quo ad nos peius occurrant ſenſui, & proprijsſima eſt membrum principale, & ſimpliciter differentia. Quapropter docet Mag. Soto hanc diuiſionem eſſe analogam.

66 Secunda diuiſio eſt in illam quæ facit diuerſum per accidens, & illam, quæ facit diuerſum per ſe, quæ diuiſio potius eſt explicatio præcedentis. Nam differentia communis, & propria facit diuerſum per accidens, & proprijſſima facit diuerſum per ſe. Tertia diuiſio in differentiam ſeparabilem, & inſeparabilem. Quæ diuiſio in primo membro comprehendit differentiam communem, quæ ſeparabilis eſt, & in ſecundo membro compræhendit differentiam propriam, & proprijsſimam, quæ ſunt inſeparabiles. Quarta diuiſio eſt differentiæ inſeparabilis, nam alia ineſt per ſe, vt differentia proprijsſima. Alia ineſt per accidens, vt oculorum cæcitas curuitas naſi, quæ ſunt propriæ differentiæ.

67 Denique quinta diuiſio eſt differentiæ proprijsſimæ, in illam quæ diuidit genus, & in illam, quæ conſtituit ſpeciem circa: quam diuiſionem nota eum Magiſt. Soto quod poteſt intelligi de diuerſis differentijs, vel de eadem ſecundùm diuerſas rationes, Et vtroque modo verificatur. Nam eiuſdem generis ſubalterni aliæ ſunt differentiæ conſtitutiuæ, & aliæ diuiſiuæ v. g. corporis differentia conſtitutiua eſt corporeum: diuiſiuæ vero ſunt animatum, & inanimatũ. Ita vt genus illud, vt eſt ſpecies, conſtituatur per vnam differentiam, & per aliam diuidatur. Item ſi concipiatur eadem differentia reſpectu generis eſt diuiſiua, & reſpectu ſpeciei eſt conſtitutiua, verbi gratia rationale diuidit animal, & conſtituit hominem.

68 Poſitis iam præfatis diuiſionibus Porphyrius proponit plures alias diffinitiones differentiæ proprijsſimæ. Ad quarum intelligentiam notat M. Soto q̃d differentia proprijsſima habet tres reſpectus, primum ad genus, quod diuidit, & ratione huius eſt prima diffinitio. Differentia [eſt quæ diuidit genus.] Secundum reſpectum habet ad ſpeciem, quam conſtituit, & ratione iſtius diffinitur quod ſit [conſtitutiua ſpeciei.] Tertius reſpectus eſt ad ſpeciem etiam, quam diuidit ab alijs, & & prçter iſtum aſſignatur altera diffinitio, nempe quod [facit differre ab omni alio.] Itaque habet tres effectus formales diuidere genus, conſtituere ſpeciem, & facere illam differre ab alio, & iſte vltimus eſt proprijsſimus, & exercetur etiam reſpectu indiuiduorum, Ex quo intelliges facile omnes diffinitiones, quas aſſignat Porphyrius, quas relinquo, vt veniamus ad diffinitionem differeutiæ, quatenus eſt tertium prædicabile.

69 In qua acceptione [differentia eſt quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale,] v. g. ſenſibile prædicatnr de homine, & leone, qui ſpecie differunt inter ſe. [In quale] explicat proprium modum prædicãdi differentiæ, quę etiam ſi ſit de quidditate, & eſſentia

tia

tia inferiorum, tamen prædicatur ad modum qualitatis, vt ſupra explicaui cap. 5. videatur ibi. Circa diffinitum huius diffinitionis eſt difficultas an ſit differentia prout abſtrahit à ſubalterna, & infima, an vero tantum differentia ſubalterna, cum de infima non poſſit dici quod prædicetur de pluribus differẽtibus ſpecie v. g. rationale tantùm prædicatur de pluribus ſolo numero diſtinctis. Ad quam difficultatẽ ſunt varij modi reſpõdẽdi quos refert M. Soto hic quæſt. vnica ad ſextum argumentum de quibus latè dicemus in noſtris controuerſijs. Sufficiat modo dicere Porphyrium intendiſſe diffinire ſolam differentiam ſubalternam vel quia eſt nobis notior, vel quia iudicabat infimam non eſſe ſimplicem, ſed compoſitam.

CAPVT 12.

De proprio, quod eſt quartum prædicabile (?)

90 PRoprium accipitur qua dupliciter. [Primò] pro illo, [quod conuenit ſoli ſpeciei, ſed non omni indiniduo] v. g. eſſe medicum vel Geometram, [Secundò] quod conuenit omni indiuiduo, ſed non ſoli ſpeciei verbi gratia eſſe bipedem conuenit omni homini, ſed non ſoli homini, cum alijs animalibus cõueniat. Tertiò, quod conuenit omni, & ſoli, ſed non ſemper, verbi gratia Caneſcere conuenit omni homini, & ſolis hominibus, non autem in omni tempore. Quarto quod cõuenit omni, ſoli, & ſemper, verbi gratia riſibile conuenit omni homini, & illi ſoli, & in omni tempore. Et de hoc proprio quarto modo agimns in præſenti, & eſt illud quod conſtituit fundamentum prædicabilitatis pertinentis ad quartum prædicabiie.

71 Et ſic diffinitur à M. Soto [Proprium eſt vniuerſale, quod prædicatur de ſpecie accidentaliter intranſmutabiliter, & conuertibiliter,] verbi gratia riſibile, [accidentaliter] ad differentiam vltimæ differentiæ, quæ prædicatur eſſentialiter. [Intranſmutabiliter] ad differentiam accidentium communium. [Conuertibiliter] ad differẽtiam proprii ſecundum quid. Alia quę hic tractat M. Soto, explicabũtur in controuerſiis.

CAPVT 13.

De accidente, quod eſt quintum prædicabile.

72 CAput hoc breuiſſimũ eſt, in quo agimus de accidenti communi, ideſt, de illo, quod non dimanat ex principijs eſſentialibus. Et poteſt dupliciter diffiniri. Primò ſic [accidens eſt quod adeſt, & abeſt ſine ſubiecti corruptione, verbi gratia albedo poteſt adeſſe, & ab eſſe ab homine abſque illius corruptione. Et diuiditur in accidens ſeparabile, &

inſe-

Digitized by Google

& inſeparabile. Circa quod aduertit Mag. Soto quod quando dicitur quod accidens poteſt adeſſe, vel abeſſe abſque ſubiecti corruptione, ſic debet intelligi quod per intellectum poſsit ſubiectum intelligi ſine tali accidenti. Tamen quantū ad realem ſeparationem, aliqua ſunt inſeparabilia, verbi gratia nigredo corui, & alia ſeparabilia, verbi gratia ambulatio, &c.

Secundò diffinitur accidēs, vt eſt quintum prædicabile [eſt, vniuerſale quod prædicatur de pluribus accidentaliter, & transmutabiliter,] album, (accidentaliter ad differentiā generis, ſpeciei, & differentiæ.] Et (tranſmutabiliter) ad differentiā proprij quarti prædicabilis.

73 Tandem Magiſter Soto in fine huius libri prædicabilium explicat vltimum capitulum Porphyrij, de quo ait eſſe proxilius, quam neceſſarium erat, quanuis nonnihil vtilitatis habeat, nihilominus tàm parua eſt vtilitas, vt totum illud relinquere magis eſſe vtile exiſtimarem, eò vel maximè nam ex dictis optimè poteſt colligi quo modo inter ſe comparentur prędicabilia, in quo tam prolixè immoratus eſt Porphyrius.

LIBER PRÆDICAMENTORVM ARISTOTELIS.

IN initio cuiuſcunque operis octo eſſe adnotāda docet Mag. Soto ex Comām. 1. Phiſ. comm. 1. circa auctorem duo, puta [nomen, & intentionem,] circa librum ſex, nempè [nomen, vtilitatem, proportionem, ordinem, modum procedendi, & diuiſionem.] De quibus latiſſimè agit ſapientiſsimus magiſter, cuius doctrinam in compendium breue redigemus capite ſequenti proæmiali.

CAPVT I.

Proœmiale, in quo explicantur prædicta octo notabilia.

75 CIrca primum, nempe autorem huius libri, & nomen illius facilè, & breuiter dicimus fuiſſe Ariſtotilem, qui fuit celebratiſsimus Philoſophus, ab Stagira Macedoniæ vrbe oriūdus, patre Nicomacho

me

madico ortus, anno ab orbe condito 3655. & ante partum Virginis 381. diſcipulus Platonis, & poſtea Peripateticorum Princeps, ſcripſit opera adeo multa, vt quæ modò extant minima ſit eorum pars, inter quæ hoc opus eſſe suum indubitatum eſſe debet. De alijs verò circa vitam, & doctriuam Ariſtotelis videatur M. Soto, hæc nobis modo ſufficiant.

76 Nomen libri in Græco, loco prædicamenti, ponitur [Categoria] cui Latinè correſpondet [prædicatio,)& Categoroma dicitur latinè prædicatum & ipſam feriem, seu ordinem prædicatorum dicimus prædicamentũ. Quod ita diffinitur. Eſt prædicatorum ordinatio, quorum ſuperiora de inferioribus quidditatiuè prædicantur.]De quo poſtea dicemus, & ex dictis conſtat nomen libri, & etiam quæ ſit auctoris intentio, ſcilicet agere de prædicamentis, ideſt, de coordinationibus prædicatorum. An verò eius mens fuerit agere de ſolis vocibus ſignificantibus, vel de rebus ſignificatis, res eſt parui momenti, cui reſpondet Magiſt. Soto, ipſum intendere principaliter agere de rebus, prout ſubſtant ſecundis intentionibus, & de vocibus inſtrumentaliter, quatenùs deſeruiunt ad ipſas res manifeſtaudas.

77 (Vtilitas operis manifeſtatur ex eo, quòd notitia prædicamentorum eſt valdè neceſſaria ad alias ſcientias; tùm ad conſtruendas diffinitiones, quę debent conſtare ex proprio genere, & differentia, quę non poſſunt cognoſci, niſi cognoſcamus ordinem, & diſpoſitionem decem generum; tùm ad demonſtrationes faciendas, quę conſtant ex propoſitionibus neceſſarijs, & per ſe. Non enim cognoſcere quis poteſt, quod nam prędicatum conueniat per ſe, & quod per accidens, niſi habita notitia prędicamentorum; tùm quia ſunt plures alię vtilitates, quas longum eſſet recenſere.

78 [Proportio] huius libri ad toram Logicam eſt quod eſt eius pars, & reliquarum partium ianua. Nam verſatur circa directionem primę operationis intellectus, quę eſt ſimplicium appręhenſio, & quę prę ſupponitur ad alias operationes, & conſequenter hęc pars Logicę eſt prima reſpectu aliarum, quæ verſantur circa directionem ſecundæ, & tertię operationis. Si autem dicas quod in prima operatione intellectus non inuenitur verum, aut falsũ, & conſequenter non indiget directione. Reſpoudeo cum Mag. Soto. Quòd quamuis in ſimplicibus notitijs non inueniatur verum, & falsũ, nihilominus poteſt error contingere in applicatione vnius notitię ad aliam, & hoc docet liber prędicamentorum, nempe facere rectam applicationem.

79 [Modus procedendi] in hoc opere eſt modus doctrinæ, qui vt ait Magiſter Soto, non eſt demonſtratiuus, ſicut modus ſcientiæ mathematicæ, ſed procedit per diffinitiones, diuiſiones, & documenta modo introductorio. Vbi vides, quàm conformiter ad ſtylum Ariſtotelis, & ordinem doctrinæ elegerim hunc procedendi modum introductorium per diffinitiones, diuiſiones, & documenta, antequam modum demonſtratiuum incipiam per controuerſias, & diſputationes. Item nota quomodo Ariſteles ſolum proponit in hoc opere diffinitiones, diuiſiones, & documẽ-

D ta,

ra, ac ſi nobis manifeſtè dixerit hęc ſufficere ad alias ſcientias, vt dicebamus in ſummulis tract. 1. confer. 1. & dicemus poſtea tract. 1. conferent. 1. de neceſſitate Logicæ.

80 [De diuiſione] autem operis ait Magiſter Soto quod in codice gręco præſens opus non diuiditur in diuerſos titulos, ſed ſub titulo prędicamentorum continet capitula quatuordecim. Tamen expoſitores illud partiuntur in tria, verbi gratia [ante prædicamenta, prędicamenta, & poſt prędicamenta.] Quibus ſuppoſitis de his omnibus ſuo ordine, & ſolita breuitate dicemus.

CAPVT 2.

Quid, & quotuplex ſit ante prædicamentum explicatur.

81 ANteprædicamentum eſt [præambulum viam ad prædicamẽtorum notitiam aperiens.] Vbi nota quod non dicitur propriè ante prędicamentum, niſi illa, quæ Ariſtotiles iecit, vt fundamentum in principio prædicamentorum. Et idcircò prædicabilia, licet ſint neceſſaria ad prædicamenta non tamen ſunt antepręḍicam: Iſta in communi ſunt tria, nempe (diffinitio diuiſio, & regula) & in ſpeciali ſunt ſeptem puta tres diffinitiones, duæ diuiſiones, & duæ regulæ. Diffinitiones ſunt ęquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum

82 Prima diffinitio. (Aequiuoca dicuntur, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantię nomini accommodata diuerſa,) verbi gratia. Canis dicitur de latrabili, cęleſti, & marino. Vniuoca dicũtur, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantię nomini accommodata eadẽ) verbi gratia homo diuicitur de Petro, & Paulo. Ad cuius intelligentiam nota quod res ſignificatę dicuntur æquiuocę, & nomẽ ſignificans dicitur æquiuocum, hoc autem dicitur æquiuocum æquiuocans, illæ autem æquiuoca æquiuocata. Et ſimiliter nomen dicitur vniuocum vniuocans, & res ſignificatæ dicuntur vniuoca vniuocata. Et in prędictis ſignificationibus diffiniuntur ęquiuoca ęquiuocata, & & vniuoca vniuocata. Quapropter, quia res in ſe ipſis non ſunt æquiuocę, aut vniuocę, niſi prout ſignificentur nominibus, ideo in diffinitionibus notanter dicitur (ęquiuoca dicuntur; vniuoca dicuntur,) nõ autem dicitur, (ęquiuoca ſunt.] Aequiuoca & vniuoca cõueniũt in hòc, quod ſignificantur eodẽ nòmine, differunt autem in eo quod ęquiuoca ſignificantur, vt diuerſa; & vniuoca, vt conueniunt in aliqua ratione communi ſignificata per nomen. De quo etiam diximus in ſummulis. Tertia diffinitio eſt denominatiuorum, & ſic habetur. (Denominatiua dicuntur, quę ab aliquo nominis appellationem habent, ſolo differentia caſu,) v. g. à grammatica denominatur grammaticus.

83. Ratio autem ſpecialis, quarę prędictas diffinitiones ante prędicamentales poſuit Ariſtoteles,

Digitized by Google

toteles, ea eſt; Nam prædicamenta triplicem ordinem, ſeu reſpe-ctum habent. Primus, quo omnia continentur ſub nomine illo tranſcendenti, (ens,] & reſpectu illius ſunt quodammodo æquiuoca, ideſt, analoga, vt in ſequentibus dicemus. Alter eſt, quo ſingula generaliſſima referuntur ad ſua inferiora, de quibus vniuocè prædicantur. Tertius verò eſt, quo vnum prædicamentum refertur ad aliud. Prædicatur enim vnum de alio ſolùm denominatiuè, & præſertim nouem accidentia de prædicamento ſubſtantiæ. Et hac de cauſa neceſſarium fuit prænoſcere rationem æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum. Ex quo deduxit Magiſter Soto, quòd, quia reſpectus ad ens eſt primus, iuxta quem prædicamenta, æquiuocantur, ſeu analogantur, ideò prius poſuit Ariſtoteles diffinitionem æquiuocorum, quamuis vniuoca perfectiora ſint, ſed, quia prædicamenta non purè æquiuocantur, ſed analogantur in ente, ideò dicendum de analogis in communi, & aliquid de analogia entis, quod præſtabitur capite quarto.

84. Contra diffinitionem denomiuatiuorum notat Magiſt. Soto primò, quòd in quocunque denominatiuo tria à parte rei debent conſiderari. Primum eſt res ipſa denominata, ſecundum eſt forma denominans, & tertium eſt ipſum denominatiuum, verbi gratia albedo eſt res denominans album, & Petrus, in quo eſt albedo, eſt res denominata. & album eſt ipſum determinatiuum. Ex quo rectè intelligitur diffinitio, nam denominatiuum differt à re denominante ſolùm (caſu] ideſt cadentia nominis, Nam nomina in principio conueniunt, & in fine differunt, verbi gratia [albedo, albus] vbi vides quòd albus dicitur ab albedine, & idem nomen conuenit vtriq; cum ſola differentia in fine, ſeu in cadentia.

85 Secundò nota in prædicta diffinitione tres conditiones includi. Prima eſt, quòd denominatiuum deriuetur à forma denominante ſecundùm nomen. Et non intelligitur iuxtà regulas, grammaticæ, iuxtà quas non ſemper concretum deriuatur ab abſtracto, ſed frequentius è contra ſed iuxta regulas Logicæ, in qua abſtractum eſt prima radix concreti. Secunda eſt quòd differunt [caſu] ideſt cadētia nominis in fine: & hoc intelligitur per ſe, nam per accidens poſſunt non differre, v. g. [Muſica] ſumitur adiectiuè pro fœmina, & ſubſtantiuè pro arte. Vnde hæc eſt vera propoſitio, [Maria eſt Muſica.] caſu enim accidit quod non ſit differentia in caſu, ſeu in cadentia nominis, cum in prima deriuatione, quæ fit in maſculino genere ſit talis differentia. Tertia conditio eſt, vt denominatiuum, & forma denominans non differant in re ſignificata, ſed ſola cadentia nominis, quamuis compatiatur diuerſitas modi ſignificandi inter abſtractum, & concretum.

+

Digitized by Google

CAPVT 3.

Explicantur diuiſiones, & regulæ ante prædicamentales.

86 PRima diuiſio ante prædicamentalis eſt Eorũ quæ dicuntur, alia cum cõplexione, alia ſine complexione dicuntur. Hæc diuiſio in res dictas complexè, aut incomplexè, correſpondet il i diuiſioni, qua inſummulis diuiditur terminus in complexum, & incomplexum. Cum hac differẽtia, quòd diuiſio ſummuliſtica eſt de terminis ſignificatiuis, & hæc ante prædicamentalis eſt de rebus ſignificatis. Inter quas aliquæ dicuntur complexæ v. g. [homo currit homo albus,] & aliæ dicuntur incomplexæ verbi gratia [homo currit, &c. quæ diuiſio ad hoc ponitur, vt cognoſcatur quod ſolæ res incomplexæ ponuntur in prædicamento. Aliæ verò afferunt ſæpè plura pertinentia ad diuerſa prædicamenta, vel ad idem directa linea, & ad latus, exemplum primi eſt [homo albus,] & ſecundi homo rationalis.

87 Secunda diuiſio eſt quadrimẽbris. Eorum quæ ſunt, (quædam de ſubiecto dicuntur, in ſubiecto tamẽ non ſunt verbi grtaia ſubſtantiæ vniuerſales, quæ prædicantur de aliquo ſubiecto, quod dicitur ſubiectũ prædicationis, non tamen ſunt inhæſiuè in aliquo ſubiecto, quod ſit ſubiectũ inhæſionis. [Quædam in ſubiecto ſunt, & non dicuntur de ſubiecto,] v. g. accidentia ſingularia, quæ ſunt in ſubiecto, cui inhærent, non tamen prædicantur de aliquo ſubiecto ſibi eſſentialiter inferiori, quod ſit ſubiectm prædicationis [Quædã in ſubiecto ſunt, & de ſubiecto dicuntur] v. g. accidentia vniuerſalia, quæ inhærent in aliquo ſubiecto, & dicuntur de ſuis inferioribus, tanquã de ſubiecto prædicationis. [Quædã verò neque in ſubiecto ſunt, neque de ſubiecto dicuntur] v. g ſubſtantiæ ſingulares, quæ non inhærent alicui ſubiecto, nec de aliquo prædicãtur.

88 In qua diuiſione adæquatè enumerauit Ariſtoteles omnia prędicata, & ſubiecta ponibilia in prædicamento. Nam omne ponibile eſt vniuerſale ſubſtantiæ, vel vniuerſale accidentis, aut indiuiduum accidentis. Duo priora comprehendunt omnia prædicata, & duo poſteriora omnia ſubiecta. In primo membro ponitur prædicatum vniuerſale ſubſtantiæ, in tertio prędicatum vniuerſale accidentis. In ſecundo ſubiectum indiuiduum accidentis, & in quarto ſubiectnm indiuiduum ſubſtantiæ.

89 Vltimo loco ponuntur duæ regulæ anteprædicamentales. Prima. [Cum quidpiam de quopiam prædicatur, vt de ſubiecto: ea quæ de prædicato dicuntur, dicentur etiam de ſubiecto.] Hoc eſt dicere, quando aliquod prædicatum dicitur de aliquo ſubiecto, omnia prædicata, quæ dicuntur de prædicato, dicentur de ſubiecto, verbi gratia, homo prædicatur de Petro, & de homine prædicatur, quod ſit animal, viuens, &c. & hæc omnia prædicata dicuntur de Petro. Hæc regula habet varias explicationes. Prima, & magis ad mentem Ariſtote-

Digitized by Google

totelis, eſt, quod debeat intelligi de prædicato quidditatiuo, quod quidditatiuè Prædicatur de aliquo ſubiecto, tunc omnia alia prædicata quidditatiua illius prædicati dicentur etiam quidditatiuè de ſubiecto, vt in exemplo poſito, non autem alia prędicata accidentalia, v.g. de homine prædicatur quod ſit ſpecies, non tamen de Petro, quia eſſe ſpeciem eſt prędicatum accidentale hominis. Secunda explicatio ſe extendit ad prædicata accidentis proprij, quę dicuntur de prędicato, & etiam dicuntur de ſubiecto, v.g de homine dicitur, quòd ſit riſibilis, & etiam dicitur de Petro. Tertia explicatio eſt, quòd omne prædicatum, quod vniuerſaliter dicitur de prædicato, dicetur de ſubiecto v g. de homine dicitur, quòd ſit animal, & rurſus verificatur omne animal eſſe album, tunc tale prædicatum dicetur de ſubiecto. Cæterum licet hæc explicatio ſit vera, non tamen eſt iuxtà intentum regulæ, quę intendit docere naturam prædicati ſecundum ſe, nō autem ratione diſtributionis, in virtute cuius verificatur talis explicatio, vt hic docet Magiſter Soto. Quapropter prima explicatio eſt ad mentem Ariſtotelis, & iuxta illam hæc regula deſeruit ad prædicata coordinata in recta linea prædicamentali, quæ omnia dicuntur de primo ſubiecto illius coordinationis.

90. Secunda regula eſt. Diuerſa genera non ſubalternatim poſita diuerſas habent differentias, genera autem ſubalternatim poſita poſſunt habere eaſdem differentias. Hæc regula habet duas partes, in prima traditur quòd genera diuerſa debent habere diuerſas differentias formaliter, & non tantum materialiter, ſeu accidentaliter, ſi talia genera non ſubalternatim ponantur, v.g. Corporeum, & incorporeum ſunt duo genera, quorum quodlibet debet habere diuerſas differentias. Secunda pars docet quòd, ſi talia genera ſubalternatim ponantur, poſſunt habere eaſdem differentias, v.g. Viuens, & animal habent eaſdem differentias, ſcilicet rationale, & irrationale.

91. Circa iſtam regulam duo parua dubia, ait Magiſter Soto eſſe. Primum de quibus generibus intelligatur eſſe ſubalternatim poſita, vel non ſubalternatim. Et reſpondet debere intelligi de illis, quorum vnum ſub alio ponitur, v. g. corporeum, & viuens; hęc enim quamuis ponantur ſub alio genere, nempè ſubſtantiæ, dicuntur non ſubalternatim poni, & de his verificatur quòd debeant habere diuerſas differentias. Secundum dubium eſt de quibus differentijs intelligatur; & reſpondet quòd de omnibus tam diuiſiuis generis, quàm conſtitutiuis, nam omnium eſt eadem ratio.

CAPVT. 4.

De Analogis.

92 AD intelligentiam analogorum oportet exponere [analogiam.] Et, quia eſt cognitu neceſſaria, promittit Magiſt. Soto, eam latiùs explicare. Et quantum ad vocē ipsā,

idem

idem in græco ſignificat (analogia) quod latinè (comparatio,) ſeu (proportio) dicitur autem proportio iuxta geometram, qui vocat proportionem, iſtam proportionalitatem, ideſt proportionem inter duas proportiones, vt ridere analogicè dicitur de riſu hominis, & de riſu prati, nam qualis eſt proportio riſus ad hominem, talis eſt floriditatis ad pratum, quæ eſt quædam prati lætitia.

93. Hoc ſuppoſito, vt ſeruetur modus deffiniendi Ariſtotelis, ſic diffiniuntur, (Analoga dicuntur, quorum nomen eſt commune, ratio vero ſubſtantiæ nomini accommodata, proportionalis. Vt in exemplo poſito. Itaque analoga medium locum tenent inter æquiuoca, & vniuoca, nam hæc habent eandem communem rationem, illa vero omnimodam diuerſitatem ſignificant. Analoga vero neque eandem, neque diuerſam, ſed mediam, ideſt partim eandem, & partim diuerſam, & hoc eſt habere rationem proportionalem.

94. Rurſus duplex eſt analogia, proportionalitatis, & proportionis. Analagia proportionalitatis eſt quando nomen ſignificat res propter proportionalitatem, v.g ridens ſignificat hominem, & pratum propter proportionem dictam. Analogia proportionis eſt quando nomen ſignificat pluta per habitudinem, & attributionem, quam habent ad vnum, v.g. (ſanum) ſignificat vrinam, & medicinam, & animal, quatenùs duo prima ordinantur ad ſanitatem animalis.

95. Ad intelligentiam huius diuiſionis nota quòd proportionalitas eſt habitudo, quæ eſt inter duas proportiones, vt in exemplo de riſu hominis, & prati. Proportio autem eſt habitbdo vnius rei ad aliam, v g. vrina, vt ſanitatis ſignum ordinatur ad ſanitatem animalis. Ex qua differẽtia ſequuntur aliquae regulae ad vtranque analogiam. Pro analogia proportionalitatis ſit Prima, quòd debet verſari inter quatuor terminos. Et ratio eſt. Nam debet habere duas proportiones, & quaelibet proportio eſt inter duos terminos, vt in exemplo adducto. Secunda eſt, quòd ſignificetur per nomen aliqua intrinſeca ratio vtrique analogato. Et ratio eſt Nam in vtroque debet eſſe fundamentum aliquod verum, & intrinſecum proportionalis conuenientiæ, vt dicantur proprè proportionaliter eadem. Et hæc ſecunda conditio ponitur pro analogia proportionalitatis propriæ, nam alia proportionalitatis metaphoricæ habet ferè eaſdẽ conditiones, quas analogia proportionis. Tertia conditio eſt, quòd vnum analogatum non diffiniatur per aliud, ſed vtriuſque diffinitio ſit eadem proporrionaliter, ita vt ratio analoga ſit communis vtriquè, & vt talis diuidatur, & prędicetur de illis.

96 Pro analagia proportionis, quæ etiam ſolet vocari, analogia attributionis, ſtatuũtur aliæ tres cõditiones. Prima, & præcipua eſt, quòd ratio communis ſit tantùm intrinſecè in vno analogato, & in alijs per extrinſecam denominationem. v g. [ſanum] ſignificat ſanitatem, quæ eſt intrinſeca ſoli animali, & extrinſeca alijs analogatis, nempè vrinę, & medicinæ. Secunda conditio infertur ex prima, ſcilicet quòd ratio ſignificata ſit eadem numero in omnibus, id eſt, quòd non multiplicetur realiter in analogatis, ſicut mul-

Digitized by Google

multiplicatur ratio ſignificata per vniuocum, v.g. eadem numero ſanitas, quæ eſt intrinſeca animali, denominat, extrinſecè vrinam, & medicinàm Tertia conditio eſt, quòd analogatum principale ponatur in diffinitiòne aliorum. Et dicitur analogatum prius, & principale illud, in quò eſt intrinſecè ratio ſignificata, alia verò dicuntur minus principalia analogata, v.g. medicina, in quantum ſana, ſic diffinitur eſt cauſa ſanitatis animalis, & vrina eſt ſignum ſanitatis animalis, & ſic de alijs. Et hæc modò ſufficiant breuiter dicta, nam plura alia dicemus in tractatu ſpeciali de analogia, & præcipuè de ente per aliquas conferentias.

CAPVT 5.

De diuiſione entis in decem prædicamenta.

97 POST tractatum de ante prædicamentis, ſequitur agere de prędicamentis, & priùs oportet latiùs explicare diffinitionem prædicamenti, & deinde diuiſionem entis in decem prędicamenta an ſit ſufficiens. Igitur prędicamentum, vt ſupra dixi, ſic diffinitur. (Eſt prędicabilium coordinatio, in qua ſuperiora de inferioribus quidditatiuè prędicãtur) v.g. in prędicamẽto ſubſtãtię, [vt dicetur capite ſeptimo ſequenti] hęc coordinatio. (Subſtantia, corporea, viuens, ſenſibile, &c. Eſt prędicamẽtum. Qua propter tota coordinatio à primo genere generaliſſimo vſque ad primam ſubſtantiã, quæ eſt indiuiduum ſpeciei ſpecialiſſimæ, dicitur prædicamentum. Et ideò impropriè loquuntur, qui vocant prædicamentum illud genus generaliſſimum, hoc enim eſt primum praedicatum, quod ponitur in coordinatione, ſeu ſerie praedicatorum, conſtituente praedicamentum. Conditiones autem requiſitae, vt aliquid ponatur in praedicamẽto, ſupra ſunt poſitae, nam ſunt illae, quae requiruntur, vt aliquid ſit vniuerſale, ſeu praedicabile logicum. Nempè quòd ſit incomplexum, completum, vniuocum, &c, Quid autem ponatur in recta linea, & quid ad latus, quid vero ſit genus generaliſſimum, quid ſpecies ſubalterna, & quid infima, & plura alia dicemus, capit. 6. ſequenti.

98. Quo ſuppoſito explicanda eſt diuiſio entis in decem prædicamenta. Et in primis nota quòd ens in tota ſua latitudine primò diuiditur in ens reale, & ens rationis, de qua diuiſione abundè ſatis diximus lib. 1. proœmiali cap. 7. Deinde ens reale plures habet diuiſiones, quæ ad præſens non attinent, nam poteſt diuidi in ens creatum, & increatum, finitum, & infinitum, naturale, & ſupernaturale. quibus relictis, ad noſtrum propoſitum diuiditur in ſubſtantiã, & accidens, ſubſtantia eſt ens per ſe, v g [Petrus] aut (homo.) Accidens, eſt (ens in alio.) de quibus in cap. 6. ſequenti. Item poteſt diuidi ens, prout abſtrahit à completo, & incompleto, & poteſt diuidi ens completum. Hoc autem ens completum diuiditur in decem prædicamenta, vnum ſubſtantiæ cõpletæ, & nouem alia accidentium completorum.

Et

Digitized by Google

eum obtinet prædicamentum ſubſtantiæ eo quòd hæc eſt illis prior triplici prioritate, nempe diffinitione, cognitione,& tempore. Eſt enim ſubſtantia prior diffinitione, quia ipſa diffinitur ſicut, & conſtituitur, independenter ab accidentibus, hæc autem diffiniuntur, ſicut & conſtituuntur per ordinem ad ſubſtantiam,& conſequenter ſubſtantia prior eſt in diffinitione omnibus accidentibus. Ex hac prioritate ſequitur alia. Nam, cum cognitio rei habeatur per eius diffinitionem, ſi ſubſtantia eſt prior diffinitione, neceſſium eſt, quòd ſit prior cognitione: quæ prioritas verificatur reſpectu cognitionis intellectiuæ, nam per ſenſitiuam prius cognoſcuntur accidentia. Tertia prioritas temporis aſſignatur ab Ariſtotel. 7. Metaph. cap. 1.& debet intelligi de ſubſtantia in tota ſua latitudine; tum quia vt ſic includit aliquam ſubſtantiam, quæ eſt abſque omni accidente, qualis eſt Deus; tum quia nullum accidens eſt abſque ſubſtantia, bene tamen aliqua ſubſtantia ſine accidente, & hac ratione verificatur ſubſtantiam eſſe priorem tempore.

104 Igitur ad cognoſcendam quidditatem ſubſtantiæ prædicamentalis, nota quòd ſubſtantia, primò ſolet accipi pro eſſentia rei, quomodo accipitur in diffinitione vniuocorum, & æquiuocorum, in qua dicitur quòd ratio ſubſtantiæ eſt eadem, aut diuerſa, tunc enim ſubſtantia eſt idem, quòd eſſentia, & in hac acceptione ſubſtantia eſt communis omni rei ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens. Secundo accipitur ſubſtantia in communi, prout diſtinguitur ab accidente, & conſtituitur per hoc quòd ſit [ens per ſe] id eſt, non inhærens in alio, tanquàm in ſubiecto inhæſionis, qua ratione ſubſtantia eſt communis omni ſubſtantiæ finitæ, & infinitę, & omni ſubſtantię completæ, ſeu totali,& incompletæ, ſeu partiali, nam quamuis forma ſubſtantialis ſit in materia ſubſtantiali, eſt in illa, tamquàm in ſubiecto informationis, & non inhæſionis in quo diſtinguitur ab accidente, quod petit connaturaliter ſubiectum inhæſionis. Vbi nota illud dici ſubiectum inhæſionis, quod in ſuo eſſe ſpecifico pręſupponitur conſtitutum ante aduentum formæ, & à quo in ſuo eſſe dependet forma, & ideò dicitur quod eſſe accidentis [eſt ineſſe,] id eſt, eſſe in alio, Subiectum autem informationis, prout diſtinguitur à ſubiecto inhæſionis, eſt illud, quod conſtituitur in eſſe ſpecifico per formam, ante quam nullum aliud eſſe habeat, vt conſtat in materia prima, quę eſt ſubiectum informationis, reſpectu cuiuſcunque formæ ſubſtantialis, vt dicetur in 1. Phyſicorum.

105. Tertio modo accipitur ſubſtantia magis ſtrictè pro ſubſtantia finita, & completa. Et hæc pertinet ad hoc prædicamentum,& dicitur ſubſtantia prædicamentalis. Et hæc dupliciter diffinitur: primo ſubſtantia [eſt per ſe] ideſt, ſubſtantia eſt, [quæ ſubſtat accidentibus] ideſt, eſt [immediatum reſpectiuum accidentium.] Prima diffinitio eſt eſſentialis, & ſecunda eſt deſcriptiua. Ad cuius intelligentiam nota quòd in ſubſtantia tria poſſunt conſiderari Primum eſt ipſa eſſentia, ſeu quidditas ſubſtantiæ. Secundum eſt modus proprius eſſendi, qui communiter

Digitized by Google

vocatur [ſubſiſtentia . Tertium eſt potentia, ſeu capacitas proxima recipiendi, & ſuſtentandi accidentia . Inter quæ id, quod primò intelligitur in ſubſtantia, eſt exigere, & petere proprium modum eſſendi, qui eſt eſſe per ſe, ſeu ſubſiſtere, ideſt, exiſtere independenter ab alio, tanquam à ſubiecto, quapropter illi immediate debetur talis modus eſſendi, ſiuè modus iſte ſit aliqua negatio, ſiuè aliquid poſitiuum, de quo alibi. Et in prima diffinitione explicatur talis exigentia iſtius modi, & conſequenter explicatur propria quidditas ſubſtantiæ. Et quia talis exigentia eſt immediata reſpectu illius modi, explicatur eſſe ſubſtantiam completam, nam partiali ſubſtantiæ ſolùm debetur mediatè, cum id, quod immediatè exiſtit, & ſubſiſtit, ſit totum.

Si autem addatur talem modum eſſendi petitum debere eſſe diſtinctum realiter, explicatur eſſe ſubſtantiam finitam, & limitatam; nam ſubſtantia infinita non ſubſiſtit per modum à ſe realiter diſtinctum. Ex quo conſtat primam diffinitionem eſſe eſſentialem.

106 Ex hac formali ratione conſtitutiua ſubſtantiæ, ſequitur illa potentia, ſeu capacitas ad ſuſtentanda accidentia, & conſequenter eſt, quaſi proprietas illius, quæ explicatur in ſecunda diffinitione, & ideo eſt deſcriptiua; quæ, quia nobis notior, ideò accommodatur in communi vſu diffiniendi ſubſtantiam prædicamentalem.

CAPVT. 7.

De diuiſione ſubſtantiæ in primam, & ſecundam.

107 SVbſtantia prædicamentalis celebri diuiſione partitur in ſubſtātiam primam, & ſecundam. Prima ſubſtantiā ſic diffinitur ab Ariſtotile.] Subſtantia, quæ proprie, in primis què, & maximè ſic dicitur, eſt quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt.] Vt quidam homo, quidam equus. Circa quam diffinitionem, aliqui dixerunt eſſe ibi virtualiter duas, & illam ſic diuidunt, vt primò diffiniatur prima ſubſtantia, per hoc, quod ſit [quæ proprie, in primis què, & maximè dicitur ſubſtantia.] Secundo ſic diffinitur. Prima ſubſtantia eſt [quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur neque in ſubiecto aliquo eſt.] Nihilominus Magiſt. Soto, quem plures alij ſequuntur, docet tantùm eſſe vnam diffinitionem, ita vt tota illa prima diffinitio ſit totum diffinitum, & ſecunda diffinitio tantum deſeruiat, vt diffinitio; ac ſi diceret Ariſtoteles ſubſtantia quæ [propriè in primiſq; , & maximè dicitur] ſubſtantia, ſic diffinitur quòd ſit [quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt.)

108. Ante explicationem diffinitionis prædictæ, explicandi ſunt illi tres termini poſiti ex parte diffiniti

nitl. Primus eſt[propriè] vt denotetur ſubſtantiam primam eſſe, cui proprie conuenit eſſe ſubſtantiam, prout ſubſtantia dicitur à ſubſtando accidentibus, vt dixi cap. antecedenti, [In primis,] id eſt, principaliter, ad differentiam ſecundæ ſubſtantiæ, quæ licet ſubſtet accidentibus, non tamen primo, & principaliter, ſed ratione primæ ſubſtantiæ, nam animal non eſt album, niſi quia Petrus eſt albus; ſuppoſitum enim eſt primum ſubiectum accidentium]. Maximè,] id eſt, quę pluribus ſubſtat. Nam accidens vt quantitas, ſubſtat aliis accidentibus, & ſecunda ſubſtantia ſubſtat pluribus, nam ſubſtat quantitati etiam, prima autem ſubſtantia ſubſtat omnibus ſecundis ſubſtantijs, & omnibus accidẽtibus, & ideo dicitur maximè ſubſtãtia, .i. maximè ſub ſtãs, quia pluribus ſubſtat.

109 Qua propter prima ſubſtantia, cui conuenit eſſe propriè, primo, & maximè eſſe ſubſtantiam, diffinitur quòd ſit ea, quæ[neque de ſubiecto aliquo dicitur] in quo differt à ſecundis ſubſtantiis, quæ dicuntur de prima, vt de ſubiecto; prima autem uon habet aliud ſubiectum de quo dicatur, cum ſit primũ ſubiectum prædicationis. [Nequè in ſubiecto aliquo eſt] ponitur hæc particula ad differentiam Indiuidui accidentis, quod eſt in ſubiecto inhæſionis.

110. Secunda ſubſtantia non diffinitur in ſingulari, ſed in plurali ſic. [Secundæ ſubſtãtiæ ſunt genera, & ſpecies, quibus ſubſtant primæ] verbi gratia homo animal, &c Itaquè omnia prædicata, quę dicuntur de prima ſubſtantia, dicuntur ſecundæ ſubſtantiæ, eo quòd ſubſtant accidentibus ſecundò, & mediatè, ;prima verò ſubſtantia ſubſtat primò, & immediate, & hęc diuiſio ſubſtantię fit penes diuerſum modum ſubſtandi accidentibus, qui nobis notior eſt, vt ſupra dicebam Et poteſt verificari penes diuerſum modum accipiendi ſubſiſtentiam, nam indiuiduum eſt, cui primo, & immediatè conuenit ſubſiſtere, ſeu exiſtere per ſe, & ideo dicitur prima ſubſtantia, Prędicata autem ſpecifica, & generica ſubſiſtũt ratione indiuidui, & ideo dicuntur ſecundę ſubſtantiæ. Nihilominus primus modus exponendi hanc diuiſionem eſt magis ad mentem Ariſtotelis, licet ſecundus etiam verus ſit, & poſsit verificari.

111. Circa diuiſum huius diuiſionis aduertit M. Soto eſſe ſubſtantiam ponibilem in recta linea prędicamentali, & hãc diuidi in primam, & ſecundam. Notat tandem differentiam inter hęc tria nomina, [indiuiduũ, ſingulare, prima ſubſtãtia.) [Indiuiduum) enim dicit reſpectum ad inferiora, nam indiuiduum eſt quod amplius diuidi non poteſt in inferiora quidditatiuè. (Singulare] verò dicit reſpectũ ad vniuerſale. Prima ſubſtantia dicit reſpectum ad omnia prędicata tàm ſubſtantię, quam accidentium, eſt enim prima ſubſtantia, quę omnibus ſubſtat, Ex quo infert quòd tam ſingulare quàm indiuiduum poſsint inueniri non ſolum in recta linea ſubſtantię, ſed etiam in omnibus eius partibus, & in omnibus prædicamentis accidentium v g. hæc manus, hæc albedo. Sed prima ſubſtantia ſolum eſt in ſubſtantia completa. Et id quod philoſophi vocãt[primam ſubſtantiã,] Theologi appellant (ſuppoſitum] De qualitate autem huius diuiſionis, an ſcilicet ſit analoga vel æquiuoca dicetur alibi.

Digitized by Google

CAPVT 8.

Explicantur proprietates ſubſtantiæ.

412 SEx proprietates aſſignauit Ariſtoteles ſubſtantię prædicamentali. Prima eſt. (Commune eſt omni ſubſtaniæ in ſubiecto non eſſe.] Hæc proprietas, ſi vniuerſaliter intelligatur de ſubiecto inhæſionis, ita vt ſenſus ſit nullam ſubſtantiam inhærere ſubiecto, vt ſic intellecta conuenit omni ſubſtantiæ tàm primæ, quàm ſecundæ, tàm completæ, quam incompletæ. Si autem intelligatur, ita vt neget ſubiectum tàm inhæſionis, quàm prædicationis, ſolum conuenit primæ ſubſtautiæ; ſecunda enim habet ſubiectum prædicationis, quæ eſt prima, Secunda eſt, (Subſtantiæ omnes vniuocè prædicantur.] Intelligitur de ſecundis ſubſtantijs, quæ vniuocè prædicantur de prima. Et hæc non eſt proprietas quarto modo, quia etiam conuenit accidentibus prędicari vniuocè de ſuis inferioribus eſſentialiter. Tertia eſt. [Subſtantia ſignificat hoc aliquid.] Verificatur tantùm de prima ſubſtantia, quæ eſt ſingularis, & indiuidua. Quartà eſt. (ſubſtantiæ nihil eſt contrarium.] Et hæc non conuenit ſoli ſubſtantiæ, ſed etiam quantitati. Et debet intelligi de vera, & propria contrarietate, qua opponuntur illa, quæ ſunt ſub eodem genere, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt, vt calor, & frigiditas, hæc enim contrarietas non conuenit ſubſtantiæ: Quinta eſt (quòd non ſuſcipit magis, aut minus.] Et intelligitur quòd non ſuſcipiat magis, & minus per intenſionem, & remiſſionem, ſicut qualitates. Nam vna ſubſtantia, verbi gratia, homo, in quantum homo, non ſuſcipit magis, & minus, neque vnus dicitur magis homo, quam alter, ſicut dicitur vnum magis calidum, quàm alterum Sexta, & vltima eſt quòd (ſubſtantia vna, & eadem permanens, eſt ſuſceptiua contrariorum) verbi gratia vnus, & idem homo modo eſt niger, modo eſt albus. Et hæc eſt proprietas ſubſtantiæ quarto modo, nam conuenit omni, ſoli ſubſtantię, & ſemper. Debet tamen ita intelligi, vt ſit ſuſceptiua contrariorum per ſui mutationem. Nam licet eadem oratio, vel eadem propoſitio modò ſit vera, modo ſit falſa, tamen ipſa in ſe non mutatur, ſed hoc ſi ita contingit[de quo hic non diſputo]fit per extrinſecam mutationem obiecti, & non ipſius orationis, vel propoſitionis. At ſubſtantia in ſe mutatur recipiendo contraria.

✠

CA-

CAPVT 9.

Explicatur coordinatio prædicamẽti ſubſtantiæ, & alia vtilia ad ſequentia.

113 GEnus ſupremum, ſeu generaliſſimũ eſt[ſubſtantia completa]diuiditur primo in[corpoream,& incorpoream]tanquàm in primas differentias diuiſiuas,& quælibet conſtituit ſuum genus, & ſpeciem ſubalternam,& ita corporeum cum ſubſtantia conſtituit corpus, & incorporeum, ſeu ſpirituale conſtituit eſſe Angelicum. Rurſus eſſe Angelicum diuiditur in varias ſpecies Angelorum. Hoc relicto, corpus, diuiditur in corruptibile, & incorruptibile.Incorruptibile,diuiditur in varsas ſpecies corporum cæleſtium. Corruptibile, diuiditur in viuens, & non viuens.Non viuens diuiditur in elementale,& mixtum, quorum quodlibet habet varias ſpecies.[Viuens]diuiditur in[ſenſibile, & inſenſibile.]Inſenſibile,habet varias ſpecies plantarum,&c. quæ nobis ſunt ignotæ.Senſibile,ſeu animalia diuiditur in,rationale,&, irrationale. Irrationale habet multas ſpecies Brutorum,Rationale autem non habet niſi plura indiuidua v g. Petrũ, & Paulum.

114 Ad intelligentiam aliquorum nominum, quibus communiter vocantur ea, quæ coordinantur in prædicamento, nota quod tria ſunt, quæ ponuntur in omni coordinatione,nempe[genus,ſpecies, differentia,& indiuiduum.] Genus autem eſt triplex,ſupremum,ſubalternum, & infimum.Supremum dicitur quod eſt primum in tali coordinatione, & etiam vocatur generaliſſimum, vt in prædicta coordinatione, ſubſtantia. Subalternum eſt, quod eſt poſitum ſub altero, & habet ſub ſe alia genera, v.g. viuens, & hac ratione dicitur medium. Infimum, eſt vltimum, ſub quo nullum aliud inuenitur v.g. animal. Item ſpecies alia eſt, ſubalterna, quæ ſub ſe habet alias ſpecies,& ipſa continetur ſub genere v.g.viuens, ſi ſumatur ſpecificè. Alia eſt, infima, ſub qua non ſunt aliæ ſpecies, ſed indiuidua,& hæc dicitur ſpecies ſpecialiſſima,Rurſus differentia alia dicitur ſubalterna,quæ eſt illa,quæ diuidit genus ſubalternum, & conſtituit ſpeciem aliquam ſubalternam, v.g.corporeum,& cæteræ omnes aſſignatæ vſque ad rationale. Alia eſt differentia infima,ſeu athoma, quæ diuidit genus infimum, & conſtituit ſpeciem infimam,v.g. rationale diuidit animal, & conſtituit hominẽ. Inter has autem differentias, aliæ ſunt differentiæ diuiſiuæ,& aliæ cõſtitutiuæ,vt ſupra explicaui, cap. de differentia.

115 Tandem nota quod in qualibet coordinatione prædicamentali,eſt duplex linea ſeu duplex poſitio prædicatorum. Alia dicitur recta,in qua ponuntur genera,& ſpecies,quorum vnum ſub alio continetur,tanquam ſuperius, & inferius, vſque ad indiuiduum illius coordinationis,v g. in prædicamento ſubſtantiæ,hæc eſt recta linea, ſubſtantia,

Digitized by Google

tia, corporea, viuẽs, animal, homo, Petrus. Alia eſt linea trãſuerſalis, in qua ponũtur differẽtiæ diuiſiuæ, & conſtitutiuæ v.g. rationale, & irrationale, & iſtæ dicũtur poni ad latus

CAPVT. 10.

De quantitate explicatur quid, & quotuplex ſit.

116 ARiſtoteles tractãs de prædicamento quantitatis incipit ab illius diuiſione, pretermiſſa diffinitione ipſius, quam tradidit 5. Metaphiſic. tex. 19. diffiniens quantum ſic [Quantum dicitur, quod eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque vnum quid aptum eſt eſſe.] ad cuius intelligentiam notat Magiſt. Soto hic quæſt. 1. §. ad quæſtionem, quòd prima, & per ſe ratio quantitatis eſt eſſe rationem extenſionis, nempè ratione cuius ſubſtantia habet partem extra partem, & huic proximum eſt quòd ſubſtantia, & reliqua accidentia ſint diuiſibilia in partes, ſecundũ extenſionem, & per hanc diuiſibilitatem, quæ eſt proprietas quantitatis diffiniuit Ariſtoteles quantitatẽ in concreto. In qua diffinitione, diuiſibile, ponitur ad differentiam Dei, & Angelorum, qui ideo non ſunt propriè quanti, quia non ſunt diuiſibiles. In ea quæ inſunt, explicat proprium modum diuiſibilitatis, id eſt, in partes quæ ſunt formaliter in toto ad differentiam mixti, quod diuiditur in elementa, quæ in ipſo ſunt virtualiter, & non formaliter. Quorum vtrumque, vel vnumquodque vnum quid aptum eſt eſſe, ideſt vtraque pars diuisa, & quælibet ſeorſum poteſt conſiſtere, vt vnum indiuiduum quantitatis, ita vt quælibet pars ſeparata conſiſtere valeat, ad differentiam diuiſionis totius in materiam, & formam, nam iſtæ ſeparatæ, & diuiſæ naturaliter exiſtere non valent.

117 Tres proprietates aſsignat Ariſtoteles quantitati. Prima eſt, quod non habet contrarium, & intelligitur de vera, & propria contrarietate, qua illa, quæ ſub eodem genere diſtant, ab eodem ſubiecto ſe expellunt, vt dicebamus de ſubſtantia, & in hac acceptione quantitas non contrariatur alicui, nam quamuis magnum, & paruum videantur contrariari, nihilominus non ita accidit in rigore, nam magnum non expellit paruum, cum videamus id, quod eſt magnum, reſpectu vnius, eſſe paruum reſpectu alterius, v. g. pagus, qui eſt magnus inter alios pagos, eſt paruus vt ſit ciuitas, vt docet, hic Magiſt. Soto. Quapropter hæc proprietas, quamuis conueniat omni quantitati, non tamen ſoli, cum etiam conueniat ſubſtantiæ, & conſequenter non eſt proprietas quarto modo. Secunda proprietas eſt. Quod quantitas non ſuſcipit magis aut minus, & in hoc etiam aſsimilatur ſubſtantiæ, v. g. vnum tricubitum non eſt magis tricubitum, quam aliud, nec magis quantum, quam bicubitum, nec una dies eſt magis dies, quam alia, nec magis quanta, quam una hora. Et hæc proprietas ſequitur ex prima, nam illud ſolùm recipit magis, & minus, quod habet contrarium;

cum

Digitized by Google

cum quantitas non habeat contrarium non ſuſcipit magis, & minus.

Tertia proprietas eſt. [Quod ſecundùm quantitatem, æquale, vel inæquale dicitur,) quod eſt dicere, quantitatem per ſe habere eſſe æqualem vel inæqualém alteri quãtitati, verbi gratia linea per ſe eſt æqualis lineae, & numerus numero, & alia prædicamenta hoc habent à quantitate. v g. homo eſt maior Cane, & minor Elephante, & æqualis alteri homini ratione quantitatis. Quæ proprietas conuenit quantitati ſoli, omni, & ſemper, & ideo conuenit illi quarto modo. Et ratio illius eſt. Nam quantitas ex ſe eſt menſura, & menſura eſt id, quo rerum æqualitates, vel inæqualitates metimur. Plura reſtant dicenda circa primũ, & per ſe effectum quãt itatis, ſed de his in conferentiis.

CAPVT. II

Numerantur ſpecies quantitatis.

118. A Diuiſione quantitatis incipit Ariſtoteles agere de hoc prædicamento quantitatis, Et primo duas diuiſiones ſimul protulit. Prima eſt. Quantum aliud continuum, & aliud diſcretum. [Continuum eſt, cuius partes copulantur aliquo termino communi.) v g partes lineae copulantur punctis. Diſcretum eſt] cuius partes non copulantur aliquo termino communi. (v g. Numerus habet vnitates inter ſe nullo termino communi copulatas. Et dicitur terminus communis [indiuiſibile aliquod, quod ſe habet vt vnio vtriuſque partis] verbi gratia Punctum eſt vnio, qua partes lineae vniontur inter ſe, & eſt indiuiſibile, & ideo dicitur terminus communis. Hæc autem diuiſio eſt generis in ſpecies.

119. Rurſus quælibet ſpecies ex dictis diuiditur in alias. Nam continuum habet quinque ſpecies, quę ſunt [linea, ſuperficies, corpus tempus, & locus.] Diſcretũ aut ẽ habet duas ſpecies, quæ ſunt [numerus, & oratio.] Vnde conſtat ſeptem eſſe ſpecies quantitatis. Ad intelligentiam harum ſpecierum aduerte quòd quãtitas continua, & diſcreta poſſunt dupliciter conſiderari, & ſecundum rationem eſſendi, ſeu ſecundũ rationem extenſionis, & diuiſionis, & ſecundem rationem menſuræ aliorum. Si accipiantur primo modo, egit Ariſtoteles de quantitate, & eius ſpeciebus in 5. metaphiſicę. Si autem ſecundo modo conſiderentur, tractat de illis in hoc prædicamento. Et ideo in metaphiſica ſolum pòſuit tres ſpecies quantitatis continuæ, omittens, (locum, & tempus,) quas annumerauit in hoc prædicamento, quia iſtæ habent ſpecialem rationẽ menſuræ, licet non ſpecialem rationem extenſionis, & diuiſionis Et in iſto loco agit de quantitate ſub ratione menſuræ, & in illo ſub ratione extenſionis, ſeu diuiſionis.

120. Ex hac doctrina conſtat ſufficientia diuiſionis quantitatis continuæ, & diſcretę in dictas ſeptem ſpecies. Nam de ratione

tione quantitatis, prout de illa in præſenti agitur, eſt eſſe menſuram ſubſtantiæ, & quia menſura poteſt eſſe intrinſeca, id eſt formaliter inhærens ſubſtantiæ, vel extrinſeca; id eſt adiacens ſubſtantiæ. Item quia ea, quę menſurantur, vel ſunt continua, vel diſcreta, vel permanentia, aut ſucceſſiua, hinc eſt quòd numerantur quinque ſpecies [menſuræ intrinſecæ, v.g. Numerus oratio, linea, ſuperficies, & corpus;] & duæ extrinſecæ, nempe, locus, & tempus; Item quantitatis diſcretæ permanētis menſura eſt, numerus, & ſucceſſiuę eſt, oratio. Rurſus quantitatis continuæ permanentis ſunt tres mēſuræ intrinſecæ, v.g. linea, ſuperficies, & corpus, & vna extrinſeca nempe, locus. Quantitas aut continua ſucceſſiua habet menſuram extrinſecam, v.g Tempus. Et hac ratione oſtendit Magiſter Soto ſufficientiam huius diuiſionis, & numerationis quantitatis.

CAPVT. 12.

Diffiniuntur quinque ſpecies quantitatis continuæ.

121 Circa tres primas ſpecies quantitatis continuę nota quòd tres tantùm ſunt dimenſiones ſeu extenſiones intrinſecæ ipſi ſubſtantiæ, videlicet, longitudo, latitudo, & profunditas. Prima dicitur, linea, ſecunda, ſuperficies, & tertia, corpus. Et quia linea tantum habet vnam extenſionem, nempè longitudinem, & ſuperficies ſupponit hanc, & affert latitudinem, & corpus ſupponit alias duas, nimirum, longitudinem, & latitudinem; & addit profunditatem; ideò dicitur ſuperficies habere duas dimenſiones, & corpus conſtare ex tribus, non quia ipſas formaliter afferant, ſed vnaquęque ſuam propriam, & ſupponit alias. Ex qua doctrina colliguntur diffinitiones illarum ſic: Linea [eſt quantitas continua ad vnum] ſuperficies [eſt quantitas continua ad duo.] Corpus [eſt quantitas continua ad tria]

122 Alio modo clariori poſſunt ſic diffiniri. Linea [eſt quantitas continua, cuius partes vniuntur punctis.] Superficies [eſt quantitas continua, cuius partes vniuntur ſuperficiebus.] In quibus diffinitionibus ponitur genus proximum, nempè, quantitas continua, & aſſignatur, ut propria differentia, modus ſpecialis, quo vniuntur partes, nam partes lineæ vniuntur per indiuiſibilia omninò, v.g. per puncta: ſuperficies autem habet ſuas partes vnitas lineis, quę, licet ſint diuiſibiles ſecundum longitudinem, ſunt tamen indiuiſibiles in latitudine; & ideo vniunt partes ſuperficiei. Partes verò corporis vniuntur ſuperficiebus, quę, etiam ſi diuiſibiles ſint latitudine, ſunt tamen indiuiſibiles in profunditate. Quapropter quia diuidunt quantitatem continuam in ratione propria ſuę extenſionis, dicunt communiter logici, & metaphiſici hanc diuiſionē eſſe generis in ſuas proprias ſpecies, quę ſunt menſurę intrinſecæ ſubſtātię.

123 Aliæ duę ſpecies, nempè locus

Digitized by Google

locus, & tempus ſunt menſuræ extrinſecæ, Locus ſic diffinitur ab Ariſtotele 4. Phyſicorum. Eſt vltima ſuperficies corporis continentis immobilis primò v.g. vas continens aquam eſt locus aquæ quia ratione ſuæ vltimæ ſuperficiei concauæ circunſcribit aquam, quapropter duo dicit locus, & vltimam ſuperficiem, & relationem continentiæ reſpectu locati, ita vt, quolibet deficiente deficiet ratio loci. De vltimis verbis diffinitionis dicetur alibi in ſuo proprio loco.

Tempus diffinitur etiam 4. Phiſicorum ſic. Numerus motus ſecundum prius, & poſterius. In qua diffinitione, numerus ſignificat menſuram, ac ſi diceret, quod tempus eſt menſura motus ſecundum partes priores, & poſteriores, Itaque locus eſt menſura extrinſeca mobilis, & tempus eſt menſura extrinſeca motus, & quia habent hanc ſpecialem rationem menſuræ, aſſignatæ ſunt hic ab Ariſtotele, & non in 5. metaphyſicæ vbi aſſignauit in rigore ſpecies proprias quantitatis, vt alibi fuſius dicemus.

CAPVT. 13.

Diffiniuntur, & explicantur duæ ſpecies quantitatis diſcretæ.

124 PRima ſpecies quantitatis diſcretæ eſt numerus, & ſic diffinitur. Eſt multitudo numerata per vnum; v. g. Quatuor homines. Ad cuius intelligentiam nota 1. quod numerus communiter diuiditur in numerum numerantem, & in numerum numeratum. Numeratus dicitur multitudo illa, quæ ſubijcitur numerationi. Numerans dicitur forma ipſa quę eſt ratio numerandi v.g. duo, tres, quatuor &c. Et in hoc ſenſu dicitur numerans formaliter, .i. per modum formę nã ſi ſumatur actiuè numerans, eſt intellectus, qui actiuè numerat. Quo ſuppoſito in diffinitione numeri ponitur materia, quę eſt multitudo, & forma illius, quę eſt forma ipſa, quę eſt ratio numerandi, & explicatur per illam particulam numerata per vnum.

125 Nota ſecundò quòd numerus poteſt ſumi etiam dupliciter ex parte materiæ, & pro quacunque multitudine quomodolibet numerabili, & ſic includit res ſpirituales, in quo ſenſu dicimus tres perſonas in diuinis eſſe, & quatuor, vel ſex Angelos. Et ſumi poteſt, prout ſpecialiter inuenitur in rebus quantitatiuis. Si ſumatur primo modo dicitur numerus tranſcendentalis, & non pertinet ad hoc prędicamentum, nam in iſto duntaxat ponitur numerus, qui fit ex diuiſione quantitatis. Si ſumatur altero modo dicitur numerus prædicamentalis, vtpotè pertinens ad hoc prædicamentum.

126. Nota tertiò quòd licet Numerus ex parte multitudinis videatur eſſe aliquod ens per accidens, ſicut aceruus lapidum, tamen quia talis multitudo eſt cum aliquo ordine inter ſe, ita vt detur prius & poſterius, & vltimum, hoc ſufficit, vt numerus ſit ens per ſe, & habeat

Digitized by Google

ſufficientem perſcitatem, vt poſſit habere vnam diffinitionem, & poni in prædicamento. Et dicta ſentiunt communiter thomiſtæ cum D. Tho. locis alibi citandis. Quæ autem ſit foima ſpecifica numeri, & quid addat vnitas prædicamentalis ſupra vnitatem tranſcendentalem, breuiter dico vltimam vnitatem præbere formam numero, & quod vnitas prę dicamentalis conſtituitur in ratione talis per hoc quod ſit menſura, de quo alibi.

127. Secunda ſpecies quantitis diſcretæ eſt, oratio, quæ eſt menſura entis ſucceſſiui, ſicut numerus entis permanentis. Et relictis varijs acceptionibus huius nominis, oratio, in præſenti accipitur pro illa ratione menſuræ in vocibus, ſecũdùm quam dicitnr ſyllaba breuis, aut longa. Et diffinitur. Oratio eſt, mẽſura entis ſucceſſiui diſcreti, v.g. hæc vox, dominus, habet tres ſyllabas, quæ ſucceſſiuè, & diſcrerè pro feruntur, & quælibet habet ſuam longitudinem, & omnes illæ, vt inter ſe ordinatę, conſtituunt vnam orationẽ, ſicut plures vnitates ordinatæ conſtituunt vnum numerum. An vero oratio ſit ſpecies quantitats perfecta, vel ſit propriè vel metaphoricè, dicetur alibi.

128. Ex dictis conſtat coordinatio prædicamenti quantitatis. Genus ſupremum eſt quantitas. Hęc immediatè diuiditur in quãtitatem continuam, & diſcretam. Continua habet quinque ſpecies, lineam ſuperſiciem, corpus, locum, & tempus. Diſcreta habet duas, numerum, & orationem. Iſtæ autem habent ſuas ſpecies infimas, nempè omnes ſpecies numeri, & omnes ſpecies orationis ſecundum varias longitudines. Et ſic de alijs.

CAPVT. 14

De prædicamento relationis explicatur quid ſit.

129 CIrca ordinem, quem ſeruauit Ariſtoteles præferens hoc prædicamentum relationis pradicamento qualitatis, cum in Metaphiſica prætulerit prædicamentum qualitatis, notat Mag. Soto Ariſtotelem non ſeruaſſe hic ordinem naturæ perfectionis, quem ſeruauit in Metaphyſica, ſed ordinem, quo cætera prædicamenta prædicantur de ſubſtantia [quia tractatur hic Logicè de prædicamentis, non ſecundum ordinẽ eſſẽdi, ſed ſecũdũ ordinẽ prędicandi] & de ſubſtantia poſt quantitatem prius prædicatur eſſe ad aliud, quàm eſſe quale. Et ratio eſt, Nam ſecluſa qualibet qualitate, ſubſtantia quanta, & menſurata quantitate eſt dupla aſt ſuam medietatem, & tripla ad ſuam tertiam, &c. quæ omnia dicunt relationem.

130. Quo ſuppoſito relatio ſic vulgariter diffinitur, Eſt cuius totum ſuum eſſe eſt ad aliud. Id eſt, non habet aliud eſſe niſi reſpicere aliud, verbi gratia, Pater non habet aliud eſſe niſi reſpicere filium, & filius reſpicere patrem. Ad intelligentiam quidditatis relationis, explicatæ in dicta diffini-

finitione nota primò quòd relatio in tota ſua latitudine diuiditur in prædicamentalem, & tranſcendentalem. Prædicamentalis, eſt cui conuenit diffinitio tradita. Tranſcendentalis autem reſpicit aliud, non tamen totum eſſe eſt aliud reſpicere. Et ideo prædicamentalis dicitur relatio, ſecundum eſſe, & tranſcendentalis vocatur relatio, ſecundum dici. Nam illa non habet aliud eſſe, niſi referre; & iſta habet aliud eſſe obſolutum, quod non poteſt explicari, niſi per reſpectum ad aliud, verbi gratia ſcientia eſt habitus realis pertinens ad prædicamentum qualitatis, & in ſuo eſſe eſt abſoluta; non tamen poteſt explicari ſua eſſentia, niſi in ordine ad ſuum obiectum, & idcirco dicitur relatio, ſecundum dici, & idem eſt de omni potentia, habitu, & actu.

131. Ex quo ſequitur duplex differentia inter iſtas relationes, prima ex parte ipſius relationis, nempè quòd prędicamentalis, ſeu ſecundum eſſe, non habet aliud exercitium niſi reſpicere. Tranſcendentalis autem, ſeu ſecundum dici habet aliud exercitium, ad quod ſequitur relatio. Secunda ex parte termini; nam prædicamentalis reſpicit terminum in ratione puri termini, id eſt, terminus nihil aliud facit, niſi terminare. Terminus autem tranſcendētalis aliud munus exercet præter terminare, videlicet, cauſæ, vel effectus, vel aliud ſimile, & ſub iſta ratione reſpicitur à relatione tranſcendentali, ſeu ſecundum dici, verbi gratia. Pater nihil aliud exercet niſi reſpicere filium, & filius terminare relationem patris; ſcientia autem informat potentiam, & illam reddit facilem ad eliciendos ſuos actus, & ex hoc ſequitur, quòd reſpiciat ſuum obiectum ſub ratione obiecti, & cauſæ formalis extrinſecæ, & non ſub ratione puri termini.

132. Nota ſecundò quod in relatione prædicamentali, ſeu ſecundùm eſſe duplex conceptus diſtinguitur, alter dicitur, in, & alter, ad, conceptus, in, reſpicit eſſe in ſubiecto, & conceptus, ad, reſpicit terminum. Quapropter eſt proprium relationis poſſe concipi ſecundùm conceptum, ad, in ordine ad terminum, & non ſecundum conceptum, in, in eſſe ad ſubiectum. Hinc eſt quòd relatio rationis ſit propriè relatio, cum propriè concipiatur in ordine ad terminum, qui conceptus eſt propriiſſimus relationis. Differt autem à relatione reali, ſecundum eſse entitatiuum in ordine ad ſubiectum; non autem ex hoc ſequitur, quod relatio rationis pertineat ad hoc prædicamentum, in quo collocantur tantùm relationes reales, vt alibi dicam, & explicabo an conceptus relationis ſit vniuocus ad relationem rationis, & realem: nihilominus relatio rationis eſt relatio ſecundum eſse, licet non ſit prędicamentalis, omnis enim relatio prædicamentalis eſt ſecundùm eſſe, non autem omnis ſecundùm eſſe eſt prædicamentalis.

133. Nota tertiò, quod ad relationem realem prædicamentalem exiguntur quinque conditiones, duæ ex parte ſubiecti, nempe quod ſubiectum ſit ens reale, & habens fundamentum, ſeu rationem fundandi realem, tertia, & quarta ex parte termini putà, quod

exiſtens. Quinta quod ipſa relatiua ſint ejuſdem ordinis. Qua ratione in relatiuis tertij ordinis, vt iam dicemus, nõ eſt relatio realis ex parte vnius extremi.

CAPVT 15

De diuiſione relationis prædicamentalis.

134 TRia concurrunt ad relationem prædicamẽtalem nempe ſubiectum, quod denominatur relatum, fundamentum, ſeu ratio fundandi, ad quam ſequitur ipſa relatio, & terminus, ad quem refertur, v.g. in relatione paternitatis, & inuenitur v. g. Petrus qui dicitur pater, & actio generatiua, ad quam ſequitur ipſa relatio, & ipſe effectus productus, nempe Paulus filius, ad quẽ refertur, tamquã ad terminum. Igitur prima, & eſſentialis diuiſio relationis ſumitur ex parte fundamenti relationis, & quia fundamentum relationis eſt triplex, etiam relatio fundata eſt triplex. Primum fundamentum eſt vnitas, ſeu numerus, id eſt, diuerſitas. In quo fundantur omnes relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, conuenientiæ, & diſconuenientiæ, & etiam relationes, identitatis, & diuerſitatis. Et iſtæ relationes dicuntur primi ordinis, vel primi generis, quia fundantur in primo fundamento. Secundum eſt, actio, & paſſio, in quo fundantur omnes relationes cauſæ, & effectus. Et iſtæ dicuntur relationes ſecundi ordinis, vel generis, quia fundantur in ſecundo fundamento. Tertium eſt, menſura, & menſurabile. In quo fundantur omnes relationes potentiæ, habitus, & actus ad ſua obiecta, & omnes illæ, quæ ſunt inter extrema diuerſi ordinis, vt ſunt omnes relationes creaturarum ad Deum. Et iſtæ dicuntur relationes tertij ordinis, vel generis, quia fundantur in tertio fundamento. Circa quas aduerte quod relatio illa, quæ fundatur in re menſurabili eſt tantùm realis, illa vero quæ in ipſa menſura, eſt relatio rationis, v.g. potentia menſuratur, ſeu perficitur à ſuo obiecto, & conſequenter illa realiter refertur ad obiectum, & hoc tantum fundat relationem rationis.

135. Sufficientia autem huius numerationis fundamentorum ea eſt. Nam illud ſolum eſt fundamentum relationis, quod eſt ratio ordinandi realiter vnum ad aliud, & hoc contingit tripliciter, videlicet, vel ſecundum eſſe, prout dependet ab alio, vt menſura ſuæ perfectionis, & hoc eſt tertium fundamentum, vel ſecundum virtutem actiuam vel paſſiuam, & hoc eſt ſecundum fundamentum, vel ſecundum quod quantitas vnius poteſt per aliam menſurari, & ſic eſt vnitas, vel numerus primum fundamentum, ſubſtantia autem, & qualitas ſecundum ſe non ordinant ad aliud, cum ſubſtantia ſit in ſe abſoluta omnino, & qualitas ex ſe reſpiciat ſubſtantiam.

136. Secundò diuiditur relatio in mutuam, & non mutuam. Non Mutua eſt illa, cui ex parte vnius extremi correſpondet altera

Digitized by Google

ra relatio diuerſi ordinis, v.g. relatio realis ſcientiæ reſpicit in obiecto relationem rationis, & nulla alia relatio realis illi correſpondet. Mutua eſt illa, quæ realis eſt in vtroque extremo, v.g. relationes patris, & filij. Rurſus relatio mutua alia eſt æquiparantiæ, & alia diſquiparantio. Relatio æquiparantiæ eſt illa, cui correſpondet altera eiuſdem rationis, ſeu denominationis, v.g. ſimilitudo, cui ex parte termini correſpondet etiam ſimilitudo. Diſquiparantiæ eſt illa, cui correſpondet ex parte termini altera relatio diuerſæ rationis, ſeu denominationis, v.g. Paternitati correſpondet in termino filiatio. Iſtæ autem duę diuiſiones ſunt accidentales acceptæ ex diuerſis conditionibus accidentalibus ipſi relationi.

CAPVT 16.

Proprietates relationis explicantur.

137 QVatuor proprietates huius prædicamenti ſtatuit Ariſtoteles. Prima eſt. Relatiuo aliquid eſt contrarium. Circa quam notat Mag. Soto, quòd fuit poſita ab Ariſtotele iuxtà illam diffinitionem relatiui, quam explicando impugnat, nam ex propria ſententia in capite ſuperiori docuerat relatiuo nihil eſſe contrarium, quòd verum eſt de relatiuo formaliter in ratione relatiui, quàmuis proprietas dicta poſſit intelligi de relatiuo, pro materiali, ſeu fundamento, in quo poſſit habere contrarium, & ita ſolet explicari dicta proprietas à logicis, v.g. ſimilitudo fundatur in qualitate, nempè albedine, & quia iſta habet contrarium, ideo dicitur relationem habere contrarium. Secunda proprietas eſt, relatiua ſuſcipiunt magis, & minus. Et hæc ſequitur ad primam, & ita intelligitur ſicut illa, ratione fundamenti, nam ipſa relatio, ſicut in ſe non habet contrarium, ita in ſe non ſuſcipit magis, aut minùs ſecundum intenſionem gradualem.

138 Tertia proprietas eſt. Relatiua dicuntur ad conuertentiam. Hęc eſt explicatio naturę relatiuorum, ait Mag. Soto, & notat quòd dici ad conuertentiam non eſt quòd affirmatio vnius inferat affirmationem alterius, & è conuerſo; nam hoc pertinet ad quartam proprietatem, nimirum quòd ſint ſimul natura, ita vt ſi Pater eſt, Filius eſt. Neqnè eſt quòd termini relatiui ſint conuertibiles, ideſt, quòd de ſe inuicem in recto prædicentur mutua prædicatione. Igitur relatiua conuerti eſt quòd vtrumque de ſe ipſo prędicetur cum geminatione alterius in obliquo exprimente relationem, v.g. Pater eſt Filij Pater, Filius eſt Patris Filius. Quę proprietas præciſè ſumpta conuenit etiam relatiuis tranſcendentalibus, & ſecundùm dici, ſi rectè aſſignentur, v.g. Potentia eſt alicuius obiecti potentia, obiectum eſt alicuius potentiæ obiectum; quapropter non eſt proprietas quarto modo, ſed ſecundo, reſpectu huius prædicamenti.

139 Quarta proprietas eſt, quòd relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione. Hæc proprietas maximè eſt

pro-

propria huius prædicamenti, oritur què ex propria, & formali ratione conſtitutiua relatiuorum Dicuntur enim ſimul eſſe natura, quia ſimul ſe inferunt, & deſtruunt. Et ideo ait Mag. Soto, relatiua ſolent comparari duobus lignis ſibi inuicem obnitentibus, quorum altero ſublato, alterum nequaquam ſtabit. Et requirnntur duæ conditiones, vt aliqua ſint ſimul natura. Prima eſt Quod mutuò ſe inferant, mutuòquè ſe tollant per verbum ſubſtantiuum ſecundum adiacens, verbi gratia. Pater eſt, ergo, filius eſt. Itē, filius eſt, ergo, Pater eſt, &c. Secunda eſt quòd neutrum ſit cauſa alterius, v.g Pater, vt pater, non eſt cauſa filii, vt filij, id eſt, relatio paternitatis non eſt cauſa relationis filiationis. Et loquimur de relatiuis formaliter ſumptis, nam pro fundamento optimè poteſt vnum eſse cauſam alterius, vt generans eſt pater, & eſt cauſa geniti filij. Item, eſſe ſimul, cognitione. eſt quòd vnum non cognoſcatur ſine alio, & è conuerſo, v. g. Pater non cognoſcitur ſine filio, & filius nō cognoſcitur ſine Patre.

140. Denique ex dictis colligitur coordinatio huius prædicamenti. Supremum genus eſt relatio realis ſecundùm eſſe. Et hæc immediatè diuiditur in tria genera relationum iuxtà prædicta tria fundamenta. Rurſus Primum genus fundatum in vnitate, & numero diuiditur in varias ſpecies relationum; nempè ęqualitatis, inæqualitatis, ſimilitudinis, diſſimilitudinis, identitatis, diuerſitatis, proportionis, &c. Quæ omnes ſunt ſpecies infimæ unius primi generis. Secundum genus fundatum in actione, & paſſione; diuiditur in relationes cauſæ, & effectus, actionis, & motus, propinquitatis, & receſſus, ſecundùm quod iſta ex motu dependent. Et vnaquęquè habet ſuas ſpecies, v g. relatio cauſæ diuiditur iuxtà diuerſitatem cauſarū; alia eſt enim relatio cauſæ efficientis, & alia relatio cauſæ finalis, & alia cauſæ materialis, &c. Tertium genus diuiditur immediatè in relationes ad menſuram, quę eſt obiectum, vel quæ eſt exēplar. Et relatio ad obiectum in relationes potētiæ, habitus, & actus, & tandem iſtæ ſpecie diſtinguuntur iuxtà diſtinctionem ſpecificā ipſius naturę in qua fūdātur. Et hęc de hoc prędicamēto

CAPVT. 17

De Prædicamento qualitatis proponitur diffinitio, & numerantur ſpecies.

141 QValitas ſic diffinitur, eſt qua quales eſſe dicimur, Hæc diffinitio non eſt quidditatiua, & propria, nam ſuprema genera non habent talem diffinitionem, ſed eſt quædā deſcriptio quæ datur per notiora apud nos. Nam compoſitum notius eſt nobis, quàm eius forma, & ideo album eſt notius nobis, quàm albedo, quia illud videmus per ſe ſubſiſtere

& de

& de hac non experimur quomodo diſtinguatur ab alio, & hac ratione, qualitas diffinitur per hoc, quòd faciat quale, quia quale, quod eſt compoſitum, notius eſt nobis, quàm qualitas. Inſuper addit Magiſt. Soto quòd, quia non poteſt aſſignari aliquis ſpecialis effectus communis omnibus qualitatibus, prçter hoc, quod eſt qualificare ſubſtantiam, ſicut aſſignatur diuiſio quantitati, ideò in communi diffinitur per ordinem ad ſubſtantiam, quam qualificat.

142. Quatuor ſunt ſpecies qualitatis. Prima eſt habitus, & diſpoſitio. Secunda, naturalis potentia, & impotentia. Tertia, paſſio, & paſſibilis qualitatis. Quarta forma, & figura, Quç omnes in particulari explicandæ ſunt, antequàm probemus ſufficientiam earum; cognita enim vnius cuiusq; quidditate, facilè conſtabit de ſufficientia earum ad exhauriendam totam confuſionem diuiſi, vt ſic talis diuiſio ſit adæquata.

EXPLICATVR
Prima ſpecies.

143. Vocatur duplici nomine prima ſpecies qualitatis, nempe, habitus, & diſpoſitio. Vbi nota primò quòd licet habitus ſumatur pro ſpeciali quodam prædicamento, de quo infra dicetur cap. 22. & etiam pro modo quodam poſt prçdicamentali, de quo etiam dicetur infra cap. 24. tamen in præſenti ſumitur, prout determinatè continetur ſub prçdicamento qualitatis. Item aduerte. 2. quòd penuria nominum, accommodatur nomen commune generi, ſpeciali differentiç. Nam omnis qualitas eſt diſpoſitio ſubſtantiæ, & tamē hoc nomen diſpoſitio applicatur alteri ſpeciei, vt cōdiſtinctç ab habitu

144. Quo ſuppoſito Prima ſpecies qualitatis, prout ambit habitū, & diſpoſitionem ſic diffinitur. Eſt qualitas diſponens ſubiectum benè vel malè in ordine ad ſuam naturā, v.g. ſanitas, & çgritudo continentur ſub hac prima ſpecie; & ſanitas diſponit. ſubiectum benè, ideſt, conuenienter ad ſuam naturam, & çgritudo malè, ideſt diſconuenienter ad ſuam naturam. Itaq; propria quidditas primç ſpeciei, vt diſtinctæ ab aliis, in eo conſiſtit quòd benè, aut malè, id eſt, conuenienter, vel diſconuenienter ad propriam naturam ſubiecti, illud diſponat.

144. Habitus, & diſpoſitio in eo diſtinguūtur, quòd ille ex ſua natura habet in ſubiecto cauſas difficiles ad illius corruptionē; iſta verò habet cauſas faciles ſuç corruptionis, quapropter, habitus ſic communiter diffinitur. Eſt qualitas difficilè mobilis a ſubiecto, v.g. Habitus ſcientiarum difficilè mouetur ab intellectu. Diſpoſitio eſt, qualitas facilè mobilis à ſubiecto, v.g. Sanitas, quæ ex genere ſuo eſt diſpoſitio, quia habet cauſas faciles ſuç tranſmutationis, & ſimiliter ægritudo.

145. Circa diſtinctionē, quç verſatur inter habitum, & diſpoſitionē, nota doctrinam Mag. Soto in cap. de qualitate quçſtio vnica in ſolut. confirm. 2. argum. quod licet aliqui antiqui tantum poſuerint differentiā inter habitum, & diſpoſitionem, tanquàm inter perfectum, & imperfectum, nihilominus D. Thomas oculatius contemplatus literam Ariſtotelis, aſſerit quòd differunt ſpecie, ita vt habitus ex ſe, & ex genere ſuo petat cauſas difficiles ſuæ corruptionis, quàmuis per accidens aliquando facilè amittatur; & diſpoſitio ex ſe, & ex ſuo genere petat

petat cauſas faciles ſuæ transmutationis, licet aliquando per accidens difficile amoueatur. Et idcirco propria differentia inter iſtas duas ſpecies non attenditur penes intenſionem, vel remiſſionē, aut penès hoc, quòd parum vel multum durent in ſubiecto, nam ſanitas, quæ ex genere ſuo eſt diſpoſitio, aliquando ob diuturnitatem efficitur quodammodo naturalis, ſicut hectica, quę eſt calor confirmatus, & paralyſis, quæ eſt con firmata frigiditas. De hoc latius videatur Mag. Soto, cuius doctrinam etiam affert Mag. Ioannes à Sancto Thoma queſt. 18. ar. 3.

146 Tandem rationem horum nominum deſumit Magiſt. Soto eo quòd, cum habitus dicatur ab habere, & res non habeatur, niſi firmiter teneatur, ideo qualitas non dicitur habitus, niſi firmiter teneatur, aut nos teneat. Nam in bonis nos tenemus habitus, & in malis, ipſi nos habent.

CAPVT 18.

Dxplicantur tres aliæ ſpecies qualitatis.

147 SEcunda ſpecies qualitatis etiam nominatur duplici nomine, ſicut & prima, nimirum, naturalis potentia, & impotentia, & prout conſtituit hanc ſecundam ſpeciem, ſic diffinitur. Eſt qualitas, quæ eſt ſimpliciter principium operationis, v. g. potentia viſiua in iuuene, quę fortis eſt, & ad videndum ordinata, dicitur naturalis potentia; eadem autem, quæ in ſene inuenitur imbecillis ad videndum, dicitur naturalis impotē tia.

148. Ex quo deducitur primò differentia inter primam, & ſecundam ſpeciem qualitatis, nam prima ſolùm reſpicit quòd ſubiectum benè, vel malè ſe habeat in ordine ad ſuam naturam, & idcirco quàmuis habitus, qui eſt in prima ſpecie, ordinetur ad operationem, vt contingit in omnibus habitibus intellectualibùs, & alijs virtutum moralium; tamen ipſam operationem reſpicit, quatenùs per illam benè, vel malè ſe habet ſubiectum in ordine ad ſuam naturam, & quia propria natura potentię, in qua eſt habitus, eſt reſpicere operationem, ideo habitus illam reſpicit ſub ratione conuenientis, vel diſconuenientis. Secunda autē ſpecies ſimpliciter eſt principium operationis abſtrahendo ab hoc, quòd benè uel male ſe habeat, v. g. intellectus eſt naturalis potentia, reſpicit quē operationem ſimpliciter, & abſolutè, & idem eſt de potentia uiſiua, & alijs, Et nota quod, cum ad operationem concurrat duplex principium, & radicale ſeu remotum, quale eſt forma ſubſtantialis, & proximum, & immediatum, quale eſt quælibet potentia ad operationem ordinata, in ſecunda ſpecie conſtituitur principiū proximum, & immediatum operationis.

149. Infertur ſecundo differentia inter naturalem potentiam, & impotentiam, quę accidentalis eſt, & diſtinguuntur tanquàm perfectū, & imperfectum intra eandem ſpeciem; nam vna dicit fortitudinem, ſeu perfectionem potentię, quæ perti-

ti-

Digitized by Google

tinet ad ſtatum illius accidentalem, & ideo dicitur naturalis potentia; altera vero dicit imperfectionē ſeu imbecillitatem eiuſdem, quæ accidit illius eſſentiæ, vt conſtat in exemplo poſito de potentia viſiua in iuuene, & in ſene, quæ eſt eadem in ſpecie, & in illo dicitur naturalis potentia, & in iſto impotentia.

150. Tertia ſpecies qualitatis eſt paſſio, ſeu paſſibilis qualitas. Ad cuius quidditatis intelligentiam nota ex Magiſt. Soto in hoc capite de qualitate explicante textum Ariſtotelis, quòd paſſibile dicitur à paſſione quadrupuliciter. Primò paſſibile eſt ſubiectum, quod patitur, ſicut lignum eſt combuſtibile. Secundò accidens ipſum poteſt dici paſſibile, in quantùm eſt forma, qua ſubiectum patitur. Tertio accipitur actiuè, vt accidens dicatur paſſibile, quia eſt cauſa paſſionis. Et quartò quia eſt effectus paſſionis. Relictis duobus modis, qui ad rem præſentem uon attinent, Paſſibilis qualitas dicitur tertio, & quarto modo, & vtrumque aſſeruit Ariſtoteles, verbi gratia dulcedo, & caliditas dicuntur paſſibiles qualitates tertio modo, quia videlicet cauſant paſſionem in ſenſibus, vt dulcedo in guſtu, & caliditas in tactu. Item albedo, & nigredo dicuntur paſſibiles qualitates quarto modo, quia ſunt qualitates reſultantes ex actione primarum qualitatum, & conſequenter ſunt effectus paſſionis.

151. Quo ſuppoſito deducitur propria quidditas huius tertiæ ſpeciei, quæ in eo conſiſtit, quòd cauſet, vel cauſetur ab alteratione, & ſic poteſt diffiniri, eſt qualitas ſubiecti, vt moti, & alterati quo modo illam diffiniuit M. Ioannes à Santo Thoma, & eſt intelligenda dicta diffinitio iuxtà doctrinam datam ex M. Soto.

152. Vlterius nota paſſionem, & paſſibilem qualitatem inter ſe differre ſolù accidentaliter, & penès cauſas extrinſecas durationis, itaquè qualitas, quæ parum durat, dicitur paſſio, & quę multum durat, dicitur paſibilis qualitas, v.g. rubor cauſatus in facie ex motu ſubito verecundiæ, & pallor relictus in facie ex metu, dicuntur paſſiones, Item pollor diù perſeuerans, & ſimiliter rubor diù durans in facie dicuntur paſſibiles qualitates. Et hoc quòd eſt parùm, vel multum durare per ordinem ad cauſas extrinſecas, eſt quid accidentaliter ſe habēs ad iſtā tertiam ſpeciem.

153. Quarta ſpecies qualitatis eſt forma, & figura, quę, vt ad præſens attinet, accipitur pro illo, quod reſultat ex terminatione partium quantitatis, conſtituiturq; per hoc, quod ſit, qualitas reſultans ex terminatione partium quantitatis, & ſic etiam diffinitur. Forma, autem, & figura differunt accidentaliter, & relictis aliis differentiis aſſignatis ab aliquibus, præcipua eſt, quæ aſſignatur à Magiſtro Soto, & conſiſtit in eo quòd figura dicit ſuperficiem lineis certis, & angulis, vel circulo terminatam, vt abſtrahit ab hac, vel illa materia. Forma verò dicit figuram rerum naturalium, aut artificialium, vt domus, turris, ſtatua, & ſi darentur ſimplicia nomina ſignificantia naturales figuras. Quæ differentia colligitur ex doctrina D. Thomæ. 7 Phyſicorum lect. 5. vt refert Collegium diſcalciatum Complutenſe. Alii antem dicunt, quòd forma addit ſupra figuram quòd ſit

terminatio cum debita proportione,& quaſi formoſitate: quem dicē di modum refert Mag. Soto ex Boetio,& impugnat, nam talis formoſitas,ſeu deformitas pertinent ad primam ſpeciem qualitatis,eo quia dicunt rèi conuenientiam.

CAPVT. 19.

Oſtenditur ſufficientia ſpecierum qualitatis.

154 EXplicatis ſingulis ſpeciebus, qualitatis,facili negotio conſtabit eorum ſufficientia, quam, vt refert Mag. Soto, egregiè deducit D. Tho. 12.quęſt.49.art.2.hoc modo. Nam qualitas, ex propria ſua natura eſt modificatiua, ſeu determinatiua ſubſtantiæ: ſed quatuor modis tantùm poteſt determinari, ſeu modificari ſubſtantia à qualitate; ergo tantùm erunt quatuor ſpecies qualitatis: conſequentia patet nam iuxtà diuerſum modum modificandi, ſeu determinandi ſubſtantiam, debent diſtingui,& numerari ſpecies qualitatis. Et minor probatur. Nam ſubſtantia tantùm poteſt modificari vel in ordine ad eius naturam, vt benè,vel malè ſe habeat,& hoc pertinet ad primam ſpeciem, vt dictum eſt,vel poteſt modificari,ſeu determinari in ordine ad illius actionē, & hoc dupliciter, vel in ratione, principij actionis, & hoc pertinet ad ſecundam ſpeciem,vel in ratione termini actionis, & hoc ſpectat ad tertiam ſpeciem. Et tandem poteſt ſubſtantia determinari ratione quantitatis, & hoc fit per quartam ſpeciē qualitatis, vt ex dictis conſtat: ergo tantùm ſunt quatuor modi modificandi, ſeu determinandi ſubſtantiam, cum alius imaginari non poſſit, & conſequenter ſufficienter numeratæ ſunt ſpecies qualitatis.

155. Quam doctrinam adducunt etiam alij moderni ex Mag. Soto, qui illam explicat,& confirmat exemplis. Etenim propria natura, & perfectio animalis conſiſtit in vita,& ideò ſanitas, quæ perficit rem ad iſtum finem,pertinet ad primam ſpeciem qualitatis. Item propria natura animæ, in quantum rationalis, eſt vita ſecundum rationē, & idcircò habitus tàm intellectus, quàm voluntatis,qui perficiunt animam ad iſtum finem, pertinent ad primam ſpeciem,& ad eandem pertinent contraria,ſcilicet ægritudo, iniuſtitia, & alia. Inſuper anima ex ſe eſt principium radicale ſuarum operationum, & ideò determinatur à potentia intellectiua, vt à principio proximo, & immediato intellectionis abſolutè conſideratæ, & ideò pertinet ad ſecundam ſpeciem, ſi autem determinatio ſit ex parte termini actionis,pertinet ad tertiam,& tandem determinatio quantitatis, quæ fit per formam, & figuram, pertinet ad quartam.

Digitized by Google

CAPVT 20

Explicantur proprietates qualitatis, & proponitur coordinatio illius.

156 TRes proprietates aſſignauit Ariſtoteles qualitati, & eas ſic proponit Mag. Soto. Prima eſt habere contrarium, & intelligitur de propria, & rigoroſa contrarietate, de qua dicemus aliquid in poſt prædicamētis, & plura alibi. Hæc proprietas non eſt quarto modo, nam licet ſoli qualitati conueniat, non tamen omni qualitati, plures enim ſunt quæ non habent contrarium. Et ſubdit Ariſtoteles hic quod ſi vnum contrarium ſit in vno prædicamento, alterum in eodem debet poni. Secunda proprietas eſt, ſuſcipere magis, & minus. Iſtæ enim duæ proprietates, ait Mag. Soto, ſunt germanæ, & ita neceſſum eſt, vt cui ad eſt vna, adſit, & alia, & cui abeſt vna, altera abſit. Qua propter iſta Proprietas non eſt quarto modo, ſicut, & prima, nam licet conueniat ſoli qualitati, non tamen omni, cum, plures ſint, qnæ, ſicut non habent contrarium, ita nec ſuſpiciunt magis, & minùs. Tertia proprietas eſt quòd ſecundum eam dicantur ſimilia, aut diſſimilia, verbi gratia duo alba dicuntur ſimilia ſecundum albedinē, & duo trianguli ſecundum figuram. Maior autem explicatio harum proprietatum alterius loci eſt pro nunc dicta ſufficiant,

157. His præmiſsis circa intelligentiam huius prędicamenti, iam opus eſt illius coordinationem proponere. Et in primis genus generaliſſimum eſt, Qualitas, quæ immediate diuiditur in quatuor ſpecies iam aſſignatas, quarum prima continet ſub ſe duas alias ſpecies, nempè habitum, & diſpoſitionem. Vbi nota quòd in duabus prioribus ſpeciebus continentur non ſolum qualitates corporales, ſed etiam ſpirituales; in aliis vero duabus poſterioribus tantùm continentur qualitates corporales

158. Diuiſio autem habitus in varias eius ſpecies, & ſimiliter potentiæ, ad Metaphyſicum attinet, ſicut, & diuiſio qualitatis paſſibilis, & ad mathematicum ſpectat diuidere figuras in illius varias ſpecies, quapropter hæc coordinatio pro nunc ſufficiat.

CAPVT 21.

De actione, & paſſione prædicamentalibus.

159. SEx vltima prædicamenta ſumma breuitate Ariſtoteles perſtringit, vt aduertit Mag. Soto; Duas enim tantū enumerat pròprietates actionis, & paſſionis, reliqua verò quatuor ſub ſilentio prætermiſit. Et reddit rationē, nā, & facillima ſunt cognitu,

& non adeo ad vſũ neceſſaria. Nihilominus Gilbertus Porretanus ſupplementum huic capiti adiecit in libello, qui ſex principiorum inſeribitur à quo communiter accipiuntur diffiuitiones horum prædicamẽtorum, vt iam proponemus.

160. Diffinitio actionis hæc eſt 'Actio, ſeu factio(eſt ratio, ſeu forma per quam in materiam ſubiectam denominamur agere, vel facere.) Item, paſsio eſt effectus agentis. Ad huius intelligentiam nota, quòd in productione alicuius effectus tria debemus conſiderare, nempe actionem, paſſionem, & motum: Tendentia .n. illa, ſeù fluxus ſubiecti in ordine ad calorem acquiremdum, eſt motus. Illud verò, medio quo agens immutat paſſum, v.g. aquam ſuperãdo, & vincendo illam eſt actio qua ignis dicitur agens. ſeu calefaciens. Itẽ ipſa receptio caloris in aqua dicitur paſſio, quia eſt effectus agẽtis Ex his ergo, motus non pertinet ad aliquod prędicamentum, vt infra in poſtprædicamentis dicitur, actio verò, qua aliquid denominatur agẽs, conſtituit quintum qrædicamentum. Et paſſio, quę eſt effectus agentis, media qua recipitur effectus in paſſo, conſtituit ſextum. Plura alia circa actionem, & paſſionem, pertinẽt ad lib. 3. phyſicorum, & aliqua dicemus in noſtris conferenti?s.

161 Quatuor proprietates aſſignãtur prædicamento actionis. Prima eſt, quòd in quocunquè motu eſt actio, & in quacumquè actione eſt quodammodo motus. Secunda eſt, quòd proprium eſt actionis inferre motum, ita vt ly, inferre, dicat cauſam realem. Quæ duæ proprietates colliguntur ex diffinitione actionis. Tertia proprietas eſt, quòd agere, & pati ſuſcipiunt contraritatẽ, v,g. calefactio contrariatur frigefactioni, vt potè motus tendentes in terminos contrarios. Quarta eſt, quod actio, & paſsio ſuſcipiunt magis, & minùs Quæ quidem conueniunt illis ratione termini. Illud enim magis calefacit, quod tempore æquali plus formæ producit, & illud magis calefit, quod tempore æquali plus formæ recipit.

162. Tandem ſic debet coordinari prædicamentum actionis, quòd genus generaliſſimum ſit Actio, quæ primò diuiditur in tranſeuntem, & immanentem, ſi actio immanens pertinet ad hoc prædicamentum, vt alibi dicetur. Item tranſiens primò diuiditur in artificialem, & naturalem, illa inſuper in innumeras ſpecies partitur, hæc autem immediate in naturalem, & accidentalem, & ambæ in plures alias, de quibus Phyloſophus latè agit. Deinde actio immanens diuiditur in volitiuam, & intellectiuam, & in corporalem, & ſpiritualem, quæ omnes alias plures diuiſiones habent, de quibus etiam tractat Phyloſophus. Tandem cum proportione actionis, ex qua reſultat paſſio, debent poni tot ſpecies ſub prædicamento Paſſionis, quot conſtituuntur ſub prædicamento actionis.

Cap 22

Digitized by Google

CAPVT. 22

Quatuor vltima Prædicamenta diffiniuntur, & explicantur.

163 RESTãt alia quatuor Prędicamenta, ſcilicet, Quãdo, Vbi, Situs, & Habere. Quæ ſic diffiniuntur à Gilberto. Quando eſt id, quod ex adiacentia temporis relinquitur, v.g. eſſe hodie, eſſe heri, &c. quod facilè intelliges ſi ad album recurras, eſſe enim album non eſt albedo, nec relatio, ſed habere albedinem inhærẽtem, ita eſſe in tempore eſt, [vt ſic dicam] contineri à tempore, & hęc cõtinentia dicitur, quando.

164. Pari modo, vbi, ſic diffinitur. Eſt circunſcriptio corporis ex circunſcriptione loci proueniens, v.g. contineri in tali loco, ſcilicet in gymnaſio, vel in foro. Et ſicut, quando, non eſt tempus, ſed ipſamet continentia paſſiua à tempore, ita, vbi, non eſt locus, ſed ipſa continentia paſſiua à loco, & hęc vocatur circunſcriptio paſſiua proueniens à circunſcriptione actiua loci, qui dicitur quaſi actiuè cõtinens, ſeù circunſcribens, & corpus paſſiuè contentũ, & circumſcriptum.

165. Situs eſt poſitio, ſeu ordinatio partium in loco. Vbi aduerte cũ Mag Soto quòd poſitio eſt duplex, alia eſt partium ordinatio inter ſe, v.g. caput eſt in homine ſuprà pectus, & pectus ſupra ventrem, &c. Et hæc ordinatio, ſeu poſitio eſt de prædicamento quantitatis. Alia eſt ordinatio partiũ ordine ad locũ, v.g. ſedere, ſtare, iacere, &c. Et hæc ordinatio, ſeu poſitio peculiariter dicitur, ſitus, conſtituens hoc prædicamentũ. Hęc autem poſitio partiũ in ordine ad locum poteſt eſſe naturalis, ideſt, à natura proueniens per generationẽ, v.g. aliũ ſitum habent partes hominis, & aliũ partes aliorũ animalium, & poteſt eſſe voluntaria proueniens ex appetitu animalis; & vtraque pertinet ad hoc prędicamentum.

Deniquè Habere, ſeu Habitus ſic diffinitur. Eſt corporum, & eorum, quę circa corpus ſunt, adiacẽtia, v.g. eſſe veſtitũ, eſſe armatũ, &c. Itaquè illa paſſio, qua dicitur aliquid habere veſtẽ, dicitur, Habitus; pertinens ad hoc prædicametũ. Vbi aduerte quòd in hoc prędicamento non tantũ conſideratur quęlibet relatio, vt dicetur de poſt prędicamento habere, ſed ſpecialiter exigitur quòd interueniat aliquid, quaſi paſſio. Etenim veſtis ſe habet reſpectu corporis, quaſi forma, & homo veſtitus ſe habet, quaſi patiens à veſte, & in hoc diſtinguitur prædicamentũ hoc à Poſt prædicamento, Habere, vt hic notat M. Soto.

166. Tres proprietates aſſignauit Ariſtoteles Predicamẽto, quãdo Prima quòd nõ habet cõtrariũ. Secũda quòd non ſuſcipiat magis aut minus, quę duæ proprietates etiã conueniũt alijs prędicamẽtis, & conſequẽter sũt cõmunes quatuor vltimis prædicamẽtis, sunt tamẽ impropriè proprietates, cũ potius ſint negationes proprietatum. Tertia proprietas eſt, quòd ſolę res, quæ incipiunt & deſinunt eſſe, ſunt in prædicamento, quando, & idcirco res æternæ, vt Deus, ab illo excluduntur. Et ex hac poteſt deduci alia ſimilis tertia proprietas conueniens prędica-

dica

dicamento, vbi, nempè quod in hoc propriè tantùm ſunt corpora quanta, nam angeli non ſunt propriè alicubi. Ita docet M. Soto, de cuius doctrinæ intelligentia alibi dicetur. Et eadem, cum proportione, erit proprietas, ſitus, nam indiuiſibilia nec habent ſitum, nec poſitionem. Et tandem eadem erit proprietas, Habitus, quia iſte, vt eſt vltimum prædicamentum, ſolùm conuenit corporibus, & præſertim animalibus.

CAPVT. 23.

Explicantur diuiſiones, & coordinationes quatuor prædicamentorum.

167 CIrca prædicamentum, Quādo, aduerte ad illud ſolum pertinere illa accidentia, quæ ex adiacentia temporis primi mobilis relinquuntur in rebus, quæ ab ipſo menſurantur, ratione quorum dicuntur eſse in tempore. Ita docent multi Thomiſtæ excludentes ab hoc prædicamento alias durationes creatas, quæ ſub nominè æui ſignificantur, & conpetunt rebus ſpiritualibus, quales ſunt angeli. Quo ſuppoſito genus generaliſſimum eſt, Quando, & diuiditur ſicut tempus ipſum in præſens, præteritum, & futurum, & vnum quodque iſtorum diuiditur in alias varias ſpecies, annorum, menſium, dierum, &c. Si autem, vt aliqui volunt, in hoc prædicamento collocantur omnes durationes creatæ, tunc, quando, primò diuiditur in tempus, æuum, modum æui, & modum æternitatis. Tempus diuiditur modo dicto, & in ſuper in continuum, & diſcretum. Æuum eſt duratio competens rebus ſpiritualibus; modus æui rebus inſtantaneis, modus æternitatis viſioni beatæ, quæ immutabilis eſt ex natura ſua.

164 Deinde nota quòd, vbi, diuiditur communiter in diffinitiuum & circunſcriptiuum, quibus ſolet addi vbi ſacramentale conueniens corpori Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, & relicto hoc, vbi diffinitiuum ideò ſic dicitur, quia diffinit, & determinat rem, vt ita ſit in hoc determinato loco, vt non ſit alibi, & hoc vbi competit omni creaturæ exiſtenti in loco. Vbi circunſcriptiuum eſt, quando ita facit rem eſſe in loco, vt tota correſpondeat toti loco, & partes eius paptibus loci, & hoc vbi tantum reperitur in corporibus. Quo ſuppoſito aliqui exiſtimant omne vbi creatum poni in hoc prædicamento, & tunc non aliter fieret diuiſio: ſi autem in illo tantùm ponatur vbi circunſcriptiuum, tunc diuidendum eſt iuxtà varios modos diſtantiæ, in vbi ſurſum, deorſum, antè, & retrò, quo modo etiam ipſe locus diuiditur.

169. Inſuper Prædicamentum, Situs, diuidendum eſt cum Mag. Soto in naturalem, & præter naturalem prouenientem ex appetitu animalis; & rurſus naturalis diuiditur in tàm uarias poſitiones naturales animalium Et etiam præternaturalis habet ſuas ſpecies, nimirum, ſtare, iacere, ſedere, &c. Vel dicatur cum B. Alberto relato hic à Doctoribus,

Digitized by Google

ribus, quòd ſub genere ſupremo ponantur duæ ſpecies, ſcilice, rectè, & inflexè, & ſub qualibet harum plures aliæ.

170. Tandem, Habitus, diuiditur primò in arma, & veſtimenta. Illa in offenſiua, & defenſiua, & vnum quodquè in varias alias ſpecies armorum, & habendi arma. Iſta in varias ſpecies veſtimentorũ iuxtà varios modos induendi. Quocirca dictę ſpecies non ſumuntur penes materiam, vel artẽ, qua fiunt veſtes, ſed ex diuerſo modo veſtiendi. Et ad hoc prædicamentum reductiuè pertinent ornamenta parietum, quæ propriè non ſunt veſtes, vt optimè notauit Mag. Ioannes à S. Thoma.

CAPVT 24.

De Poſtprædicamentis in communi, et ſpecialiter de Oppoſitione.

171 EXplicatis ſingulis prædicamentis in ſecunda parte huius libri, in tertia explicuit Ariſtoteles Poſt prædicamenta. Enim verò, ait Mag. Soto, ſicut Anteprędicamenta ſunt præambula illa ad notitiam prędicamentorum præuia, ita Poſtprędicamentum eſt proprietas, ſeu conditio, quę aut omnibus, aut quibuſdam prædicamentis competit, & hæc ſit diffinitio Poſtprædicamenti, & dicitur Poſtprædicamentum quia conſequitur naturam prędicamenti.

172 Poſtprędicamenta ſunt quinq; putà, Oppoſitio, Prius, Simul, Motus & Habere. Tria priora ſunt generales conditiones omnium prędicamentorum, nam omnia inter ſe dicunt oppoſitionem, cum ſint primò diuerſa, & ordinem naturæ inter ſe habent, eſt enim ſubſtantia prior quantitate, & quantitas prior aliis, &c. Omnia tamen ſunt ſimul tempore Motus verò, ſi propriè accipiatur, conſequitur tria tantùm prædicamenta, nimirum quantitatem, qualitatem, & vbi. Mutatio verò conſequitur ſubſtantiam. Et tandem Habere propriè conuenit ſubſtãtię, v.g. habere ſeruum, habere quantitatem, &c.

173. Hoc ſuppoſito circa Poſt prędicamenta in communi; in hoc capite explicandum eſt primum, ſcilicet, Oppoſitio. Et licet ab Ariſtotele non diffiniatur, ex doctrina Mag. Soto hic poteſt ſic formari diffinitio. Oppoſitio eſt incompoſibilitas duorum, vt ſimul exiſtant in eodem ſubiecto. Et eſt quadruplex, ſcilicet, relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria, ſufficientia huius diuiſionis ſic probatur à Mag. Soto. Nam oppoſitio vel eſt inter ens, & ens, vel inter ens, & non ens. Si eſt inter ens, & non ens ſimpliciter, eſt contradictoria, v.g. inter ſedere, & non ſedere, ſi eſt inter ens, & non ens in ſubiecto apto nato, eſt priuatiua; Item ſi eſt inter ens, & ens, quæ mutuò ſe expellunt, eſt contraria, ſi autem inter ens, & ens, quę mutuò ſe reſpiciunt, eſt relatiua. Et quamuis alii aliter probent huiuſmodi ſufficientiam, tamen hac ratione utor, quia eſt tradita à Magiſtro Soto.

Digitized by Google

174. Iuxta quam ſic poteſt diffiniri vnaquæq; oppoſitio. Contraria eſt [quę inuenitur inter extrema, quæ ſub eodem genere maximè diſtāt, et ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt.] v.g. album, & nigrum opponūtur contrarie. Relatiua eſt, quæ inuenitur inter extrema, quę mutuò ſe reſpiciunt, v.g. Pater, & filius. Priuatiua eſt illa, quæ verſatur inter formam, & eius carentiam in ſubiecto apto nato ad formam, v.g, cæcū, & videns. Contradictoria eſt illa, quæ inueuitur inter formam, & carentiā eius in ſubiecto incapaci illius, v.g. videns, & non videns.

175. Ex quo deducit Mag. Soto, quòd ſi ordo inter oppoſitiones conſideretur in ratione non entis, quæ eſt propria ratio oppoſitionis, tunc maxima oppoſitio eſt cōtradictoria, quia vnum extremū nihil habet de ente. Priuatiua parùm hēt, nēpe, aptitudinē in ſubiecto. Tertia eſt contraria, quæ eſt inter extrema poſitiua eiuſdē generis. Vltima eſt relatiua, cuius extrema reſpectu diuerſorum conueniunt eidem, v.g. Pater, & filius. Si autem prædicta omnia conſiderentur ſecundùm quòd participāt magis de entitate, & minus de oppoſitione, tunc habent ſe ordine inuerſo, & hoc modo ordinantur ab Ariſtotele. Qua propter abſolutè, & ſimpliciter maior oppoſitio eſt contradictoria, de qua ſolet dici, quòd non habet medium, quia ita negatur oppoſitum, ſeu tollitur, quòd nihil de illo relinquitur: hoc autem nō inuenitur in alia oppoſitione, vt conſtabit, quandoquidem priuatiua ad minùs relinquit aptitudinem ad formam, quæ eſt aliquid formæ virtualiter, ſaltim. Et hęc ſufficiunt de oppoſitione, cuius maior explicatio ad alium locum ſpectat.

CAPVT. 26.

Explicantur reliqua Poſt prædicamēta.

176. CIrca ſecundum poſtprædicamentum, quod eſt, Prius, nota quinq; modos prioritatis. Primus eſt, prioritas temporis, quando ſcilicet aliquid eſt prius alio tempore, vt Adamus fuit Prior Abele. Secundus eſt prioritas conſequentiæ, quando ab vno ad aliud non valet conſequentia, & ſic ſunt priora prędicata ſuperiora inferioribus, v.g. animal eſt prius homine, quia non valet, eſt animal; ergo eſt homo, benè tamen è contra. Tertius eſt prioritas ordinis, nempè quando aliquid habet habitudinem principij, vel partis reſpectu alterius, v.g. præmiſſæ reſpectu concluſionis. Quartus eſt prioritas dignitatis, quando ſcilicet aliquid eſt prius dignitate, vel honore, quo ſenſu honorabiliores vocantur priores. Quintus modus additur ab Ariſtotele quattuor pręcedentibus, qui ſuo tēpore circunferebantur, eſt què prioritas naturæ, quę ſic diffinitur. [ideſt prius natura alio, quod licet conuertatur cum alio, eſt tamen cauſa alterius,] verb.g. eſſe hominem prius natura eſt, quàm propoſitio ſit vera.

177. De hac proprietate naturæ ait M. Soto, maximè conſiderandam eſſe illius diffinitionem, quippè ex eius in conſideratione multa in Philo-

Digitized by Google

loſophia, & in Theologia commẽta finguntur, & ſuſtinentur. Et accuratè aduertendum eſt quòd prioritas naturæ non eſt prioritas in quo; quod eſt dicere non eſt explicanda per ly, in, ſed per ly, quia, verbi gratia. Sol eſt prius natura ſuo lumine, quod eſt ſibi coæuum, quod ſi quis inferat, ergo in aliquo priori eſt ſol, in quo non eſt lumen, fallacia eſt, nam huiuſmodi prioritas explicatur per cauſalitatem, & ideo ſolet dici prioritas cauſalitatis. Ex quo colligitur quod prioritas temporis dicitur prioritas, in quo, & prioritas naturę, ſeu cauſalitatis dicitur prioritas, à quo. Et illa prima eſt antecedentia in eſſendo, & hæc ſecunda in cauſando, & hæc etiam extenditur ad omne genus cauſalitatis, & dependentiæ, etiam ſi ad inuicem non conuertantur cauſa, & effectus. Et idcircò cum ſint cauſę in diuerſo genere cauſæ, hinc eſt quòd etiam ad inuicem ſint priores, & poſteriores in diuerſo genere cauſæ.

178. Prædictis prioritatibus aliæ duę adduntur à theologis, altera dicitur prioritas originis, quæ inuenitur in perſonis diuinis, in quibus abſquè antecedentia durationis, vel cauſalitatis vna ab altera procedit, hæc autem conuenientiùs vocatur ordo, quam prioritas. Alia Prioritas eſt rationis, quæ nihil aliud eſt quam diſtinctio rationis, ratione cuius vnum ſine alio, ſeu priùs alio, concipitur. Et tales prioritates, ſeu diſtinctiones rationis ab aliis vocantur ſigna rationis, quibus Theologi vtuntur in diſtinctione diuinorum prędicatorum.

179. Tertium poſt prædicamẽtum eſt, Simul, & contingit triplici ter, primò ſimultatẽ temporis; quando duo in eòdem tempore fiunt, vel ſunt. Secundò ſimultate naturæ, quando duo inter ſe conuertuntur, & neutrum eſt cauſa alterius, quomodo relatiua ſunt ſimul. Tertio dicuntur ſimul differentiæ diuiſiuæ eiuſdem generis, vt volatile, greſſibile, & aquatile reſpectu animalis. Quę ſimultas intelligitur de differentiis, vt pręcisè comparantur ad genus, nam inter ſe neceſſum eſt vnam eſſe alia priorem. Et hic benè nota quòd ſimultas non opponitur præcisè prioritati nam priori formaliter opponitur poſterius, ſed ſimultas opponitur ſucceſſioni inter prius, & poſterius, & ideo modi ſimultatis ſunt tres tantùm.

180. Quartum poſtprædicamentum eſt, Motus, cuius naturam explicare eſt proprium munus Philoſophi in 3. phyſicorum. Et hic Ariſtoteles enumerat ſex ſpecies motus, nempe [generationem, & corruptionem,] quę ſunt mutationes, (augmentationem, & diminutionem, alterationem, & motum localem] quæ ſunt verè motus, de quibus latè dicendum eſt in libris Phyſicorum.

181. Quintum poſtprędicamentum eſt, Habere, ſeu, habitus, qui in præſenti ſumitur pro modo habendi vtcunq; , ſiue per inhærentiam, ſiue per adiacentiam ſolú, vt ſupra dicebamus in prædicamento Habitus. Et enumerat Ariſtoteles varios modos habendi, & illos reducit ad quatuor libro. 5. Metaphi. tex. 28. Primò vna res dicitur habere aliam, quam trahit ad ſuam diſpoſitionem, & na-

turam, v. g febris habet infirmum, & tyrannus ciuitatem, & homo veſtem, quæ conformatur ad figuram habentis. Secundò res habet aliam ſicut ſubiectum formã, verbi gratia ſubſtantia habet quantitatem, vel qualitatem. Tertiò, ſicut continens habet cõtentum, v. g. dolium habet vinum. Quartò, ſicut aliquid per violentiam tenet aliud, ne moueatur ſuo motu naturali, aut libero, ſicut columnæ habent trabem, quam ſuſtinent, & vincula habent hominem. Quintum modum addit Ariſtoteles, quem vocat remotiſſimum omnium, ſicut homo dicitur habere amicum, aut vxorum per ſolam relationẽ, quia habitant ſimul, aut quacunque alia relatione quis habeat aliam rem. Et dicitur iſte modus habendi remotiſſimus, quia non magis vnus amicus habet alium, quàm alius primum. Et hæc de libro prædicamentorum.

LIBER POSTERIORVM PROŒMIVM.

182 NVnc accedimus ad explicandas ſecundas intentiones pertinentes ad tertiã operationem intellectus, & præcipuè illas, quibus cõſtituitur propria materia demonſtrationis. Et quidẽ omittimus nunc explicare intentiones pertinentes ad ſecundam operationem, de quibus egit Ariſtoteles in libris Perihermenias, & nos abundè ſatis in ſummulis. Et quantùm ad præſens, vt intelligatur titulus huius libri, & cognoſcatur eius proprium obiectum, circa cuius explicationem verſatur, notandum ex primò, quod inter argumentationes, præcipuum locum obtinet ſyllogiſmus ille qui cauſat aſſenſum ſcientificum, & dicitur demõſtratio. Nota 2. quod demonſtratio eſt totum quoddam artificiale conſtans ex forma, & materia. Forma illius eſt ipſa forma ſyllogiſtica, & materia proxima ſunt propoſitiones ipſæ, ex quibus componitur, De forma egit Ariſtoteles in libris Priorum, quorum titulus eſt de priori reſolutione, & in libris Poſteriorum tractauit de materia proxima demonſtrationis, quorum titulus eſt de poſteriori reſolutione. Et ratio huius eſt. Nam forma prior eſt ſimpliciter materia, & ideò reſolutio ex parte formæ dicitur prior reſolutio. Et conſequenter pars illa, in qua docetur modus reſoluendi formam, dicitur de priori reſolu-

tio-

Digitized by Google

tione agere, & illa, in qua traditur modus reſoluendi materiam, dicitur tractare de poſteriori reſolutione, & hanc partem logicæ, quæ demonſtratiua vocatur, intendit explicare in duobus libris, qui communiter dicuntur libri Poſteriorum, & apud Ariſtotelem ſunt duo, quos elegantiſsimis commentariis illuſtrauit M. Soto. Nota 3. cum Magiſtro Soto. quòd modus procedendi Ariſtotelis in his libris eſt doctrinalis. Procedit enim diffiniendo quid ſit demonſtratio, & oſtendendo ex quibus principiis conſtet, quoſquè habeat effectus per comparationem ad alios modos ſciendi. Et quàmuis Ariſtoteles inſtituerit duos libros, tamen breuitatis cauſa, in vno explicabo quę ad vtrumquè pertinent. Doctrina primi libri continetur à cap. I. uſque ad capit. 17. Et in cæteris capitibus explicabitur doctrina pertinens ad ſecundum librum. De diſtinctione autem inter iſtos duos libros Ariſtotelis, dicemus poſtea cap. 18. ex Mag. Soto.

CAPVT I.

Explicatur ſenſus illius Propoſitionis, Omnis doctrina, omniſque diſciplina, &c.

183. IN primo capite primi libri Poſteriorum ſtatuit Ariſtoteles illam celebrem propoſitionem (omnis doctrina, omniſque diſciplina intellectiua ex præexiſtente cognitione fit] circa cuius ſenſum, & intelligentiam varii ſunt doctores, nos autem, vt breuiter illam explicemus, notandum eſſe ducimus aliud eſſe in quo ſenſu prædicta propoſitio poſſit abſolutè verificari, aliud verò eſſe de mente Ariſtotelis ad intentum; quo illam protulit. Et ſanè dictam propoſitionem vniuerſaliter intellectam de omni noſtra cognitione poſſe verificari exiſtimo certiſſimum. Nam omnis cognitio diſcurſiua fit ex cognitione compoſita, & omnis compoſita fit ex ſimplici, & omnis ſimplex fit ex aliqua cognitione per ſenſum; quod intelligendum eſt ſi ly, ex, tantum dicat ordinem, & dependentiam vnius cognitionis ab alia non determinando aliquod genus cauſæ, in quo ſit talis dependentia. Et hoc intendunt authores illi, qui in ſenſu ita vniuerſali explicant dictam propoſitionem de omni noſtra cognitione intellectiua. Vbi aduertendum eſt quod loquitur Ariſtoteles de noſtra cognitione, vt excludatur cognitio angelorum, & Dei, de qua hic non eſt ſermo, ſed de cognitione humana.

184. Cæterum ſi ad mentem Ariſtotilis attendamus, ſine dubio dicendum eſt ſolum verificari de doctrina, & diſciplina habita per diſcurſum probatiuum, ſiue ſit diſcurſus probabilis, ſiuè ſcientificus. Et eſt ſenſus. Omnis doctrina, ideſt, omnis cognitio probans aliquod prædicatum de aliquo ſubiecto, quæ vocatur doctrina prout eſt in Magiſtro docente, & omnis diſciplina, ideſt, ſimilis cognitio probatiua, quæ dici-

Digitized by Google

tur diſciplina, prout recipitur in diſcipulo addiſcente, fit ex prę-exiſtente cognitione, ex qua probetur, ſeu inferatur. Ita explicant mentem Ariſtotelis communiter Thomiſtæ.

185. Conſtat autem hanc eſſe mentem Ariſtotelis primò exemplis quæ adducit ad probandá dictam propoſitionem. Primum eſt in Mathematicis ſcientiis, quæ euidenter demoſtrant, & in his præſupponuntur aliquę propoſitiones lumine naturali notæ. Secundum eſt in diſcurſibus dialecticis Notat n. M. Soto q͠d ſilogismus dialecticus eſt ille, qui non eſt demonſtratiuus, ſed ex probabilibus generat opinionem, & ideo dialecticus non reſoluit præmiſſas in prima principa per ſe nota, ſed ſupponit aliquas præmiſſas, quas reſpondens, oīa credit eſſe veras, admittit, & talis diſcurſus dialecticus fit ex dictis præmiſſis. Tertium exemplum eſt in diſcurſu facto in Rhetoricis ſuaſionibus quæ non faciunt ſemper certam opinionem, ſed ſolùm coniecturam, & perſuaſionem, & talis diſcurſus etiam fit ex aliquibus prę cognitis. Ex quibus ſic formo rationem Ariſtoteles probat, & exemplificat dictam propoſitionem in doctrina, & diſciplina, quæ habetur per diſcurſum probantem aliquam veritatem: ergo de prædicta doctrina, & diſciplina intelligenda eſt illius propoſitio.

186 Secundò idem oſtenditur. Nam ante Ariſtotelem duo fuere extremi errores, alter illorum, qui negantes poſſibilitatem ſcientię, tollebant ſubinde neceſſitatem demonſtrationis, iſti fuerunt Heraclitus, & Cratylus, quorum meminit Ariſtoteles 4. Metap. tex. 22. vt docet hic Magiſter Soto: Alter fuit error Platonis, qui per oppoſitum extremum aſſerebat quidē eſſe ſcientiam, tamen negabat eam de nouo adquiri. Vnde colligebat noſtrum diſcere nihil aliud eſſe, quàm quoddam reminiſci. Sed Ariſtoteles more ſuo ſtatim primo verbo, velut agens naturale, euellit iſtos duos extremos errores, & ad hunc finem propoſitionem præfatam docuit dicens, Omnis doctrina, &c. Itaq; ſicut eſſe rerum non fit ab idæa, vt dicebat Plato, neque ex nihilo ſed ex virtute ſeminali, ita ſcientia fit ex aliquo prius cognito, quod ſe habet, vt ſemen ſcientiæ: ergo ad intentum Ariſtotelis prædicta propoſitio intelligitur de cognitione diſcurſiua, per quā aliquid probatur.

CAPVT. 2.

Explicantur tria præcognita, & duæ præcognitiones.

187. CVm omnis cognitio probatiua alicuius concluſionis fiat ex alia prę exiſtenti cognitione, in præſenti explicanda ſunt quot præcognita, & pręcognitiones præcedant ipſam concluſionem ſyllogiſmi demonſtratiui, de quo in hoc libro agendum eſt. Tria igitur ſunt prę cognita, ideſt, tria ſunt præcognoſcenda ante concluſionem demonſtrationis, videlicet, Subiectum, Paſſio, & Principium. Et ratio eſt. Nam illud dicitur præcognitum, quod debet cogno-

cognoſci ante concluſionem demonſtrationis:ſed debent cognoſci ante concluſionem demonſtrationis prę-dicta tria:ergo iſta ſunt præcognita:probatur minor. Quia in concluſione demoſtrationis prędicatur paſſio de ſuo ſubiecto, & hoc probatur ex aliquo principio : ergo ante talem concluſionem debent cognoſci illa tria, ſcilicet ſubiectum, & paſſio,quæ vniuntur in concluſione, & principium, mediante quo probatur ipſa inter ſe vniri, & vnum alteri conuenire.

188. Duæ præcognitiones requiruutur de tribus pręcognitis, nimirum,an ſit,& quid ſit. De ſubiecto debet præcògnoſci,an ſit,&quid ſit,& ratio eſt.Nam de ſubiecto non oſtenditur in concluſione quid ſit, nec an ſit: ergo ante concluſionem debet de ipſo præſupponi, an ſit,& quid ſit. Patet conſequentia;quia ex diffinitione ſubiecti ſumitur principium ad demoſtrationem ergo ſi in concluſione non probatur quid ſit, & an ſit,hoc debet præſupponi, & præcognoſci. Vbi nota cum Caietano quod quando dicitur quòd de ſubiecto debet præcognoſci, an ſit, non tantum intelligimus de ipſa exiſtentia actuali,quæ accidit ſuæ eſſẽtiæ,ſed de poſſibilitate ipſius, & ſenſus eſt,an tale ſubiectũ ſit dabile in ſuo genere, ſiue hoc ſit in re , ſiue prout conceptum. De quo videatur M.Ioa.a S.Tho.q.23.art.1.§. quare.

189. De principio debet prę-cognoſci an ſit verum, nam cum principium ſit aliqua propoſitio,ſeù enũciatio,in qua aliquid affirmatur,vel negatur,ideo de ipſo ſolum debet præcògnoſci quod ſit verum. De paſſione autem tantùm debet præcognoſci,quid ſit,quantùm ad ſignificationem nominis. Et probatur, Nam in concluſione cognoſcitur de paſſione,eius quidditas, quę ex ſubiecto in quo eſt,pendet; ergò ante concluſionem non poteſt præcognoſci de paſſione quid ſit , vel an ſit, cum in ipſa concluſione hoc cognoſcatur. Tunc vltra ſed non poteſt cognoſci an aliqnid ſit,niſi cognoſcatur quid nomen eius ſignificet,ergo hoc tantùm pręcognoſci debet de paſſione.

Si autem inquiras, quare Bonitas conſequentię non aſſignatur,vt præcognitum , ſiquidem neceſſaria eſt illius cognitio ad præbendum aſſenſum concluſioni ? reſpondeo Bonitatem conſequentiæ eſſe pręcognitum prioriſticum,hoc eſt, traditum in libris Priorum, quia ſe tenet ex ptẽ formæ ſollogiſticæ , & ideo ad illos libros priorum pertinet. Et hac ratione in pręſenti non ſit mentio de bonitate conſequentiæ,nec dicitur præcognitum poſterioriſticum , id eſt,pertinens ad libros poſteriorũ

CAPVT. 3.

Explicantur duæ præcipuæ diffinitiones demoſtrationis.

190 DVæ diffinitiones aſſignãtur ab Ariſtotele demõſtrationi,quæ eſt prę-cipuum obiectum huius libri Prima deſumitur ex ordine ad cauſã finalẽ, nẽpè , eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, ideſt,ordinatus ad ſciendam rem , ſicut ſi diffiniretur ſerra [ait M. Soto] per hoc quòd eſt inſtrumentum

ad

ad ſecanda ligna. Et,vt melius percipiatur hæc diffinitio, explicat Ariſtoteles quid ſit ſcire dicens eſſe [cũ cauſam,ob quam res eſt, illius cauſam eſſe,& fieri non poſſe,vt res aliter ſe ſe habeat, cognoſcere arbitramur.] Eſt ergo ſenſus huius diffinitionis,vt explicat Magiſter Soto, quòd tunc verè, & propriè ſcimus aliquam rem,cum id, quod eſt cauſa alicuius rei, cognoſcimus eſſe cauſam eius.Nihilominus pro captu incipientium poſſunt tres particulæ diſtingui in prædicta diffinitione. Prima cognoſcere cauſam,quod requiritur ad veram ſcientiam Secunda,cognoſcere illius eſſe cauſam,nõ enim ſufficit cognoſcere cauſam materialiter, ſed formaliter illam in ratione cauſæ cognoſcere exigitur. Tertia eſt cognoſcere, fieri non poſſe,aliter fieri,niſi quòd quotieſcunque ponitur talis cauſa, ponatur talis effectus.Notat M. Soto ex D. Thoma quòd prędicta diffinitio ſolum explicat ſignificationem huius nominis ſcire, & ideo probatur ex communi modo loquendi; nam nominibus vtendum eſt, vt plures.

191. Hoc ſuppoſito, & cognito quid ſcire ſignificet, colligitur explicatio primæ diffinitionis ipſius demonſtrationis, quæ datur per cauſam finalem,& eſt ſenſus quòd demonſtratio ordinatur ad ſciendum, vt ad proprium finem. Ac ſi diceretur, quòd ſcire eſt finis demonſtrationis, & demonſtratio eſt medium ordinatum ad ſcire,quapropter concludit Mag.Soto quòd iſtæ non ſunt diffinitiones,ſed potiùs circunloquutiones.

192. Secunda diffinitio demonſtrationis datur per cauſam materialem illius, quę ſic proponitur à Mag. Soto ex textu Ariſtotelis [Eſt ſyllogiſmus procedens ex veris, & primis,medioquè vacantibus, notioribus,& prioribus ipſa concluſione,& cauſis eiuſdem.]In qua diffinitione explicantur ſex conditiones requiſitæ ex parte materiæ demonſtrationis, quam componunt ipſæ propoſitiones;& eſt dicere propoſitiones ex quibus procedit demonſtratio, debent eſſe veræ,primæ, carentes medio,quæ dicuntur immediatæ, priores,notiores, & cauſæ concluſionis, de quibus omnibus dicemus capitibus ſequentibus.

193. Hanc diffinitionem eſſe bonam probat Ariſtoteles ex prima diffinitione ſic. Nam demonſtratiò eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, ſed non poteſt facere ſcire niſi procedat ex veris,primis,&c.ergo talis diffinitio optima eſt; ac ſi probaretur domum rectè diffiniri per hoc quod conſtet ex lapidibus lignis,&c Nam eſt ædificium factum, vt defendat nos à tempeſtatibus.

CAPVT 4.

Explicantur illa particula,ex veris,primis,medioque vacãtibus.

194 PRima conditio requiſita in propoſitionibus, quæ deſeruiunt vt pręmiſſæ demonſtrationis,eſt veritas, & denotatur in ly, veris. Et ratio eſt.Nam Præmiſſæ ſunt cauſæ veri-

Digitized by Google

tatis demonſtratæ in concluſione, ſed falſum non poteſt eſſe principium, & causa veritatis ergo; præmiſſæ debent eſſe veræ. Vbi notat Mag. Soto quod licet ex falſo aliquando ſequatur verum, numquàm tamen falſum eſt cauſa veri, & ad demonſtrationem requiritur quòd præmiſſæ ſint cauſæ veritatis concluſionis, ita vt concluſio ſit vera, quia præmiſſæ veræ ſunt, quando autem ex falſo ſequitur verum, hoc fit in sẽſu conditionali, id eſt, ſupponendo falſum eſſe verum, non autem in ſenſu cauſali.

195. Secunda conditio eſt quòd tales propoſitiones ſint, Primæ, id eſt non habentes aliam, vel alias propoſitiones, qua, vel quibus poſsint illę à priori, & per cauſam probari. Tertia conditio eſt quòd ſint, medio vacantes, id eſt, non habentes medium aliud, quo possint à priori probari, & tales propoſitiones dicũtur immediatę. Circa iſtas duas conditiones reputat Mag. Soto vtràquè idem ſignificari, & idcirco ait, primis, medioquè vacantibus, non eſſe duas particulas, vt aliqui putant, ſed ſecunda eſt expoſitio prioris. Nihilominus dici poteſt, & conformiùs ad mentem D. Thomę duas diſtinctas formalitates explicari in illis duabus particulis, nam dicuntur, primę, reſpectu aliarum, quæ per ipſas probantur, & dicuntur, medio vacantes, ſeu immediatæ, quia carent medio, quo probentur. Et eſt ſenſus, quòd talis propoſitio debet carere alia, qua probetur, & debet eſſe apta ad probandas alias. Mens igitur M. Soto eſt quòd iſtæ duæ formalitates ſimul inueniantur, ità vt vna ex alia ſequatur, & ita non contradicit menti D. Thomæ.

196. Aduertit autem Magiſt. Soto 1. quòd propoſitio immediata non dicitur in ordine ad concluſionem, ita vt immediata dicatur, quia eſt proxima cauſa concluſionis, quia ſępiſſimè propoſitio proxima concluſioni eſt mediata, & demonſtrabilis. Igitur dicitur immediata quia caret alia propoſitione, media qua ipſa à priori probetur. Not. 2. non eſſe neceſſarium omnem demonſtrationem procedere ex præmiſſis immediatis, & indemonſtrabilibus formaliter, alias numquàm ſecunda paſſio poſſet demonſtrari per priorem paſſionem, cum prior etiam ſit demonſtrabilis. Sufficit autem vt ille, qui habet demonſtrationem, verè ſciat reſoluere illam concluſionem in ſuas præmiſſas, quas, ſi fuerint demonſtrabiles, verè ſciet reſoluere per alias demonſtrationes, vſquè ad prima principia. Quapropter qui habet quartam demonſtrationem, vt verè ſciat concluſionem, neceſſe eſt ut ſciat omnes alias præcedentes demonſtrationes, ſaltim habitualiter.

197. Quæ conditiones in ſenſu explicato probantur. Nam non poſſumus uerè ſcire concluſionem aliquam, niſi eius prẽmiſſas demonſtratiuè cognoſcamus, ſed in demonſtrationibus, non datur proceſſus in infinitum, ut dicetur infrà cap. 12. ſed deuenitur ad aliqua immediata, quę carent medio: ergo omnis demonſtratio debet procedere aut formaliter, aut ſaltim uirtualiter ex primis, & imme diatis.

CA-

Digitized by Google

CAPVT. 5.

Explicatur quid, & quotuplex eſt propoſitio per ſe nota.

198 PRopoſitio immediata idem eſt quòd propoſitio per ſe nota, cum hac tamen differentia quod primo modo explicatur negatiue per hoc quod careat medio probatiuo, & ſecundo modo explicatur poſitiue. Igitur propoſitio per ſe nota dupliciter poteſt deffiniri, primo ſic. Eſt illa, quæ ex ipſis terminis, ſeu explicatione terminorum innoteſcit. Ex quia diffinitione colligit Mag. Ioa. a S. Thoma quòd nòn eſt idem propoſitio per ſe nota, ac cognitio intuitiua, ſeu per experientiam nota, quia quod per experientiam cognoſcitur, non attingitur, vt propoſitio, ſed vt quid ſimplex, nec innoteſcit ex explicatione terminorum, ſed ſola externa experientia. Inſuper non eſt propoſitio per ſe nota, ac ſine diſcurſu nota. Nam angelus omnia attingit ſine diſcurſu, & tamen cognoſcit multas concluſiones, vt contentas in ſuis principiis, & per fidem plura attinguntur ſine diſcurſi, quę non ſunt per ſe nota.

199. Secundo diffinitur. Propoſitio per se nota eſt illa, in qua prædicatum eſt de ratione ſubiecti, v. g. homo eſt animal, in qua animal eſt de ratione eſſentiali ſubiecti. Ita diffiniuit D. Thom. 1. p. q. 2. art. 1. Diuiditur autem propoſitio per ſe nota in per ſe notam ſecundùm ſe, & per ſe notam quoad nos. Illa dicitur per ſe nota ſecundùm ſe, in qua prædicatum eſt de ratione ſubiecti, non tamen id conſtat nobis ex ipſis terminis, verbi gratia hæc. Deus eſt, eſt per ſe nota ſecundùm ſe, quia eſſe eſt de eſſentia Dei, non tamen id nobis conſtat ex ipſis terminis immediatè, quapropter neceſſarius eſt diſcurſus, quo termini ipſi innoteſcant. Et ideo dicitur per ſe nota ſapientibus. Illa dicitur per ſe nota quoad nos, in qua prædicatum eſt de ratione ſubiecti, & termini ipſi ſunt nobis immediatè noti, & abſque diſcurſu, verbi gratia omne totum eſt maius ſua parte, &c. Hanc diuiſionem excludunt aliqui, de quo dicemus in noſtris conferentiis.

200. Hæc propoſitio per ſe nota ſecundùm ſe, & quoad nos, vocatur, dignitas, quia digna eſt, cui apprehenſæ omnes ſtatim ex terminis aſsentiant ſine Doctore, & hęc dicitur ſimpliciter per ſe nota. vt docet M. Soto. Et aduertit quòd inter dignitates ſunt gradus, nam alia eſt dignitas vniuerſaliſſima, verbi gratia quodlibet eſt vel non eſt, cuius extrema sunt omnibus notisſima nam quod de vna quaq; re primò cognoscimus eſt eſſe, aut non eſſe. Aliæ sunt dignitates particulares certis scientiis ſeruientes, vt omne totum eſt maius sua parte quę deſeruit Mathemat. Et Corpora naturalia mouẽtur. Quæ deſeruit in Philoſophia naturali. Aliæ ſunt, quæ in aliis ſcientiis deſeruiunt quæ omnibus non sunt notę, & indigent explicatione aliqua, vel probatione facta à scientifico, verbi gratia, in geometria,

metria, anguli recti ſunt ęquales, non omnibus eſt nota, nam Ruſticus, quantùmuis ſit latinus, non iudicabit naturaliter eſſe veram, niſi geometra eam explicuerit, & aliquo modo probauerit. Et hæc propoſitio neque eſt demonſtrabilis, cum ſit immediata, nec dicitur abſolutè dignitas, ſed dicitur, Poſitio, quam Doctor ſtatim proponit, & exponit diſcipulo. Quapropter illæ propoſitiones, quę naturaliter ſunt dignitates, recipiuntur vt poſitiones à diſcipulo, quia a Doctore expoſitas accipit illas.

CAPVT. 6.

Explicantur tres vltimæ particulæ .ſ. Prioribus, notioribus, cauſisque concluſionis.

101 EXplicatis tribus conditionibus requiſitis in propoſitionibus, quę deſeruiũt, vt præmiſſæ demonſtrationis, reſtat explicare tres alias vltimò poſitas. Vbi aduerte quòd inter prædictas ſex conditiones, tres primæ iam explicatæ cõueniũt ipſis propoſitionibus, ſecundùm ſe acceptis; & tres vltimę in ordine ad concluſionem, quã inferunt, reſpectu cuius debent eſſe priores, notiores, & cauſæ illius. Et quia premiſſæ demonſtrationis ideo ſunt priores, & notiores, quia ſunt cauſæ cõcluſionis, idcirco vltima particula primò explicanda eſt.

202. Ad cuius intelligentiam notandum eſt, 1. quòd ad veram demonſtrationem non requiritur quòd in præmiſſis afferatur ſemper cauſa, quæ ſit verè, & propriè cauſa influẽs in effectũ per verum, & realem influxum, ita vt ſit diſtinctio realis inter illã cauſam, & ſuum effectum, ſed ſufficit quòd afferatur in præmiſſis ratio formalis, quàmuis nullo modo reali diſtincta ab illo, cuius eſt ratio fomalis. Et hoc modo procedunt omnes demonſtrationes, quibus in Metaphiſica probantur paſſiones de ente, nam iſtæ inter ſe realiter non diſtinguntur, nec ab ente, & tamen vna demonſtratur per aliam Et idem contingit in Theologia demonſtrante vnum attributum Dei per aliud, cum inter illa non inueniatur aliqua realis diſtinctio, ſed vnum eſt ratio alterius, ſicut immutabilitas eſt ratio ęternitatis, vbi propriè nec eſt cauſa, nec effectus.

203. Notandum eſt 2. quoad præſens, quòd cauſa eſt duplex, altera in eſſendo illa, nempè, quæ eſt cauſa, vt res ſit. Altera eſt cauſa in cognoſcendo, illa, nimirum, quę eſt cauſa, vt intellectus aſſentiatur concluſioni. Igitur ad veram demonſtrationem ſufficit, quòd procedat ex cauſis in cognoſcendo, licet non in eſſendo, & hac ratione demonſtratio procedens per effectum ad probandam cauſam, eſt vera demonſtratio, quia effectus eſt cauſa cognitionis cauſę, quamuis cauſa det eſſe effectui, & ideo dicatur cauſa in eſſendo, de quo iterum redibit ſermo cap. 10. vbi explicatur diuiſio demõſtrationis.

204 Quarta particula, nempe, Prioribus, conſtat ex dictis. Nam ſi demonſtratio conſtat ex

I præ-

Digitized by Google

præmiſſis, quæ ſunt cauſæ concluſionis, & omnis cauſa, vt talis, eſt prior ſuo effectu, conſequens eſt, vt præmiſſæ ſint priores ea ratione, qua ſunt cauſæ. Explicat autem Magiſt. Soto cum Ariſtotele hanc eſſe prioritatem in cognitione, ita vt ſenſus ſit, quòd præmiſſæ debent eſſe priùs notæ, vt ex ipſis notis inferatur notitia concluſionis. Et aduertit non ſufficere eſſe prius notas, quantùm ad ſignificationem terminorum, ſed vltra requiri eſſe notas quòad veritatem, ideſt, præcognoſci illas eſſe veras, vt ex illis cognitis, vt veris, inferatur concluſionem eſſe veram, quia præmiſſæ veræ ſunt. Tandem notat Mag. Soto quòd præmiſſæ aliæ ſunt priùs notæ ſecundum ſe, & ſunt illæ, quæ dicunt cauſam in eſſendo, aliæ ſunt prius notæ, quoad nos, & ſunt illæ, quæ dicunt effectũ, qui eſt cauſa in cognoſcendo. Et ad demonſtrationem ſufficit quòd præmiſſæ ſint Priores, ideſt, priùs notæ vel ſecundum ſe, vel quoad nos.

205. Ex quibus conſtat explicatio illius particulæ ſcilicet, Notioribus, quæ eſt quinta conditio. Et conſtat primò præmiſſas debere eſſe notiores, quia ſunt cauſæ concluſionis, & cauſa debet eſſe notior ſaltim ſecundùm ſe. Item quia ſunt priores, ideſt, prius notæ debent eſſe notiores. Et tandem quia præmiſſæ ſunt notæ, concluſio eſt nota, & conſequenter præmiſſæ debent eſſe notiores, quia illud eſt magis tale, propter quod vnumquodq; aliud eſt tale. Ergo ſi concluſio eſt nota propter præmiſſas, neceſſum eſt vt præmiſſæ ſint magis notæ. Sed quia valde vtilis eſt intelligentia huius axiomatis, illud explico ſequenti capite.

CAPVT 8.

Explicatur ſenſus illius axiomatis, propter quod vnum quodq; tale, &c.

206 HOc axioma adductum fuit ab Ariſtotele ad probandum præmiſſas eſſe notiores concluſione, & quòd illis magis, quàm iſti aſſentiendum eſt, eo quòd concluſio eſt nota, & illi aſſentimur propter præmiſſas, & ideo iſtæ magis notæ ſunt, illiſq; magis aſſentiendum eſt propter illã regulã. Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis. Circa cuius intelligentiam, ait Magiſt. Soto, quot ſunt capita, tot ſunt explicationes, aſſerit autem egregiè, vt ſolet, exponi à Caietano, licet verbis forſan ſubobſcuris. Et exiſtimat ſic breuiſſimè, & perſpicaciſſimè explicari. Si aliquod prædicatum conueniat alicui, propterea quòd idem aliquo modo conuenit alteri, magis aut perfectiori modo conuenit alteri, propter quòd conuenit huic. Ex qua doctrina ſequuntur conditiones requiſitæ ad verificationem illius axiomatis.

207. Prima eſt, quòd tale prædicatum conueniat vtriquè, nempè, cauſæ, & effectui, & vtrique præbeat ſuam denominationem, ita vt vni propter alterum conueniat. Secunda eſt quòd non ſit eadem for-

Digitized by Google

ma realiter,ſed diuerſa,vna ex altera dependens, ſeu cauſata, vt vna vni conueniat,quia altera alteri conuenit. Quibus conditionibus verificatur axioma in omnibus generibus cauſarum, & adducuntur exempla à Mag. Soto in genere cauſæ finalis. Minutio ſanguinis amatur, quia ſanitas deſideratur: ergo ſanitas magis amatur, benè ſequitur, quia prædicatum conuenit minutioni,quia conuenit ſanitati, vtraque enim amatur,& vna propter alterá. Non autem valet ſanguis minuitur propter ſanitatẽ: ergo ſanitas magis minuitur, nam illud prædicatũ,minuitur,non conuenit ſanguini, quia conuenit ſanitati, ſed potius ſanguis minuitur, vt ſanitas augeatur. In genere cauſæ efficientis. Aqua eſt calida, quia ignis eſt calidus, ergo ignis eſt magis calidus non tamẽ ſequitur. Aqua eſt calida propter ſolem: ergo ſol eſt magis calidus.Quia aqua non eſt calida, quia ſol eſt calidus formaliter,ſed quia eſt calidus virtualiter. Et ideo ſequitur quòd ſol ſit calidus altiori modo. Et ideo notat Mag. Soto explicationem ſuam procedere cum diſiunctione, ita vt magis,aut perfectiori modo conueniat alteri propter quod conuenit huic. Nam ſi conueniat vtriquè formaliter, conuenit priori magis: ſi autem priori conueniat virtualiter, tunc conuenit illi perfectiori modo. Addit autem Mag.Soto tertiam conditionem, vt verificetur axioma, nempè quòd forma communis vtriquè ſuſcipiat magis, & minùs. Qua ratione non ſequitur, Paulus genitus eſt homo, quia Petrus generans eſt homo, ergo iſte eſt magis homo. Nam hæc forma non ſuſcipit magis, & minus. In aliis generibus cauſarum ponit exempla Magiſt.Soto, quæ quia facilè conſtant ex dictis, omitto,videantur in lib.1 poſteriorum quæſt.2. in ſolut. argumenti.8.& præcipue in ſolutione confirmationis,vbi totam doctrinam à me traditam docet.

CAPVT 9.

Explicatur quid ſit prædicatum de omni, vniuerſaliter, & per ſe.

208 PRæter conditiones iam explicatas,quæ requiruntur in præmiſſis demonſtrationis, modo explicandæ ſunt aliæ conditiones, quæ inueniri debent in propoſitionibus, ex quibus componitur demonſtratio. Et ſunt tres. Prima eſt, quòd prędicatum ſit de omni. Secunda quòd ſit per ſe. Et tertia quòd ſit, vniuerſaliter. Quæ cõditiones ponuntur eo quòd, vt docuit Ariſtoteles, demonſtratio debet procedere ex propoſitionibus neceſſariis,& ad explicandam neceſſitatem propoſitionis requiritur explicatio dictarum conditionum.

209. Circa primam nota quòd non eſt idem propoſitio vniuerſalis, & dici de omni. Nam propoſitio non eſt id, quod dicitur,ſed in illa prædicatem dicitur de ſubiecto diſtributo,eſt igitur dici de omni con-

Digitized by Google

ditio ſe tenens ex parte prædicati. Et eſt duplex, aliud eſt dici de omni prioriſticum, de quo dixi in ſumulis lib. 5. cap. 1. n. 202. quod eſt, prædicatum dici de ſubiecto diſtributo, ſiuè verè, ſiue falsè dicatur, vt hic ait Mag. Soto, ſiuè dicatur contingenter, ſiue neceſſariò. Et dicitur prioriſticum, quia pertinet ad libros Priorum, in quibus agitur de forma ſyllogiſtica, ad quam non attenditur an propoſitiones ſint veræ, vel falſæ, vel ſint in materia contingenti, vel neceſſaria. Aliud eſt, dici de omni poſterioriſticum, & ſic explicatur a Magiſtro Soto hic cap. 4. quòd ſit [prædicari de omni ſuppoſito, ſeu indiuiduo ſubiecti pro quolibet tempore.] verbi gratia omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, iſtæ ſunt propoſitiones de omni. Et in hoc potiſſimè conſiſtit differentia inter dici de omni poſterioriſticum, & prioriſticum, quòd iſtud exigit vniueſalitatem ſuppoſitorum, iſtud verò temporis propter neceſſitatem materiæ demonſtrationis. Et idcirco licet propoſitio non ſit vniuerſalis, poteſt prędicatum dici de omni, vt in hac homo eſt animal, quæ æquiualet vniuerſali.

210. Notat M. Soto quòd non diffinijt Ariſtoteles, dici de nullo, poſterioriſticum, quia solùm agebat de potiſſima demonſtratione, quæ eſt affirmatiua; poteſt tamen diffiniri proportionaliter ſic. Eſt prædicatum negari de ſubiecto pro quolibet eius ſuppoſito, & pro quolibet tempore, verbi gratia Nullus homo eſt equus. Et nota quod licet in ſummulis lib. 5. capit. 1. videantur alię diffinitiones poſitæ de dici de omni, & de nullo poſterioriſticis; tamen quoad rem idem explicant. Nam in pręſenti Mag. Soto explicat cum Ariſtotele neceſſitatẽ veritatis per vniuerſalitatem temporis.

211. Circa alteram conditionem, nempè, quòd ſit prædicatum per ſe, in primis explicat Mag. Soto, quid ſignificet ly, per ſe, & ait quòd per ſe intelligitur, prout opponitur per accidens. Et rurſus per accidens aliquando eſt idem quòd per aliud, & aliquando eſt idem quòd accidẽtaliter, ſeu contingenter. Et vtriq; opponitur per ſe, ideſt, nõ per aliud, & non accidentaliter, ſeu contingenter. Quatuor ſunt modi dicendi per ſe. Primus eſt quando diffinitio vel pars diffinitionis prędicatur de diffinito, verbi gratia, homo eſt animal rationale, homo eſt animal. Secundus modus eſt, quando propria paſſio prædicatur de ſuo proprio ſubiecto, verbi gratia homo eſt riſibilis. Tertius eſt modus eſſendi potiùs quã dicendi, quando aliquod prædicatum excludit concomitantiam ſubiecti, & tantum tunc ſonant, per ſe, quantum ſolitariè, verbi gratia Petrus, & quęlibet ſubſtãtia dicitur ens per ſe. Quartus eſt, quando effectus prędicatur de ſua propria cauſa, verbi gratia Iugulatus interiit, ædificator ædificat. Qui quidem modi, ait Magiſt. Soto, hac ratione diſtinguntur.

212. Hæc præpoſitio, per, apud Phyloſophos dicit omnia quatuor genera cauſarum, quarum duæ ſunt intrinſecæ, ſcilicet, formalis, & materialis, & totidẽ extrinſecæ. ſ. efficiens, & finalis. Primus ergo, & digniſſimus modus eſt ubi ly, per, dicit cauſam formalem, & quia diffinitio rei eſt eius forma intrinſica, fit, vt illa propoſitio ſit in primo modo dicen-

Digitized by Google

dicendi per ſe, cuius prędicatum eſt diffinitio, aut pars eius. De inde ſequitur alia cauſa, nempè, materialis, & ſic in ſecundo modo dicendi per ſe ponitur propoſitio, in qua prędicatum diffinitur per ſubiectū, ſeu illa, in qua ſubiectum, quod eſt cauſa materialis, eſt de diffinitione prędicati, & ſic contingit quando prędicatur propria paſſio de ſuo proprio ſubiecto in ordine ad quod diffinitur. Tertius modus eſt tantùm modus eſſendi, in quo diſtinguitur à duobus prioribus, qui ſunt modi prædicandi, ſeu dicendi. Tandem ſequitur cauſa efficiens, & quando de illa prędicatur ſuus proprius effectus, tunc eſt quartus modus dicendi per ſe.

213. Ex quibus colligit Mag. Soto quòd nihil vetat ſecundum, & quartum modum aliquando coincidere. Nam ſubiectum per diffinitionem eſt cauſa paſſionis: qua propter, vt inſinuat Albertus, hæc propoſitio, homo eſt riſibilis, quę eſt in ſecundo modo, eſt etiam in quarto. Et, vt veriùs dicamus, hæc eſt in quarto modo, omne animal rationale eſt riſibile, cuius ſubiectum exprimit cauſam per ſe prędicati. Explicatis his modis per ſe, ſtatim explicat Mag. Soto quomodo applicentur ad vſum demonſtrandi, ſed hoc commodùs fiet poſtquàm diuiſionem demonſtrationis aſſignauerimus, & tunc applicabimus vnicuique modos dicendi per ſe requiſitos tàm in præmiſſis, quam in concluſione.

214. Vltima conditio, ſcilicet Vniuerſaliter, ſic explicabitur, quòd ſit prędicatum per ſe primò conueniens ſubiecto. Et hac ratione, ſenſibile, licet conueniat per ſe homini, non tamen per ſe primò, nam conuenit illi eą ratione, qua eſt animal, & non ea ratione qua eſt homo. Quod ſic poteſt explicari, illud prædicatum dicitur hic vniuerſale, in poſterioribus, quod dicitur cum reduplicatione de ſubiecto, vel quod dicitur ad conuertentiam cum ſubiecto. Ex quo infertur iſta tria, de omni, per ſe, & vniuerſaliter ſe habere, tanquam ſuperius, & inferius. Nam omne vniuerſale, eſt per ſe, & omne per ſe eſt de omni; non tamen è contra, quia per ſe, addit ſupra, de omni, & vniuerſale addit ſupra, per ſe.

Quibus explicatis conſtat illas propoſitiones eſſe ſimpliciter neceſſarias in quibus prędicata dicuntur de omni, per ſe, & vniuerſaliter. Et ad hoc intentum explicantur prædictæ conditiones, vt oſtendatur naturam propoſitionis neceſſariæ in his conſiſtere; quæ ad vſum pertinent demonſtrandi.

CAPVT 10.

Explicatur quid ſit demonſtratio, quia, & propter quid, & qualis ſit hæc diuiſio.

215 MAg. Soto in hoc lib. 1. poſteriorum cap. 10. explicat differentiam, quæ verſatur inter demonſtrationem, quia, & propter quid. Et notat. 1. quod demonſtratio, quia, de-

demonſtrat verum eſſe quòd hoc eſt hoc, non reddendo cauſam illius, quam tamen reddit demonſtratio, propter quid Et ideo ly, quia, non debet intelligi, vt dicat causã, ſed vt ſit coniunctio, ſ. demonſtratur quòd hoc eſt hoc, ſeu quòd hoc eſt verum. Notat.2. quòd diffinitio demonſtrationis ſuprà poſita cap.3. ſolùm eſt demonſtrationis, propter quid, quæ ſimpliciter eſt demonſtratio. Vnde quòd aliqua demonſtratio non ſit, propter quid, & per conſequens ſit, quia, contingit dupliciter, aut quia procedit per cãm, non quidem immediatam, & proximam, & propriam, ſed per causã remotam: alio modo, quia non procedit per causã, ſed per effectũ, & per ſignum notius, quoad nos. In cęteris verò debet conuenire demonſtratio, quia, cum demoſtratione, propter quid, vt. ſ. procedat ex propoſitionibus neceſſariis, & per ſe.

216 Ex qua doctriua, quomodo formandæ ſint diffinitiones vtriuſquè, colligitur. Igitur demonſtratio, propter quid, eſt quæ procedit per cãm immeditatam, proximam, & propriam. Demonſtratio, quia, eſt quæ procedit, aut, per cãm non immediatam, proximam, & propriam, aut per effectum, ſeu ſignum nobis notius. Exemplum primæ inuenitur in omni demonſtratione, in qua demonſtratur paſſionem conuenire ſubiecto, media ſua cauſa proxima, & immediata. Exemplum ſecundæ reperitur in omni demonſtratione, in qua aſſumitur, vt medium, cauſa remota, vel effectus.

217. Iuxta quam explicationem dicendum eſt quòd non eſt idem demonſtratio à priori, & propter quid. Nam demonſtratio à priori eſt illa, quæ procedit per cauſam ſiuè remotam, ſiuè proximam, & demonſtratio, propter quid, debet prçcedere per cauſam proximam, & immediatam. Item dicendum eſt non eſſe idem demonſtrationem, quia, & à poſteriori. Nam illa dicitur, à poſteriori, quæ procedit per effectum, & demonſtratio. quia, poteſt procedere per cauſam, dum tamen ſit cauſa remota, & tunc erit à priori .i. per cãm, quæ prior eſt.

218. Et conſtat etiam hanc diuiſionem demonſtrationis in, quia, & propter quid, eſse adæquatam. Et ratio eſt. Nam datur per membra immediatè oppoſita, qualia ſunt procedere per cãm immediatam, & proximam, & non procedere per illam. Demonſtratio, propter quid, procedit per cãm immediatam, & primam. Et demonſtratio, quia, hanc non affert, & in hoc conſiſtit immediata oppoſitio inter tales demonſtrationes, qua propter diuiſio adæquata eſt. Vbi notat M. Soto quòd in præſenti, nomine cauſæ immediatæ, intelligitur cauſa inter quam, & effectum non mediat alia cauſa, & dicitur immediata, prout opponitur cauſæ remotæ.

Digitized by Google

CAPVT. 11.

Qui modi dicendi per ſe deſeruiant cuilibet demonſtrationi, explicatur.

219 VT modi dicendi per ſe iam explicati, poſſint applicari facilè ad vſum demonſtrandi, ideo explicata diuiſione demonſtrationis, vtile duximus proponere regulas aſſignatas à M. Soto in hoc 1 lib. cap. 4. § in textu 10. Ponit igitur ſequentes propoſitiones. Prima eſt. In demoſtratione, vbi paſſio concluditur de ſubiecto per eius diffinitionem, inueniuntur primus, ſecundus, & quartus modus dicendi per ſe, verbi gratia. In hac demonſtratione omne animal rationale eſt diſciplinabile; omnis homo eſt animal rationale: ergo omnis homo eſt diſciplinabilis. Maior eſt in quarto, nam diffinitio ſubiecti eſt proxima, & per ſe cauſa paſſionis. Minor eſt in primo, nam prędicatur diffinitio de diffinito. Et concluſio eſt in ſecundo, nam prædicatur paſſio de ſuo proprio ſubiecto. Ita deſumitur ex D. Tho. hic lect. 13. vt refert Mag. Soto. Secunda Propoſitio. Demonſtratio, vbi ſecunda paſſio demonſtratur de ſubiecto per primam paſſionem, conſtat ex maiori in quarto, & minori, & concluſione in ſecundo, verbi gratia, omne admiratiuum eſt riſibile, omnis homo eſt admiratiuus: ergo omnis homo eſt riſibilis. Tertia propoſitio. Vbi diffinitio materialis demonſtratur de diffinito per diffinitionem aliam, ſiue formalem, ſiuè finalem maior eſt in quarto, & minor, & concluſio ſunt in primo modo, verbi gratia. Si dicas. Omnis ſyllogiſmus, qui facit ſcire, conſtat ex veris, & notioribus cauſis concluſionis, omnis demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire: ergo omnis demonſtratio conſtat ex veris, &c. In maiori prædicatur vna diffinitio de altera, & cum vna ſit cauſa per ſe alterius, ideo maior eſt in quarto modo. Et quia in minori prædicatur vna diffinitio de ſuo diffinito, & ſimiliter in concluſione, ideo vtraque eſt in primo modo.

CAPVT. 12.

Explicatur quæ figura ſit magis accomodata demoſtrationi.

220 CIrca doctrinam cap. 11. notandum eſt cum M. Soto hic, in explicatione illius, quòd poſtquàm ipſe Philoſophus explicuit materiam propriam demonſtrationis, explicat formam illi magis acommodatam, dicens formam illius aptius fieri in Prima figura. Et vt clarius procedamus,

Digitized by Google

mus, prius dicendũ eſt de demõſtratione propter quid, & cum hæc ſit duplex, alia affirmatiua, & alia negatiua; cum diſtinctione de utraq; dicendum eſt.

221. Igitur affirmat M. Soto ſequens Ariſtotelem, quód demonſtratio, propter quid, affirmatiua cõmodiùs fit in prima figura in duobus modis affirmatiuis, nempè, Barbara, & Darij. Et patet, 1. Nam medium in tali demonſtratione potiſſimum, eſt diffinitio, quæ eſt proxima cauſa paſſionis, & ideo in maiori explicatur talis cauſa, & ſic eſt in quarto modo dicendi per ſe, & in minori debet diffinitio prædicari de diffinito, hoc autem in alijs figuris non põt ita fieri: ergo in prima figura commodius fit talis demõſtratio. Probatur minor. Nam in ſecũda figura nihil cõcluditur affirmatiuè, atque adeò ſemper altera præmiſſa eſt negatiua; & in tertia figura quando concluditur affirmatiuè, ſemper eſt particulariter; ergo ſecunda figura non poteſt deſeruire ad demonſtrationem affirmatiuam, & tertia non eſt ita accommodata, ſi quidem ſemper concluditur particulariter, & potiſſima demonſtratio, propter quid concludit uniuerſaliter paſſionem conuenire omni ſubiecto, cui conuenit diffinitio.

222. Rurſus pro demonſtratione negatiua. Notat M. Soto quod, ſicut in affirmatiuis propoſitionibus dantur aliquæ immediatæ & mediatę alię, ita in negatiuis. Quando igitur prędicatum per ſe, & nullo alio medio negatur de ſubiecto, tunc propoſitio negatiua eſt immediata, & ſic contingit quando neutrum extremum ponitur ſub aliquo genere, u. g Nulla ſubſtantia eſt qualitas, eſt propoſitio negatiua immediata, & conſequenter indemonſtrabilis. Genera enim ſuprema ſunt primò diuerſa, ideſt, per ſe, & nullo alio medio diſtinguuntur. Quando uerò talis eſt propoſitio negatiua, ut poſſit per aliud medium probari prædicatum non conuenire ſubiecto, tunc eſt mediata, & demonſtrabilis. Et talis propoſitio eſt omnis illa negatiua, cuius uel alterum extremorum continetur ſub aliquo genere, ſaltim generaliſſimo, uel ambo ſimul extrema, ut homo non eſt qualitas, homo non eſt lapis, homo non eſt equus; Nam in his poſſumus arguere ſic, omnis homo eſt animal, nullus lapis eſt animal, ergo nullus lapis eſt homo, in ſecunda figura, cuius maior eſt per ſe primò, & ſic lapis per animal negatur de homine.

223 Quibus ſuppoſitis dicendum eſt quód demonſtratio, propter quid, negatiua poteſt fieri in prima. & in ſecunda figura, commodiùs autem in prima. Et patet. Nam in utraque figura poteſt concludi uniuerſalis negatiua, ut intuẽti modos proprios utriuſque conſtabit. Quód autem commodiùs fiat in prima, patet. Nam ad primam reducuntur modi ſecundæ, & in illa clariùs percipitur bonitas conſequentiæ, ut conſtat ex lib. 5. ſum. & in prima medium habet ſitum medij, quód eſt ſubijci reſpectu maioris extremitatis, & hac ratione prima figura eſt amgis accommodata omni demonſtrationi. Tertia autẽ figura demonſtrationi, propter quid negatiuæ deſeruire non poteſt, eo quod, ut docet Mag. Soto propoſitio immediata debet eſſe uniuerſalis negatiua, nam prædicatũ, quod per ſe negatur, de omni negatur, & in tertia figura non poteſt concludi uniuerſalis negatiua.

De

Digitized by Google

De demonſtratione, quia, nihil docet Mag. Soto, ſed ſolum docet fieri poſſe etiam in ſecunda figura, & ſupponit etiam fieri poſse in prima. In communi autem loquens de omni demoſtratione dicendum eſt commodiùs fieri in prima figura, cum ad iſtam omnes aliæ reducantur.

CAPVT. 13.

Non dari proceſſum in infinitum in demonſtrationibus oſtenditur.

224 MAteriam capitis tractat lactiſſimè Ariſtoteles lib 1 poſt. à capit. 15. vſquè ad 19. incluſiuè, & Mag. Soto non minus latè de eadem agit gerens munus commentatoris. At nos, qua breuitate potuerimus, explicabimus vtilia, relinquentes alia. Ad cuius intelligentiam nota cum Mag. Soto in dicto cap. 15. quod talis proceſſus in infinitum poteſt fieri tripliciter. Primo aſcendendo ex ſubiecto infimo, quod de nullo prędicatur, verſus prædicata ſuperiora, & quidditatiua, ita vt nunquam deueniamus ad vltimum, & hic proceſſus vocatur aſcenſus. Secundò deſcendendo ex illo primo prædicato, de quo nihil prædicatur, ſit ita verſus inferiora in infinitum deſcendere, vt non deueniatur ad vltimum ſubiectum. Sit exemplum vtriusq; Petrus eſt vltimum in linea prædicamenti ſubſtantię, tunc inquirimus an aſcendẽdo per prædicata quidditatiua ſuperiora neceſsũ ſit peuenire ad aliquod primum, vltrà quod non proceditur. Item ſubſtantia eſt primum prædicatum in dicta linea ſubſtantię, & tunc poteſt inquiri an deſcendẽdo per prædicata inferiora neceſſum ſit peruenire ad aliquod vltimum, quod de nullo prædicetur. Primus proceſſus, vocatur aſcenſus, & ſecundus dicitur deſcenſus. Tertio poteſt fieri talis proceſſus in paſſionibus eiuſdem ſubiecti, verbi gratia, reſpectu hominis admiratiuum, riſibile, diſciplinabile, &c. Et iſte proceſſus fit ſecundum prius, & poſterius in cauſando, quia prima paſſio eſt cauſa ſecundæ, & ita conſequenter. Duo verò priores proceſſus fiunt ſecundùm ſuperius, & inferius in prædicatione eſſentiali.

225. Quo ſuppoſito dicendum eſt non dari proceſſum in infinitum, nec ſecundùm ſuperius, & inferius, nec ſecundùm prius, & poſterius. Probatur hoc à Mag. Soto ex Ariſtot. cap. 18 primò. Nam prædicata quidditatiua cuiuscumque rei ſunt finita: ergo in illis non poteſt dari proceſſus in infinitum, ſiuè aſcendendo, ſiuè deſcendendo, Probatur antecedẽs. Nã res ipſa, quæ per talia prædicata conſtituitur, finita eſt, ergo prædicata quidditatiua finita ſunt Et confirmatur, Nam omnis res diffinibilis eſt: ergo ſua prædicata finita ſunt; alias non poſſent adduci in diffinitione, qua eius natura explicaretur, Quæ ratio applicari poteſt paſſionibus, nam ſicut ſubiectum eſt de diffinitione primæ paſſionis, ita iſta eſt de diffini-

Digitized by Google

tione ſecundæ,& hæc de diffinitione tertiæ,& ita conſequenter ſubiectum erit mediatè de diffinitione cuiuſcumq; paſſionis: ſed ea, quæ intrant in diffinitione alicuius non poſſunt eſſe infinita: ergo proceſſus infinitus dabilis nō eſt nullo ex modis ſuperadictis. Quapropter ſi inter prædicata quidditatiua non ponitur proceſſus infinitus, conſequens eſt vt nec dentur infinita media inter illa, & tandem quòd in demonſtrationibus non detur proceſſus in infinitũ. Et cōcludit Mag. Soto quòd dicere dari proceſſum in infinitum, eſt dicere nullas dari propoſitiones immediatas, quod eſſe falſum conſtabit ex ſequenti probatione.

226. Secundo probatur idem intentum. Nam plures dantur propoſitiones immediatæ: ergo non datur proceſſus in infinitum. Probatur ãns. Nam inter extrema finitæ diſtantiæ non dantur infinita media: ergo deueniendũ eſt ad aliquod prædicatũ, quod immediatè cōueniat ſubiecto, & non mediante alio prædicato, ſed propoſitio immediata eſt illa, in qua prædicatũ nullo alio medio cōuenit ſubiecto: ergo tales propoſitiones dantur, & vltra iſtas non proceditur.

227. In prædicatis autem accidentalibus non dari infinitum proceſſum conſtat, nam omnia prædicamenta finito numero continentur; ſunt enim omnia nouem. Et vnumquodque in ſua linea, & coordinatione eſſentiali habet prædicata finita, & idcirco in illis non datur ſimilis proceſſus infinitus. At de his videatur M. Soto in capitulis allegatis, ex quibus hæc doctrina deſumpta eſt.

CAPVT. 14.

Quis ſit circulus vitioſus in demonſtrationibus.

228 Circulus in demonſtrationibus eſt progreſſus quidam à principiis ad concluſiones, & regreſſus ab ipſis cōcluſionibus ad principia. Et iuxtà doctrinam Mag. Soto lib. 1. cap. 3. & quæſt. 2. ad 10. poteſt fieri, vel in eodem genere cauſæ, vel in diuerſo genere. Idem lib. 2. cap. 3. docuit quòd circulus poteſt fieri vel in eiſdē cauſis numero, vel in eiſdē ſpecie ſolũ.

229. Quo ſuppoſito aſſerit in 1. loco circulum in eodem genere cauſæ non poſſe fieri, benè autem in diuerſo. Et probatur. Nam repugnat quòd idem reſpectu eiuſdē ſit ſimul cauſa, & effectus in eodem genere cauſæ, benè autem in diuerſo id ita contingit, v.g. materia eſt cauſa materialis formæ, & forma eſt cauſa formalis materiæ. Ideoquè dicitur in 2. phyſic. quòd cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, & intelligitur in diuerſo genere, hoc autem in eodem genere cauſæ verificari impoſibile eſt: ſed omnis demonſtratio procedit per cauſam; ſaltim in cognoſcendo: ergo optimè poteſt proceſſus in demonſtrãdo ſic fieri, vt aſſumatur, ut principium ad inferendam aliquam concluſionem, aliqua cauſa, quæ ſit effectus illius concluſionis in alio genere

re

re cauſæ, & tunc poſſit aſſumi ad demonſtrandum tale principium. Exemplum huius adducitur in cauſa finali, & efficienti. Nam finalis poteſt demonſtrari per efficientem ſic[quicumq; deambulat poſt cænã, adquirit, ſeu conſeruat ſanitatem: Hic de ambulat poſt cænam: ergo ad quirit, ſeu conſeruat ſanitatem) Et è conuerſo ſic quicunq; conſeruat ſanitatem deambulat poſt cænã: hic conſeruat ſanitatem ergo: Itẽ poteſt fieri circulus quando ex cauſa reali, quoad eſſe infertur effectus, & deinde ex effectu, tãquàm ex ſigno infertur cauſa. v. g. ex interpoſitione terrę inter ſolem, & lunam infertur lunam eclypſari, & ex eo quod eclypſetur infertur interpoſitio.

230 Inſuper in 2. loco docet M. Soto quòd intra eandem ſpeciẽ cũ diſtinctione numerica poteſt dari circulus, v. g. hæc aqua generat hunc vaporem, & hic vapor generat aliam numero aquam, & hæc aqua generat alium numero vaporẽ; ita cum proportione ex vna aqua demonſtrari poteſt vnus vapor, & ex iſto, vt ex ſigno, poteſt demonſtrari alia numero aqua Et iſte circulus fit intrà eandem ſpeciem cũ diſtinctione numerica. At in eiſdem cauſis, & effectibus numero dari circulum eſt inconueniens.

231. Ex qua doctrina ſequitur quòd ille dicitur circulus vitioſus quando in eodem genere cauſę idẽ per idem demonſtratur, aut quando intra eandem ſpeciem idem numero per idem numero demonſtratur. Et ratio eſt. Nam idem per idem formaliter demonſtrari non poteſt: ergo predictus circulus vitioſus eſt. Pr. ãns Nam tunc idem eſſet notius, & ignotius ſe ipſo reſpectu eiuſdem: ãns enim debet eſſe notius cõſequenti, ſi verò idẽ ãns ſit cõns in circulo, iam idem erit notius, & ignotius reſpectu eiuſdem: ergo idem per idem formaliter demonſtrari non poteſt. Dixi aduertẽter, Idem per idem formaliter. Nam eadem concluſio materialiter conſiderata poteſt aſſumi, vt principium ſub alia formalitate, ad inferendũ principium, ex quo fuit illata, ſub alia formalitate. Stat ergo deffectus in eo quòd concluſio ſub una, & eadem formalitate ſit concluſio, & ſit principium reſpectu eiuſdẽ. Nam quando concurrunt duæ formalitates, iam non uerificatur quòd idem formaliter ſit notius, & ignotius. Vbi nota quòd quando idem formaliter eſt concluſio, & principium reſpectu eiuſdem, dicitur circulus uniformis, & iſte eſt uitioſus; quando uerò eſt diſtincta formalitas, eſt circulus difformis, qui ſimpliciter non eſt circulus, nec uitioſus.

CAPVT. 15.

Explicatur quid, & quotuplex ſit ſcientia, quæ eſt effectus demonſtrationis.

232 CVm ſcientia ſit proprius effectus demõſtrationis, vt diximus ſupra c. 3. ideo poſtquã actũ eſt

Digitized by Google

in toto lib 1 de demonſtratione, in fine huius tractat Ariſtoteles de ipſa ſcientia tàm in ſe, quàm in comparatione ad alios habitus intellectuales. Et quantum ad primum de quo in preſenti capite agimus; notandum eſt, quòd ſcientia eſt duplex, alia actualis, & habitualis alia. Auctualis diffinita eſt à nobis ſupra cap 3. & ſub aliis terminis ſic poteſt diffiniri. Scire eſt rem per cauſam cognoſcere, & quoniam illius eſt cauſa, & quòd aliter non poteſt ſe habere. In qua diffinitione tria explicantur, vt ſupra dicebamus, nempe cognoſcere rem per cauſam, & cognoſcere illam eſſe causã, quod eſt cognoſcere cauſam formaliter, in quantum cauſam rei, & cognoſcere quòd non põt aliter fieri, niſi quod ex tali cauſa ſequatur effectus. Alio modo ſolet diffiniri ſic. Scientia eſt aſſenſus certus, & euidens circa veritates neceſſarias, & immediatas. Quæ explicabitur capite ſequenti.

233 Habitualis ſcientia dupliciter poteſt diffiniri, & primò ſic. Scientia eſt habitus adquiſitus per demonſtrationem. Et ſecundò ſic. Scientia eſt habitus inclinans ad aſſenſum certum, & euidentem circa veritates neceſſarias, & mediatas. In hac ſecunda diffinitione habitus ipſe diffinitur in ordine ad ſuum proprium actum ſpecificatiuũ, nam ſicut potentiæ, ita, & habitus ſpecificantur, ac proinde diffiniuntur per ſuos actus. In prima diffinitione videtur committi circulus. Nam ſupra demonſtratio diffinita eſt per ſcientiam, & modò ſcientia diffinitur per demonſtrationem. Hoc autem non obſtat. Nam demonſtratio diffinitur immediatè per actum ſcientificum, quo generatur habitus, qui inclinat ad ſimilem actum. Et quia demõſtratio alia diffinitione fuit diffinita, ideo per illam, vt ſic notificatam potuit optimè, & ſine circulo diffiniri ſciẽtia habitualis. De vnitate, & ſpecificatione ſcientiarum dicemus in noſtris Conferentiis.

234. Scientia diuiditur in ſubalternantem, & ſubalternatam. Subalternans dicitur illa, cuius principia nota ſunt lumine naturali principiorum. Subalternata eſt illa, cuius principia immediatè ſunt cognita à ſuperiori ſcientia ſubalternãte, ita quòd principia ſcientiæ ſubalternatæ ſint concluſiones demonſtratæ in ſubalternante. Huius verò principia cognoſcuntur non in alia ſcientia, ſed immediatè per ipſum lumen naturale principiorum. Ex quo colligitur quòd ſubalternatio propriè accepta, & de qua in præſenti eſt ſermo, aliis relictis, conſiſtit in ſubordinatione, quantùm ad principia propria ex quibus pendent veritates propriæ illius ſcientiæ, verbi gratia. Muſica accipit ab Arithmetica ſua propria principia probata, & explicata, ex quibus infert Muſicus, ſuas proprias concluſiones, & idem eſt de Perſpectiua reſpectu Geometriæ.

235. Conditiones requiſitas ad ſubalternationem ſciẽtiarum reducit Mag. Ioã. à ſancto Thoma in logica quæſt. 26. art 2. ad tres Prima quòd ſubiectum ſubalternatæ contrahat, & ſuperaddat ad ſubiectum ſubalternantis. Secunda quòd ſuperaddat differentiam accidentalem, ita vt reddat extraneam materiam ſubalternatæ à materia ſubalternãtis. Tertia, quòd differentia accidentalis addita ſit principiũ ſpecialium paſſionum, & veritatum non

Digitized by Google

ſcibilium. Vt conſtat in linea viſuali, in qua ſunt ſpeciales paſſiones, quæ non inueniuntur in linea calida, ſeu frigida, ideoquè linea viſualis eſt obiectum ſcientiæ ſubalternatæ, & diſtinctæ à ſubalternate Hæc autem breuiter dicta modò ſufficiant, nam maior explicatio habebitur ex noſtris Conferentiis circa doctrinam Poſteriorum.

CAPVT 16.

Explicatur differentia inter ſcientiã, & alios habitus intellectuales.

236 QVamuis Ariſtoteles in lib. 1. poſt, cap. 26. excuſet ſe à tractatione aliorum habituum, de quibus meminit. 6. Ethicorum cap. 3. quæ ſunt intellectus: ſcientia, ars, prudentia, & ſapientia, & ſolum agat hic de ſcientia, vt eſt finis demonſtrationis, vt teſtatur Mag. Soto in commento eiuſdem capitis: tamen quia D. Thomas lib. 1. Poſt. lect. vltima, & ſi breuiter, numerat omnes habitus intellectuales, & à modernis doctoribus ſolent explicari in præſenti, vt melius intelligatur propria quidditas ſcientię, ideo breuiter referã, & explicabo prædictos habitus

237. Igitur habitus intellectuales ſunt quinquè iam enumerati ex Ariſtotele. Qui omnes, cùm ſint virtutes intellectuales, & de ratione virtutis ſit quòd ſit perfecta diſpoſitio, rectificant intellectum in ordine ad verum, vt circa iſtud firmiter, & certò procedat. Si autem ad huc poſſet deficere ad falſum, non eſſet intellectus rectè, & perfectè diſpoſitus, ſed maneret imperfectus, & deffectuoſus. Differunt autem primò quod tres, nempè, intellectus ſcientia, & prudentia rectificant intellectum ſpeculatiuum in ordine ad verum ſpeculabile; & duo alii intellectum practicum in ordine ad verum practicum, Prudentia in ordine ad agibilia, & ars in ordine ad factibilia, relictis iſtis duobus, explicandi ſunt alii ſpeculatiui.

238. Primus eſt habitus, qui vocatur intellectus. Nam quàmuis potentia intellectiua vocetur intellectus, tamen hic ſumitur pro quodam habitu illi ſuperaddito. Cuius eſſentia conſiſtit in eo quòd determinet potentiam intellectiuam ad aſſentiendum veritatibus primis, & immediatis. Cum enim potentia intellectiua ex ſe ſit indifferens ad aſſentiendum cuilibet veritati, determinatur per talem habitum, vt eliciat aſſenſum circa veritates primas, & immediatas, quæ, continentur in primis principiis non ſolum communiſſimis, ſed etiam ſpecialibus cuilibet ſcientiæ. Iſte autem habitus, qui nunc dicitur, intellectus, vocatur etiam lumen naturale, quia, vt alibi dicetur, dimanat à natura, & dicitur etiam habitus principiorũ, eo quod circa principia omnium ſcientiarum verſatur; quibus aſſentitur poſita ſola explicatione terminorum.

239. Secundus habitus eſt ſciẽtia, quæ inclinat ad aſſentiendum certò, & infallibiliter veritatibus mediatris deductis ex aliis primis,

& im-

Digitized by Google

& immediatis. Tertius habitus eſt ſapientia, quæ non diuiditur contra ſcientiam, vt oppoſitum contra oppoſitum, ſed quia ſe habet ex additione ad ſcientiam, vt docuit D. Thom. opuſc 70. q. 2 art. 2. ad. 1. ſapientia enim eſt habitus ex principiis procedens inferendo, & probando veritates, addit autem ſupra ſcientiam, quòd reſoluit per vltimam cauſam, ſeu prima principia: Et quia principia, ex quibus procedit, ſunt vniuerſaliſſima, reflectit ſupra ſua principia, & aliarum ſcientiarum explicando, & defendendo, non autem demonſtrando, ſeu aliter probando illa. Et propterea ſolet dici, quòd ſapientia includit intellectum, & ſcientiam, quia ex vna parte deducit concluſiones, & ex altera explicat, & defendit principia, quæ ad intellectum attinent.

CAPVT 17.

Explicatur differentia ſcientiæ ab alijs, nempè opinione, fide humana, & ſuſpicione.

240 AD plenã notitiam quidditatis ſcientiæ reſtat modò explicare alios habitus intellectuales imperfectos; qui obſcuri ſunt, & non inclinant infallibiliter ad verum, & iſti ſunt tres, nempè opinio, fides, & ſuſpicio. Et, quia tota diſtinctio fit penès certum, & incertum, clarum, & obſcurum, ante omnia explicandum eſt quid ſit certitudo, quot modis contingat, quid ſit euidentia, & claritas, & quibus modis inueniatur.

241. Igitur certitudo nihil aliud eſt, quam determinatio, ſeù adhæſio intellectus ad vnum. Et eſt triplex, alia eſt formalis, quæ reperitur in ipſo actu intellectus, quo determinatur, ſeu adhæret ad vnum obiectum: alia eſt certitudo obiectiua, illa, nempè, quæ eſt in ipſo obiecto, & quæ cauſat certitudinem formalem: alia eſt certitudo ſubiectiua, & eſt illa; quæ prouenit ab ipſo intellectu, qui eſt ſubiectum actus, in quo eſt certitudo formalis: Diciturq; certitudo formalis cauſata, & obiectiua, & ſubiectiua eſt certitudo cauſans. Qua propter qnantò certitudo cauſans eſt maior, tantò eſt fortior certitudo cauſata. Et hac ratione quia prima principia in ſe habent ſufficientem rationem, vt per ſe poſſint determinare intellectum ad eorum aſſenſum, ideo aſſenſus circa illa certior eſt aſſenſu ſcientifico, qui reſoluitur in prima principia in ſe viſa, & cognita. Ex parte verò ſubiecti tunc prouenit certitudo, quando obiectum per ſe ipſum non eſt ſufficiens ad determinandum intellectum, qui ex motione, & imperio voluntatis determinatur ad tale obiectum, & ſic contingit in fide, & tunc ſupplet voluntas deffectum obiecti, & inuenitur aſſenſus cum obſcuritate.

242. Euidentia nihil aliud eſt quàm modus ille cognoſcendi obiectum, quod per ſe ipſum mouet potentiam. Nam illud videtur, quod per ſe ipſum cãt actum intellus, ſiuè ſen-

ſenſus. Triplex autem eſt modus euidentiæ. Primus reperitur in ſimplici cognitione, verbi gratia. Quãdo forma obiecti eſt in ipſo intellectu, ſicut enim viſio corporalis in ſenſu inuenitur, quando ſpecies viſibilis eſt in viſu, ita intellectio dicitur viſiua, ſeù euidens quando ſpecies intelligibilis obiecti eſt in ipſo intellectu. Secundus modus euidentiæ eſt circa complexa, quorum cognitio ex prædicta viſione ſimplici reſultat, verbi gratia per lumen naturale cognoſcimus prima principia euidẽter. Tertius eſt, quãdo cognoſcimus veritates, quas in alia principia poſſumus reſoluere, tunc euidenter cognoſcimus illas, & talis cognitio eſt ſcientifica, cuius euidentia participatur ex euidẽtia circa prima principia, & ideò iſta dicitur immediata, illa vero mediata, ſignum autem ad cognoſcendam euidentiam optimè affertur à M. Ioan. è S. Thom. nempè, ex effectu. Nam quando obiectum ita proponitur, quòd conuincitur intellectus plenè, & quietatur abſquè aliquo extrinſeco, tunc abſquè dubio eſt euidentia.

243. His ſuppoſitis conſtat differentia inter ſcientiam, & alios habitus. Illa enim eſt habitus inclinans ad aſſenſum certum, & euidentem. Opinio autem inclinat ad aſſenſum determinatum, cum formidine alterius partis. Fides eſt habitus inclinans ad aſſenſum propter ſolam authoritatem dicentis. Et cum hæc [& loquor in creatis] ſit fallibilis, & incerta, aſſenſus fidei eſt incertus, & obſcurus: ſuſpicio inclinat in aliquam partem ex leui fundamento. Ad maiorem explicationem Opinionis nota cum M. Soto, Primò quòd ad illius rationem requiritur quòd obiectum ſit in differens ad verum, vel ad falſum, ſaltim ex modo, quo illud attingit intellectus. Ideòq; ſi obiectum eſt neceſſarium, & tamen attingitur cum formidine, actus erit opinatiuus. Nota ſecundò quòd inter veritates opinabiles, aliæ ſunt immediatæ, quæ aliis non probantur; & aliæ ſunt mediatæ, illæ, nimirum quæ aliis probantur. Nam ſicut in diſcurſu ſcientifico non datur proceſſus in infinitum, ſed deuenitur ad propoſitiones immediatas, ita in diſcurſu opinatiuo, deueniendum eſt ad veritates immediatas in ſuo genere opinionis. Nota tertio cum M. Soto quòd formido requiſita ad opinionem nõ poteſt melius explicari, quã ſi dicas, quòd eſt priuatio certitudinis. Vnde hoc eſt aſſentiri vni parti cum formidine alterius, quod eſt intellectum non eſſe ita determinatum ad hanc partem, quin fluctuet quodammodò circà aliam Hæc ſufficiant mòdò breuiter dicta, nam in Conferentiis latè de opinione, & ſcientia tractabimus.

CAPVT. 18.

Explicatur quid, & quotuplex ſit quæſitum.

244 IN præcedentibus capitulis relinquitur explicata doctrina tradita ab Ariſtot. In lib. 1. Poſt. Et nũc aggredimur

dimur

Digitized by Google

dimur explicare illam, quam docuit in lib. 2. Vbi notandum eſt cum M. Soto in dicto lib. 2. cap. 1. quòd iſti duo libri Poſteriorum diſtinguuntur hoc modo, quòd cum in primo tractatum ſit quomodo concluſio demonſtrationis cognoſcatur per principia reſoluendo vſquè ad immediata; intendit in ſecúdo tractare qnomodo principia ipſa immediata cognoſcãtur. Verum eſt tamen quò latiùs, atque adeò potiſſimùm tractat Ariſtoteles de medio demonſtrationis, quod eſt quidditas rei expreſſa in diffinitione, & eſt principium incomplexum. Vnde ſicut in libris Priorum poſtquàm tractauit de forma ſyllogiſtica, dedit artem inueniendi medium in qualibet figura, ita modò in lib. 2. docet quomodo inueſtigandum ſit medium, vt principia ſint propria, & per ſe, de quibus egerat in lib. 1.

245. Quo ſuppoſito, in cap. 1. huius libri notat Mag. Soto cum Ariſtotele quòd omnis quęſtio eſt de medio, ideſt, de cauſa, quare conueniat prædicatum ſubiecto. Et aſſignat quatuor quæſtiones, ſeu quæſita, & in illis verificat eſſe omnes de medio aliquo. Duę quęſtiones, ſunt de re ſimplici, verbi grati an res ſit, & quid ſit. Duę aliæ ſunt de re compoſita ſcilicet quia, & propter quid. Et has duas quæſtiones antè poſuit Ariſtoteles, quia compoſita ſunt nobis notiora, vel forte quia compoſita ſunt quę ſimpliciter ſcimus. Circa primam quæſtionem an res ſit, de qua dicebamus ſuprà cap. 2 præſupponi de ſubiecto ante demonſtrationem, nota quod quærere an res ſit, non eſt querere an actù exiſtat, ſed an poſſibilis in ſuo ſit, genere vt dicebamus ibidem n. 188. & in prędicto cap. ait Mag. Soto, quod eſt quærere an res vera ſit, ideſt, an ſit alicuius quidditatis. Secunda quæſtio, nempè, quid ſit, & de ipſa quidditate, ſequitur ad primam, nam poſtquàm cognoſcitur rem eſſe, ideſt, habere aliquam quidditatem, ſtatim ſequitur inquirere quæ nam ſit talis quidditas. Tertia quæſtio eſt, quia, & notat Magiſt. Soto quòd ly, quia, facit æquiuocationem, & obſcuritatem, & non debet accipi cauſaliter, ſed ita vt ſit coniunctio, nam quæſtio de, quia, non quærit niſi ſolùm de veritate propoſitionis, verbi gratia, vtrum homo ſit riſibilis, vtrum ſol eclypſetur. Eſt autem differentia inter quæſtionem an res ſit, & quæſtionem, quia, quod illa eſt de re ſimplici, iſta vero de re compoſita. Quarta quęſtio eſt, propter quid, in qua inquiritur medium, ſeu cauſa, cur prædicatum conueniat ſubiecto, verbi gratia cur homo ſit riſibilis, vel cur ſol eclypſetur.

246. Ex his quæſtionibus apparet omnes eſſe de medio, & omnes ad vnam reducit. Et probatur inductione, ſupponendo quòd de propoſitione immediata nulla eſt quæſtio, quia medio caret. Igitur cum quærimus quia, licet formaliter non quęrámus medium, & cauſam; quærimus tamen virtualiter. Cuius ſignum eſt quòd poſt quàm ſcimus, verbi gratia ſolem eclypſari ſtatim quęrimus propter quid eclypſatur, quod eſt quærere medium, ſeu cauſam: eadem ratione ſi nobis eſſet per ſe notum aliquam rem nullius eſſe quidditatis, certè non quæreremus an ſit. Nam res, quæ nullius eſt quidditatis, vt chimæra, eſſe non poteſt. Igitur cum quærimus an res ſit, virtualiter quærimus an ſit alicuius quidditatis. Et ſignum eſt quòd poſt quàm ſcimus rem eſſe, ſtatim quæ-

Digitized by Google

querimus quid ſit, id eſt, quę eſt illius eſſentia. Vnde quatuor quæſtiones reducit Ariſtoteles ad duas nempè, quia, ad propter quid, & an eſt, ad quid eſt. Et tandem iſtæ duæ queſtiones ad vnam reducuntur, quæ eſt de medio ſcilicet quid eſt: ergo optimè conſtat quod omnis quæſtio, ſaltim virtualiter, eſt de medio, ideſt, de cauſa. in omnibus enim quæritur cauſa, & conſequenter medium, ſi quidem cauſa, & medium in præſenti idem ſunt.

CAPVT. 19.

Oſtenditur quòd reſpectu einſdem non poſſit dari diffinitio, & demonſtratio.

248 INtendit Ariſtoteles probare modum notificandi rem per diffinitionem, & demonſtrationem eſſe valde diuerſum, ita vt illud, quod diffinitur, non poſſit demonſtrari, & è contr, illud, quod demonſtratur, non poſſit diffiniri. Et vtrumque probat ratione. Nam vnaquæquè res habet vnum tantùm modum, vt cognoſcatur: ergo quod cognoſcitur diffinitione, non cognoſcitur demonſtratione. Eo vel maximè nam id, quod diffinitur, præſupponitur ad demonſtrationem, & quod demonſtratur, cognoſcitur poſt diffinitionem.

249. Et ſingula probat ſuis ſpecialibus rationibus, & oſtendit hic Mag. Soto lib. 2. cap. 3. In primis quòd illud quod demonſtratur, non diffiniatur, probat. 1. quia diffinitio prædicatur affirmatiuè, & vniuerſaliter de diffinito, ſed plures ſunt demonſtrationes negatiuæ, vt conſtat in ſecunda figura, & plures ſunt particulares, quales inueniuntur in tertia figura: ergo non quidquid demonſtratur, diffinitur. Secundò, quia ea, quę ſciuntur, ſunt concluſiones, in quibus aliquid per ſe, aut per accidens prædicatur: Nam per ſe, quarto modo, vt ædificator ædificat, eſt propoſitio ſcibilis, & eſt accidentalis in prędicando, licèt per ſe in cauſando, ſed concluſionis non eſt diffinitio, ſed ſolùm ſubiecti: ergo, &c. Tertio, quia diffinitio ſignificat ſubſtantiam, ideſt, quidditatem rei, id autem quod demonſtratur, eſt accidens ſcilicet paſſio, ergo non ſemper illius, quod demonſtratur eſt diffinitio.

250. In ſuper oſtenditur idem incipiens à diffinitione, nempè, quòd quidquid diffinitur, nō demonſtretur. Nam diffinitio eſt primum principium in demonſtrationibus ſed primorū principiorū non eſt demonſtratio, aliàs daretur proceſſus in infinitū: ergo, &c. Tādē quòd nō poſſit dari reſpectu alicuius in particulari diffinitio ſimul, & demonſtratio, probatur. 1. quia diffinitio explicat quidditatem, ſed quidditas præſupponitur antè demonſtrationē, & eſt præcognitū: ergo nō poteſt demonſtrari. Secūdò probatur. Nam queſtio, quia, & quid eſt, differunt; ſed diffinitio oſtendit quid, & demonſtratio oſtendit, quia, ideſt, hoc eſſe illud· ergo reſpectu nullius in particulari poteſt dari diffinitio, ſimul, & demonſtratio.

Digitized by Google

CAPVT 20

Oſtenditur quidditatem, ſeu eſſentiam rei non eſſe demonſtrabilem duobus modis.

251 POſt quam explicuit, & probauit M. Soto cum Ari. diffinitionē, & demonſtrationem, eſſe modos valdè diuerſos notificandi rem, ſtatim in ſequentibus probat ipſam quidditatem, ſeù eſſentiam uullo modo poſſe demonſtrari. Qua propter excludit omnes modos, quibus poterat dici quidditatem demonſtrari. Ad cuius intelligentiam, nota, aliud eſſe quòd probetur quidditatem verè, & vniuerſaliter prædicari de ſubiecto, aliud verò quòd quidditatiuè cōueniat ſubiecto & hoc vltimum eſſe impoſſibile, licet primum de facto ita contingat, probat Magiſt. Soto.

252. Circa hoc vltimum nēpe, quod quidditas nō poſſit demōſtrari quidditatiuè, nota multis modis poſſe imaginari à diuerſis quidditatem demonſtrari. Primò per terminos cōuertibiles, Secundò à ſufficienti diuiſione. Tertiò ex aliqua ſuppoſitione. Quarto inductione. Et quinto ita vt vna diffinitio per aliam demōſtretur. Et hos omnes modos demonſtrādi non conuincere demonſtratiuè quidditatem conuenire ſubiecto, & hoc quidditatiuè; probandum eſt. In præſenti autem capite de duobus Prioribus dicemus. Et in ſequenti de aliis tribus.

253 Diſcurramus per ſingulos modos, & Primus reiicitur. Nam ſi quidditas demonſtraretur de ſuo ſubiecto per terminos conuertibiles, eſſet manifeſta petitio principij: ergo tali modo non eſt demonſtrabilis. Probatur ãns. Nam in concluſione ſubiectum eſſet minor extremitas, & quidditas eſſet maior extremitas, quæ vniretur ſubiecto mediante alio termino, qui in præmiſſis aſſumeretur, vt medium: ſed tale medium debebat vniri cum minori extremitate, etiam quidditatiuè: ergo iam in præmiſſis cognoſceretur quidditas ſubiecti, quæ demonſtranda erat in concluſione, & conſequenter eſſet petitio principij, ideſt, in præmiſſis eſſet cognitum id, quod in concluſione erat probandum.

254. Minor autem probatur. Nam ita vniuntur extremitates in cōcluſione ſicut vniuntur medio in p̄miſſis; ergo ſi in concluſione maior extremitas vnitur quidditatiuè cum minori, in præmiſſis debet medium uniri quidditatiuè cum minori, quæ eſt ſubiectum, & tunc iam in minori propoſitione erit cognita quidditas ſubiecti, & in hoc conſiſtit petitio principij, ſiquidem præſupponitur cognita quidditas ſubiecti.

255. Secundus modus demonſtrandi per diuiſionem etiam impugnatur. Nam diuiſio non eſt neceſſaria conſequentia, niſi aliquid detur, & admittatur à reſpondente, ſed demonſtratio debet neceſſario conuincere, uelit, nolit reſpondens, ergo via diuiſionis non poteſt demonſtrari

quid-

Digitized by Google

quidditas. Minor ex dictis conſtat. Et maior probatur exemplis. Nam ſi quis inueſtigans genus hominis, quærat à reſpondente, an ſit animatum, vel inanimatum, licet reſpondens concedat eſſe animatum non neceſſariò concludit quidditatem hominis, tùm quia ſolùm concludit ex conceſſione alterius; tùm quia adhuc ſolùm habet genus diffiniti, ſcilicet, quòd homo eſt animal: Et ſi rurſus per diuiſionem inquirat differentiam petens ſit ne animal greſſibile, an aquaticum, an volatile, & accipiat eſſe greſſibile, non eſt euidens animal greſſibile eſſe totam diffinitionem; tùm quia licet certum ſit, illa omnia conuenire homini, non tamen per diuiſionem fit euidens vt illa prædicentur in quid, quod requirebatur ad demonſtrandam quidditatem. Tùm quia per diuiſionem non fit euidens an talis diffinitio ſit ſuperflua, vel diminuta.

256. Notat autem Magiſter. Soto quod in hoc diſcurſu via arguendi per diuiſionem argutè comparatur ad modũ arguendi per inductionem. Vt enim ex tribus, aut quatuor ſingularibus, putà iſte ætiops eſt niger, & iſte, & iſte, non infertur omnem eſſe nigrum, niſi reſpondens admiſerit non eſſe plures ſingulares, aut ita eſſe in omnibus, ita, & in diuiſione non ſequitur; hoc eſt greſſibile, aut aquatile; non eſt aquatile, ergo greſſibile, niſi reſpondens admittat non eſſe plures ſpecies animalis. Et tandem etiam ſi omnia diligenter diuidantur, nempè omnia quæ prædicantur in quid, incipiens à genere generaliſſimo, adhuc talis modus, licet manifeſtet certò quidditatem, non tamen erit demonſtratiuus, cum non poſſint omnia ſingularia demonſtrari, quod erat neceſſarium ad demonſtrandam quidditatem. Et deniquè nec inductio, aut diuiſio reddit cauſam, & ideò neutra eſt via demonſtrandi quidditatem. Prætérquàm quòd talis modus arguendi ſolùm eſt Topicus, & probabilis, vt dicebamus lib. 2. ſumm. cap. 15. n. 142.

CAPVT. 21.

Oſtenditur quidditatem non eſſe demonſtrabilem alijs tribus modis.

257 Tertius modus demonſtrã di quidditatẽ erat facta aliqua ſuppoſitione, & iſte reiicitur à Mag. Soto, ex Ariſt. lib. 2 cap. 6. & in primis poteſt ſupponi quid ſit diffinitio ipſius diffinitionis quidditatiuæ: v.g. ſi ſupponatur quòd eſt oratio continens totum, quod prædicatur in quid, ſcilicet, genus, & differentiam. Tunc inquiri poteſt, vtrum ex hac ſuppoſitione demonſtrabitur quidditas hominis de ipſo homine. Et reſpondetur ex eodem Ariſt. Quòd licet talis ſuppoſitio ſit vera, tamẽ quia hoc ſupponit, nõ poteſt demonſtrare quidditatẽ. Et probatur. 1. Nam talis diffinitio accipitur, ſeu ſupponitur, & nõ demonſtratur, ergo ex illa non poteſt demonſtrari quidditas rei diffinitæ. Probatur. 2 à paritate, nam in hoc ſyllogiſmo [omne animal

eſt, ſubſtantia, omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt ſubſtãtia] non ſumitur diffinitio ſyllogiſmi, tanquã præmiſſa, ita vt ſi quis neget illam conſequentiam eſſe in Barbara, debet illud Probari per diffinitionem ſyllogiſmi de Barbara, quam quilibet debet habere in mente ſine demonſtratione: ergo ſi, diffinitio hominis demõſtranda eſt de homine, non debet ſumi, tanquam præmiſſa, diffinitio explicans quid ſit diffinitio, ſed ſi quis neget illam diffinitionem eſſe hominis, nempè, eſt animal rationale, probandum eſſet, quia conſtat ex genere, & differentia; quæ probatio non eſt demonſtratio, ſed examinatio an illa ſit diffinitio per regulam, & leges diffinitionis. Itaquè prædicta probatio ex tali ſuppoſitione eſt bona, non tamen eſt demonſtratio.

258. Secundè poteſt ſupponi diffinitio alterius, nempè oppoſiti, & tunc poteſt inquiri, an ex tali ſuppoſitione poſſit demonſtrari quidditas, verbi gratia, ſi ſupponatur ratio, & quidditas mali, an ex illa poſſit demonſtrari quidditas boni, & poteſt ſic formari probatio. Nam contrariorum contrariæ ſunt diffini tiones, ſed bonum, & malum ſunt contraria, ſicut diuiſibile, & indiuiſibile: ergo ſi eſſe diuiſibile eſt diffinitio mali, eſſe indiuiſibile eſt diffinitio boni. Reſpondetur quòd nec iſte modus arguendi eſt demonſtratio. Probatur. 1. quia in antecedenti aſſumitur diffinitio contrariorum, & diffinitio mali, ergo ſi omnis diffinitio poteſt demonſtrari, illæ diffinitiones non ſunt prima principia, ſed demonſtrandæ erant. Probatur ſecundo, quia aſſumit idem, quod probandum erat. Nam ſupponit malum eſſe diuiſibile, & eiuſdem prorſus rationis eſt quòd bonum ſit indiuiſibile: ergo idem, quod erat probandum, aſſumit in antecedenti. Et quidem licet quidditas ſubiecti ſumatur vt medium in demonſtrationibus, tamen concluditur aliud de alio, vt riſibile de homine, & in propoſito idem, vel eiuſdem rationis ſupponitur, quod concluditur. Quartus modus demõſtrandi quidditatem eſt per inductionem, ſed iſte ſufficienter reijcitur ex dictis in cap. 20. contra ſecundum modum probandi per diuiſionem.

259. Reſtat vltimus modus probandi quidditatem, ſcilicet, vt vna diffinitio demonſtretur per aliam, & reſpondet quod per diffinitionem importantem cauſam finalẽ poſſumus oſtendere diffinitionem importantem cauſam efficientem, vt ſi dicas [omnis habitus ordinans hominem ad fælicitatem, eſt operatiuus ſecundum rationem, omnis virtus eſt habitus ordinans hominẽ ad fælicitatem: ergo omnis virtus eſt habitus operatiuus ſecundùm rationem] In quo ſyllogiſmo vna diffinitio quidditatiua eſt medium ad probandum aliam. Iſte autem modus non eſt demonſtratio, ſed ſyllogiſmus dialecticus. Et ratio eſt. Quia licet conſequentia ſit optima, & ex præmiſſis neceſſariis demonſtretur concluſionem eſſe neceſſariam, & per conſequens ſit demonſtratio demonſtrans concluſionem eſſe veram, non tamen demonſtratur quòd prædicatum dicatur, in quid, & ſit diffinitio explicans adæquatè quidditatem ſubiecti. Sed ſolùm demonſtratur conditionaliter, quòd ſi medium eſt diffinitio finalis ſubiecti, maior extremitas erit etiam diffinitio formalis eius, quod autem medium

dium

Digitized by Google

dium ſit diffinitio non demonſtratur, ſed ſupponitur, & ideo non demonſtratur propriè quidditas, licet demonſtretur concluſionem eſſe veram, vt dicebamus cap. 14. tractantes de circulo vitioſo.

CAPVT. 22.

An quiditas paſſionis explicata in diffinitione, quid eſt, & propter quid, poſſit demonſtrari.

260 ADuertit Mag. Soto ſuper cap. 10. quòd ſicut inter principia complexa, alia ſunt immediata, & indemonſtrabilia, & alia mediata, & demoſtrabilia, ita inter ipſas quidditates ſignificatas per diffinitiones, alia eſt immediata, quæ non innoteſcit per demóſtrationem, vt eſt quidditas ſubiecti explicata per genus, & differentiam, verbi-gratia animal rationale, & alia eſt quidditas mediata, quæ per aliam demonſtratur, verbi gratia quidditas paſſionis innoteſcit per quidditatem ſubiecti, ex quo deducitur duplex diffinitio altera, quæ nullo modo eſt demonſtrabilis, putà illa, quæ non habet aliam priorem, vt animal rationale. Alia verò eſt ipſa ferè demonſtratio, vt diffinitio paſſionis, quæ eſt proxima cauſa ipſius, qua propter talis diffinitio ita eſt principium demonſtrationis, vt poſſit eſſe concluſio. Et ideo dicitur quòd diffinitio paſſionis explicat quid, & propter quid illius, cum totum eſſe quidditatiuum paſſionis ſit propter eſſe quidditatiuum ſubiecti.

261. Quo ſuppoſito dicendum eſt quidditatem paſſionis poſſe demonſtrari. Et probatur. Nam talis quidditas paſſionis habet aliam quidditatem priorem, per quam demonſtretur, nempè quidditatem ſubiecti; ergo per illam poteſt demonſtrari; ſicut enim paſſio demonſtratur de ſubiecto, ita quidditas paſſionis per quidditatem ſubiecti, vt conſtat in hac demonſtratione [omne animal rationale eſt aptum natum ridere; omnis homo eſt animal rationale: ergo, &c. Notat tamen quòd nunquam demonſtratur illam eſſe quidditatem. Demonſtratur enim neceſſarium eſſe, vt homo ſit aptus natus ridere, non autem demonſtratur, quòd illa ſit quidditas ipſius paſſionis, ſeu quod illa ſit diffinitio quidditatiua.

CAPVT. 23.

Oſtenditur Demonſtrationem fieri per omne genus cauſæ.

262 DIctum eſt quidditatem ſubiecti non poſſe demonſtrari, & modo aſſeritur eſſe medium ad demonſtrationem, & quod ad iſtam omnes cau-

primo conſiderari ſimilia, & diſſimilia ; & deinde videre an aliqua ſit vna ratio communis omnibus illis , quòd ſi fuerit: ſignum eſt, quòd conuenit illis vna diffinitio. Si vero non reducantur, niſi ad duas;vel plures,non compræhenduntur ſub vna diffinitione . Exempli gratia . Conſidero vnum hominem eſſe rationalem,& alium, & omnes, & video equum homini diſſimilem,eſſe hinnibilē,& pariter vniuerſos,quæ rationes non cō præhenduntur ſub vna,& ideo homo,& equus habent diſtinctas diffinitiones.

268. Dubitat hic Magiſter Soto quam iſtarum viarum aſſignauerit Ariſtoteles,vt propriam, & reſpondet tria.Primum eſt, quòd non reprobat viam diuiſionis, immò aſſerit eſſe vtilem, ſaltem ad inquirendum genus . Secundum eſt quod diuiſio ſine compoſitione non ſufficit , ſed dum ſuperiora diuiduntur , ſimul componuntur inferiora , nam differentia diuiſiua ſuperioris eſt inferioris conſtitutiua.Et hanc ferè appellat Ariſtoteles viam compoſitionis. Tertium eſt , quòd in diffinitionibus procedendum eſt à notioribus nobis, putà , ex compoſitis ſpeciebus ad ſimplicia , & ſuperiora genera . Inſuper alia, circa inueſtigationem medii in demonſtratione, propter quid, facilè conſtant ex dictis , & ſimiliter quæ in fine omnium docet circa modum cognoſcendi principia complexa,conſtant ex dictis à nobis ſupra cap. 16. explicantibus quid ſit habitus primorum principiorum, qui dicitur intellectus, de quo etiam alia tractabimus in noſtris Conferentijs . Et modo concludo hunc librum dicens cum Magiſtro Soto , Inter obſcuritatem , prolixitatemquè huius operis cum nauigauerim , haud ſcio vnde plus damni acciperem : vt cunquè tamen Deo debètur quod emerſerim, cui laus in æuum ſit perpetua.

Digitized by Google

LIBER Vltimus de Locis Dialecticis, & de fallacijs.

PROAEMIVM.

269 EGit Ariſtoteles in libris Poſteriorũ de Syllogiſmo demonſtratiuo, & deinde tractat de Syllogiſmo dialectio, ſeu probabili, propter cuius explicationem octo libros conpoſuit, quos vocauit libros Topicorum, ideſt, de locis. Nam, topos, grçcè eſt idem quod latinè locus. Explicat autem mentem ſuam Ariſtoteles dicens intendere viam, & rationem inuenire, qua de omni propoſita quçſtione probabili poſsimus argumẽtatione diſputare. Et hoc nihil aliud eſt, quam docere ex quibus coaleſcat talis ratiocinatio probabilis, ac quoſdam quaſi nidos, ac loca aperire, vnde promantur argumenta probabilia. Oſtendit etiam Ariſto. varias vtilitates huius tractatus, quas refert M. Maſsius to. 2. logicç in fine, lib. vnico, & in prçfatione narrat quam plures antiquos, & graues Doctores, qui de hac materia peculiaria volumina euulgauerunt. At noſtris temporibus parum, aut nihil curant Doctores, & quod magis eſt, D. Thom. cum ferè omnia opera Phyloſophi ex poſuerit, nihil nobis reliquit dictum de libris Topicorum. Verum aliqua breuiter dicemus, quæ ſufficiant ad intelligendos modos loquendi in hac parte. Et eadem breuitate conabimur aliqua proponere de fallaciis, vt cognoſcatur ſyllogiſmus ſophyſticus, & ſic logica quoad eius partes erit aliquantulum explicata.

CAPVT I.

Explicatur quid ſit ratiocinatio dialectica, propoſitio dialectica, quæſtio dialectica, & locus Dialecticus.

270 IN primis notãdum eſt quod hoc nomẽ Dialectica multoties ſumitur pro eodem quo, logica, & ita ſolet accipi à ſummuliſtis. At, ſi in rigore accipiatur, & iuxtà ſenſum Ariſtotelis, & D. Thomæ, nominatur dialectica hæc pars logicæ, quæ dicitur Topica, quia tractat de locis, & dialectica quia in omni materia probabiliter diſputat, aut docet diſputare. Quo ſuppoſito explicandi ſunt omnes termini poſiti in titulo huius capitis

Digitized by Google

& immediatis. Tertius habitus eſt ſapientia, quæ non diuiditur contra ſcientiam, vt oppoſitum contra oppoſitum, ſed quia ſe habet ex additione ad ſcientiam, vt docuit D. Thom. opuſc 70. q. 2 art. 2. ad. 1. ſapientia enim eſt habitus ex principiis procedens inferendo, & probando veritates, addit autem ſupra ſcientiam, quòd reſoluit per vltimam cauſam, ſeu prima principia: Et quia principia, ex quibus procedit, ſunt vniuerſaliſſima, reflectit ſupra ſua principia, & aliarum ſcientiarum explicando, & defendendo, non autem demonſtrando, ſeu aliter probando illa. Et propterea ſolet dici, quòd ſapientia includit intellectum, & ſcientiam, quia ex vna parte deducit concluſiones, & ex altera explicat, & defendit principia, quæ ad intellectum attinent.

CAPVT 17.

Explicatur differentia ſcientiæ ab alijs, nempè opinione, fide humana, & ſuſpicione.

240 AD plenã notitiam quidditatis ſcientiæ reſtat modò explicare alios habitus intellectuales imperfectos; qui obſcuri ſunt, & non inclinant infallibiliter ad verum, & iſti ſunt tres, nempè opinio, fides, & ſuſpicio. Et, quia tota diſtinctio fit penès certum, & incertum, clarum, & obſcurum; ante omnia explicandum eſt quid ſit certitudo, quot modis contingat, quid ſit euidentia, & claritas, & quibus modis inueniatur.

241. Igitur certitudo nihil aliud eſt, quam determinatio, ſeu adhæſio intellectus ad vnum. Et eſt triplex, alia eſt formalis, quæ reperitur in ipſo actu intellectus, quo determinatur, ſeu adhæret ad vnum obiectum: alia eſt certitudo obiectiua, illa, nempè, quæ eſt in ipſo obiecto, & quæ cauſat certitudinem formalem: alia eſt certitudo ſubiectiua, & eſt illa; quæ prouenit ab ipſo intellectu, qui eſt ſubiectum actus, in quo eſt certitudo formalis: Diciturq; certitudo formalis cauſata, & obiectiua, & ſubiectiua eſt certitudo cauſans. Quapropter qnantò certitudo cauſans eſt maior, tantò eſt fortior certitudo cauſata. Et hac ratione quia prima principia in ſe habent ſufficientem rationem, vt per ſe poſſint determinare intellectum ad eorum aſſenſum, ideo aſſenſus circa illa certior eſt aſſenſu ſcientifico, qui reſoluitur in prima principia in ſe viſa, & cognita. Ex parte verò ſubiecti tunc prouenit certitudo, quando obiectum per ſe ipſum non eſt ſufficiens ad determinandum intellectum, qui ex motione, & imperio voluntatis determinatur ad tale obiectum, & ſic contingit in fide, & tunc ſupplet voluntas deffectum obiecti, & inuenitur aſſenſus cum obſcuritate.

242. Euidentia nihil aliud eſt quàm modus ille cognoſcendi obiectum, quod per ſe ipſum mouet potentiam. Nam illud videtur, quod per ſe ipſum cãt actum intellus, ſiuè ſen-

ſenſus. Triplex autem eſt modus euidentiæ. Primus reperitur in ſimplici cognitione, verbi gratia. Quãdo forma obiecti eſt in ipſo intellectu, ſicut enim viſio corporalis in ſenſu inuenitur, quando ſpecies viſibilis eſt in viſu, ita intellectio dicitur viſiua, ſeû euidens quando ſpecies intelligibilis obiecti eſt in ipſo intellectu. Secundus modus euidentiæ eſt circa complexa, quorum cognitio ex prædicta viſione ſimplici reſultat, verbi gratia per lumen naturale cognoſcimus prima principia euidẽter. Tertius eſt, quãdo cognoſcimus veritates, quas in alia principia poſſumus reſoluere, tunc euidenter cognoſcimus illas, & talis cognitio eſt ſcientifica, cuius euidentia participatur ex euidẽtia circa prima ptincipia, & ideò iſta dicitur immediata, illa vero mediata, ſignum autem ad cognoſcendam euidentiam optimè affertur à M. Ioan. è S. Thòm. nempè, ex effectu. Nam quando obiectum ita proponitur, quòd conuincitur intellectus plenè, & quietatur abſquè aliquo extrinſeco, tunc abſquè dubio eſt euidentia.

243. His ſuppoſitis conſtat differentia inter ſcientiam, & alios habitus. Illa enim eſt habitus inclinans ad aſſenſum certum, & euidentem. Opinio autem inclinat ad aſſenſum determinatum, cum formidine alterius partis. Fides eſt habitus inclinans ad aſſenſum propter ſolam authoritatem dicentis. Et cum hęc [& loquor in creatis] ſit fallibilis, & incerta, aſſenſus fidei eſt incertus, & obſcurus: ſuſpicio inclinat in aliquam partem ex leui fundamento. Ad maiorem explicationem Opinionis nota cum M. Soto, Primò quòd ad illius rationem requiritur quòd obiectum ſit in differens ad verum, vel ad falſum, ſaltim ex modo, quo illud attingit intellectus. Ideòq; ſi obiectum eſt neceſſarium, & tamen attingitur cum formidine, actus erit opinatiuus. Nota ſecundò quòd inter veritates opinabiles, aliæ ſunt immediatę, quæ alijs non probantur; & aliæ ſunt mediatæ, illę, nimirum quæ aliis probantur. Nam ſicut in diſcurſu ſcientifico non datur proceſſus in infinitum, ſed deuenitur ad propoſitiones immediatas, ita in diſcurſu opinatiuo, deueniendum eſt ad veritates immediatas in ſuo genere opinionis. Nota tertio cum M. Soto quòd formido requiſita ad opinionem nõ poteſt melius explicari, quã ſi dicas, quòd eſt priuatio certitudinis. Vnde hoc eſt aſſentiri vni parti cum formidine alterius, quod eſt intellectum non eſſe ita determinatum ad hanc partem, quin fluctuet quodammodò circà aliam Hæc ſufficiant mòdò breuiter dicta, nam in Conferenriis latè de opinione, & ſcientia tractabimus.

CAPVT. 18

Explicatur quid, & quotuplex ſit quæſitum.

144 IN prçcedentibus capitulis relinquitur explicata doctrina tradita ab Ariſtot. In lib. 1. Poſt. Et nũc aggredimur

dimur explicare illam , quam docuit in lib. 2. Vbi notandum eſt cum M. Soto in dicto lib. 2. cap. 1. quod iſti duo libri Poſteriorum diſtinguuntur hoc modo, quòd cum in primo tractatum ſit quomodo concluſio demonſtrationis cognoſcatur per principia reſoluendo vſquè ad immediata; intendit in ſecúdo tractare qnomodo principia ipſa immediata cognoſcātur. Verum eſt tamen quò latiùs, atque adeò potiſſimùm tractat Ariſtoteles de medio demonſtrationis, quod eſt quidditas rei expreſſa in diffinitione, & eſt principium incomplexum. Vnde ſicut in libris Priorum poſtquàm tractauit de forma ſyllogiſtica, dedit artem inueniendi medium in qualibet figura, ita modò in lib. 2. docet quomodo inueſtigandum ſit medium, vt principia ſint propria, & per ſe, de quibus egerat in lib. 1.

245. Quo ſuppoſito, in cap. 1. huius libri notat Mag. Soto cum Ariſtotele quòd omnis quęſtio eſt de medio, ideſt, de cauſa, quare conueniat prædicatum ſubiecto. Et aſſignat quatuor quæſtiones, ſeu quæſita, & in illis verificat eſſe omnes de medio aliquo. Duę quęſtiones, ſunt de re ſimplici, verbi grati an res ſit, & quid ſit. Duę aliæ ſunt de re compoſita ſcilicet quia, & propter quid. Et has duas quæſtiones antè poſuit Ariſtoteles, quia compoſita ſunt nobis notiora, vel forte quia compoſita ſunt quę ſimpliciter ſcimus. Circa primam quæſtionem an res ſit, de qua dicebamus ſuprà cap. 2 præſupponi de ſubiecto ante demonſtrationem, nota quod quærere an res ſit, non eſt querere an actù exiſtat, ſed an poſſibilis in ſuo ſit, genere vt dicebamus ibidem n. 188. & in prędicto cap. ait Mag. Soto, quod eſt quærere an res vera ſit, ideſt, an ſit alicuius quidditatis. Secunda quæſtio, nempè, quid ſit, & de ipſa quidditate, ſequitur ad primam, nam poſtquàm cognoſcitur rem eſſe, ideſt, habere aliquam quidditatem, ſtatim ſequitur inquirere quæ nam ſit talis quidditas. Tertia quæſtio eſt, quia, & notat Magiſt. Soto quòd ly, quia, facit æquiuocationem, & obſcuritatem, & non debet accipi cauſaliter, ſed ita vt ſit coniunctio, nam quæſtio de, quia, non quærit niſi ſolùm de veritate propoſitionis, verbi gratia, vtrum homo ſit riſibilis, vtrum ſol eclypſetur. Eſt autem differentia inter quæſtionem an res ſit, & quæſtionem, quia, quod illa eſt de re ſimplici, iſta vero de re compoſita. Quarta quęſtio eſt, propter quid, in qua inquiritur medium, ſeu cauſa, cur prædicatum conueniat ſubiecto, verbi gratia cur homo ſit riſibilis, vel cur ſol eclypſetur.

246. Ex his quæſtionibus apparet omnes eſſe de medio, & omnes ad vnam reducit. Et probatur inductione, ſupponendo quòd de propoſitione immediata nulla eſt quæſtio, quia medio caret. Igitur cum quærimus quia, licet formaliter non quęrāmus medium, & cauſam; quærimus tamen virtualiter. Cuius ſignum eſt quòd poſt quàm ſcimus, verbi gratia ſolem eclypſari ſtatim quęrimus propter quid eclypſatur, quod eſt quærere medium, ſeu cauſam: eadem ratione ſi nobis eſſet per ſe notum aliquam rem nullius eſſe quidditatis, certè non quæreremus an ſit. Nam res, quæ nullius eſt quidditatis, vt chimæra, eſſe non poteſt. Igitur cum quærimus an res ſit, virtualiter quærimus an ſit alicuius quidditatis. Et ſignum eſt quòd poſt quàm ſcimus rem eſſe, ſtatim

quæ-

Digitized by Google

quęrimus quid ſit, id eſt, quę eſt illius eſſentia. Vnde quatuor quæſtiones reducit Ariſtoteles ad duas nempè, quia, ad propter quid, & an eſt, ad quid eſt. Et tandem iſtæ duæ queſtiones ad vnam reducuntur, quæ eſt de medio ſcilicet quid eſt: ergo optimè conſtat quod omnis quæſtio, ſaltim virtualiter, eſt de medio, ideſt, de cauſa. in omnibus enim quæritur cauſa, & conſequenter medium, ſi quidem cauſa, & medium in præſenti idem ſunt.

CAPVT. 19.

Oſtenditur quòd reſpectu einſdem non poſſit dari diffinitio, & demonſtratio.

248 INtendit Ariſtoteles probare modum notificandi rem per diffinitionem, & demonſtrationem eſſe valde diuerſum, ita vt illud, quod diffinitur, non poſſit demonſtrari, & è contr, illud, quod demonſtratur, non poſſit diffiniri. Et vtrumque probat ratione. Nam vnaquæquè res habet vnum tantùm modum, vt cognoſcatur: ergo quod cognoſcitur diffinitione, non cognoſcitur demonſtratione. Eo vel maximè nam id, quod diffinitur, præſupponitur ad demonſtrationem, & quod demonſtratur, cognoſcitur poſt diffinitionem.

249. Et ſingula probat ſuis ſpecialibus rationibus, & oſtendit hic Mag. Soto lib. 2. cap. 3. In primis quòd illud quod demonſtratur, non diffiniatur, probat. 1. quia diffinitio prædicatur affirmatiuè, & vniuerſaliter de diffinito, ſed plures ſunt demonſtrationes negatiuæ, vt conſtat in ſecunda figura, & plures ſunt particulares, quales inueniuntur in tertia figura: ergo non quidquid demonſtratur, diffinitur. Secundò, quia ea, quę ſciuntur, ſunt concluſiones, in quibus aliquid per ſe, aut per accidens prædicatur: Nam per ſe, quarto modo, vt ædificator ædificat, eſt propoſitio ſcibilis, & ęſt accidentalis in prędicando, licèt per ſe in cauſando, ſed concluſionis non eſt diffinitio, ſed ſolùm ſubiecti: ergo, &c. Tertio, quia diffinitio ſignificat ſubſtantiam, ideſt, quidditatem rei, id autem quod demonſtratur, eſt accidens ſcilicet paſſio, ergo non ſemper illius, quod demonſtratur eſt diffinitio.

250. In ſuper oſtenditur idem incipiens à diffinitione, nempè, quòd quidquid diffinitur, nō demonſtretur. Nam diffinitio eſt primum principium in demonſtrationibus ſed primorū principiorū non eſt demonſtratio, aliàs daretur proceſſus in infinitū: ergo, &c. Tādē quòd nō poſſit dari reſpectu alicuius in particulari diffinitio ſimul, & demonſtratio, probatur. 1. quia diffinitio explicat quidditatem, ſed quidditas præſupponitur antè demonſtrationē, & eſt præcognitū: ergo nō poteſt demonſtrari. Secūdò probatur. Nam queſtio, quia, & quid eſt, differunt; ſed diffinitio oſtendit quid, & demonſtratio oſtendit, quia, ideſt, hoc eſſe illud: ergo reſpectu nullius in particulari poteſt dari diffinitio, ſimul, & demonſtratio.

Digitized by Google

CAPVT 20

Oſtenditur quidditatem, ſeu eſſentiam rei non eſſe demonſtrabilem duobus modis.

251 POſt quam explicuit, & probauit M. Soto cum Ari. diffinitionē, & demonſtrationem, eſſe modos valdè diuerſos notificandi rem, ſtatim in ſequentibus probat ipſam quidditatem, ſeù eſſentiam uullo modo poſſe demonſtrari. Qua propter excludit omnes modos, quibus poterat dici quidditatem demonſtrari. Ad cuius intelligentiam, nota, aliud eſſe quòd probetur quidditatem verè, & vniuerſaliter prædicari de ſubiecto, aliud verò quòd quidditatiuè cõueniat ſubiecto & hoc vltimum eſſe impoſſibile, licet primum de facto ita contingat, probat Magiſt. Soto.

252. Circa hoc vltimum nēpe, quod quidditas nõ poſſit demõſtrari quidditatiuè, nota multis modis poſſe imaginari à diuerſis quidditatem demonſtrari. Primò per terminos cõuertibiles, Secundò à ſufficienti diuiſione. Tertiò ex aliqua ſuppoſitione. Quarto inductione. Et quinto ita vt vna diffinitio per aliam demõſtretur. Et hos omnes modos demonſtrādi non conuincere demonſtratiuè quidditatem conuenire ſubiecto, & hoc quidditatiuè; probandum eſt. In præſenti autem capite de duobus Prioribus dicemus. Et in ſequenti de aliis tribus.

253 Diſcurramus per ſingulos modos, & Primus reiicitur. Nam ſi quidditas demonſtraretur de ſuo ſubiecto per terminos conuertibiles, eſſet manifeſta petitio principij: ergo tali modo non eſt demonſtrabilis. Probatur āns. Nam in concluſione ſubiectum eſſet minor extremitas, & quidditas eſſet maior extremitas, quæ vniretur ſubiecto mediante alio termino, qui in præmiſſis aſſumeretur, vt medium: ſed tale medium debebat vniri cum minori extremitate, etiam quidditatiuè: ergo iam in præmiſſis cognoſceretur quidditas ſubiecti, quæ demonſtranda erat in concluſione, & conſequenter eſſet petitio principij, ideſt, in præmiſſis eſſet cognitum id, quod in concluſione erat probandum.

254. Minor autem probatur. Nam ita vniuntur extremitates in cõcluſione ſicut vniuntur medio in p̄miſſis; ergo ſi in concluſione maior extremitas vnitur quidditatiuè cum minori, in præmiſſis debet medium uniri quidditatiuè cum minori, quæ eſt ſubiectum, & tunc iam in minori propoſitione erit cognita quidditas ſubiecti, & in hoc conſiſtit petitio principij, ſiquidem præſupponitur cognita quidditas ſubiecti.

255. Secundus modus demonſtrandi per diuiſionem etiam impugnatur. Nam diuiſio non eſt neceſſaria conſequentia, niſi aliquid detur, & admittatur à reſpondente, ſed demonſtratio debet neceſſario conuincere, uelit, nolit reſpondens, ergo via diuiſionis non poteſt demonſtrari quid-

Digitized by Google

quidditas. Minor ex dictis conſtat. Et maior probatur exemplis. Nam ſi quis inueſtigans genus hominis, quærat à reſpondente, an ſit animatum, vel inanimatum, licet reſpondens concedat eſſe animatum non neceſſariò concludit quidditatem hominis, tùm quia ſolùm concludit ex conceſſione alterius; tùm quia adhuc ſolùm habet genus diffiniti, ſcilicet, quòd homo eſt animal: Et ſi rurſus per diuiſionem inquirat differentiam petens ſit ne animal greſſibile, an aquaticum, an volatile, & accipiat eſſe greſſibile, non eſt euidens animal greſſibile eſſe totam diffinitionem; tùm quia licet certum ſit, illa omnia conuenire homini, non tamen per diuiſionem fit euidens vt illa prædicentur in quid, quod requirebatur ad demonſtrandam quidditatem. Tùm quia per diuiſionem non fit euidens an talis diffinitio ſit ſuperflua, vel diminuta.

256. Notat autem Magiſter. Soto quod in hoc diſcurſu via arguendi per diuiſionem argutè comparatur ad modū arguendi per inductionem. Vt enim ex tribus, aut quatuor ſingularibus, putà iſte Æthiops eſt niger, & iſte, & iſte, non infertur omnem eſſe nigrum, niſi reſpondens admiſerit non eſſe plures ſingulares, aut ita eſſe in omnibus, ita, & in diuiſione non ſequitur; hoc eſt greſſibile, aut aquatile; non eſt aquatile, ergo greſſibile, niſi reſpondens admittat non eſſe plures ſpecies animalis. Et tandem etiam ſi omnia diligenter diuidantur, nempè omnia quæ prædicantur in quid, incipiens à genere generaliſſimo, adhuc talis modus, licet manifeſtet certò quidditatem, non tamen erit demonſtratiuus, cum non poſſint omnia ſingularia demonſtrari, quod erat neceſſarium ad demonſtrandam quidditatem. Et deniquè nec inductio, aut diuiſio reddit cauſam, & ideò neutra eſt via demonſtrandi quidditatem. Præterquàm quòd talis modus arguendi ſolùm eſt Topicus, & probabilis, vt dicebamus lib. 2. ſumm. cap. 15. n. 142.

CAPVT. 21.

Oſtenditur quidditatem non eſſe demonſtrabilem alijs tribus modis.

257 Tertius modus demonſtrādi quidditatē erat facta aliqua ſuppoſitione, & iſte reiicitur à Mag. Soto, ex Ariſt. lib. 2 cap. 6. & in primis poteſt ſupponi quid ſit diffinitio ipſius diffinitionis quidditatiuæ: v. g. ſi ſupponatur quòd eſt oratio continens totum, quod prædicatur in quid, ſcilicet, genus, & differentiam. Tunc inquiri poteſt; vtrum ex hac ſuppoſitione demonſtrabitur quidditas hominis de ipſo homine. Et reſpondetur ex eodem Ariſt. Quòd licet talis ſuppoſitio ſit vera, tamē quia hoc ſupponit, nō poteſt demonſtrare quidditatē. Et probatur. 1. Nam talis diffinitio accipitur, ſeu ſupponitur, & nō demonſtratur, ergo ex illa non poteſt demonſtrari quidditas rei diffinitæ. Probatur. 2 à paritate, nam in hoc ſyllogiſmo [omne animal

eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt ſubſtatia] non ſumitur diffinitio ſyllogiſmi, tanquã præmiſſa, ita vt ſi quis neget illam conſequentiam eſſe in Barbara, debet illud Probari per diffinitionem ſyllogiſmi de Barbara, quam quilibet debet habere in mente ſine demonſtratione: ergo ſi diffinitio hominis demõſtranda eſt de homine, non debet ſumi, tanquam præmiſſa, diffinitio explicans quid ſit diffinitio, ſed ſi quis neget illam diffinitionem eſſe hominis, nempè, eſt animal rationale, probandum eſſet, quia conſtat ex genere, & differentia; quæ probatio non eſt demonſtratio, ſed examinatio an illa ſit diffinitio per regulam, & leges diffinitionis. Itaquè prædicta probatio ex tali ſuppoſitione eſt bona, non tamen eſt demonſtratio.

258. Secundè poteſt ſupponi diffinitio alterius, nempè oppoſiti, & tunc poteſt inquiri, an ex tali ſuppoſitione poſſit demonſtrari quidditas, verbi gratia, ſi ſupponatur ratio, & quidditas mali, an ex illa poſſit demonſtrari quidditas boni, & poteſt ſic formari probatio. Nam contrariorum contrariæ ſunt diffinitiones, ſed bonum, & malum ſunt contraria, ſicut diuiſibile, & indiuiſibile: ergo ſi eſſe diuiſibile eſt diffinitio mali, eſſe indiuiſibile eſt diffinitio boni. Reſpondetur quòd nec iſte modus arguendi eſt demonſtratio. Probatur. 1. quia in antecedenti aſſumitur diffinitio contrariorum, & diffinitio mali, ergo ſi omnis diffinitio poteſt demonſtrari, illæ diffinitiones non ſunt prima principia, ſed demonſtrandæ erant. Probatur ſecundo, quia aſſumit idem, quod probandum erat. Nam ſupponit malum eſſe diuiſibile, & eiuſdem prorſus rationis eſt quòd bonum ſit indiuiſibile: ergo idem, quod erat probandum, aſſumit in antecedenti. Et quidem licet quidditas ſubiecti ſumatur vt medium in demonſtrationibus, tamen concluditur aliud de alio, vt riſibile de homine, & in propoſito idem, vel eiuſdem rationis ſupponitur, quod concluditur. Quartus modus demõſtrandi quidditatem eſt per inductionem, ſed iſte ſufficienter reijcitur ex dictis in cap. 20. contra ſecundum modum probandi per diuiſionem.

259. Reſtat vltimus modus probandi quidditatem, ſcilicet, vt vna diffinitio demonſtretur per aliam, & reſpondet quod per diffinitionem importantem cauſam finalẽ poſſumus oſtendere diffinitionem importantem cauſam efficientem, vt ſi dicas [omnis habitus ordinans hominem ad fælicitatem, eſt operatiuus ſecundum rationem, omnis virtus eſt habitus ordinans hominẽ ad fælicitatem: ergo omnis virtus eſt habitus operatiuus ſecundùm rationem] In quo ſyllogiſmo vna diffinitio quidditatiua eſt medium ad probandum aliam. Iſte autem modus non eſt demonſtratio, ſed ſyllogiſmus dialecticus. Et ratio eſt. Quia licet conſequentia ſit optima, & ex præmiſſis neceſſariis demonſtretur concluſionem eſſe neceſſariam, & per conſequens ſit demonſtratio demonſtrans concluſionem eſſe veram, non tamen demonſtratur quòd prædicatum dicatur in quid, & ſit diffinitio explicans adæquatè quidditatem ſubiecti. Sed ſolùm demonſtratur conditionaliter, quòd ſi medium eſt diffinitio finalis ſubiecti, maior extremitas erit etiam diffinitio formalis eius, quod autem medium

dium

Digitized by Google

dium ſit diffinitio non demonſtratur, ſed ſupponitur, & ideo non demonſtratur propriè quidditas, licet demonſtretur concluſionem eſſe veram, vt dicebamus cap. 14 tractantes de circulo vitioſo.

CAPVT. 22.

An quiditas paſſionis explicata in diffinitione, quid eſt, & propter quid, poſſit demonſtrari.

260 ADuertit Mag. Soto ſuper cap. 16 quòd ſicut inter principia complexa, alia ſunt immediata, & indemonſtrabilia, & alia mediata, & demoſtrabilia, ita inter ipſas quidditates ſignificatas per diffinitiones, alia eſt immediata, quæ non innoteſcit per demõſtrationem, vt eſt quidditas ſubiecti explicata per genus, & differentiam, verbi gratia animal rationale, & alia eſt quidditas mediata, quæ per aliam demonſtratur; verbi gratia quidditas paſſionis innoteſcit per quidditatem ſubiecti, ex quo deducitur duplex diffinitio altera, quæ nullo modò eſt demonſtrabilis, putà illa, quæ non habet aliam priorem, vt animal rationale. Alia verò eſt ipſa ferè demonſtratio, vt diffinitio paſſionis, quæ eſt proxima cauſa ipſius, qua propter talis diffinitio ita eſt principium demonſtrationis, vt poſſit eſſe concluſio. Et ideo dicitur quòd diffinitio paſſionis explicat quid, & propter quid illius, cum totum eſſe quidditatiuum paſſionis ſit propter eſſe quidditatiuum ſubiecti.

261. Quo ſuppoſito dicendum eſt quidditatem paſſionis poſſe demonſtrari. Et probatur. Nam talis quidditas paſſionis habet aliam quidditatem priorem, per quam demonſtretur, nempè quidditatem ſubiecti; ergo per illam poteſt demonſtrari; ſicut enim paſſio demonſtratur de ſubiecto, ita quidditas paſſionis per quidditatem ſubiecti, vt conſtat in hac demonſtratione [omne animal rationale eſt aptum natum ridere; omnis homo eſt animal rationale: ergo, &c. Notat tamen quòd nunquam demonſtratur illam eſſe quidditatem. Demonſtratur enim neceſſarium eſſe, vt homo ſit aptus natus ridere, non autem demonſtratur, quòd illa ſit quidditas ipſius paſſionis, ſeu quod illa ſit diffinitio quidditatiua.

CAPVT. 23.

Oſtenditur Demonſtrationem fieri per omne genus cauſæ.

262 DIctum eſt quidditatem ſubiecti non poſſe demonſtrari, & modo aſſeritur eſſe medium ad demonſtrationem, & quod ad iſtam omnes cau-

cauſæ poſſunt deſeruire, vt medium. Ad cuius intelligentiam notandum eſt quòd cum ſcire ſit rem per cauſam cognoſcere, & ſint quatuor genera cauſarũ, per omnes iſtas poteſt concluſio demonſtrari. Prima quidem, & digniſſima eſt quidditas, quæ importat cauſam formalem. Eſt enim alia forma partis, quæ dicitur forma phyſica, vt anima eſt forma materiæ, & alia forma totius, quæ dicitur metaphyſica, vt quidditatis rei, quam ſignificat diffinitio, verbi gratia, humanitas. Alia verò eſt cauſa materialis, vt partes reſpectu totius, quæ, cum ſint vnitę, neceſſum eſt totum eſſe. Et tertia eſt efficiens. Et quarta gratia cuius, ideſt, finalis. Et de his omnibus affirmat Ariſtoteles, quod poſſunt eſſe medium in demonſtratione. Et ſubdit exempla ſingulorum generum.

263. De cauſa materiali ponit exemplum in mathematicis, eſt tamen facilius hoc. Omne materialę eſt corruptibile, omne lignum eſt materiale, ergo omne lignum eſt corruptibile. De cauſa formali, quæ eſt diffinitio non ponit exemplum, nam ſatis ſuperquè conſtat ex dictis: circa cauſam efficientem adiungit Ariſtot. exemplum de bello Perſico, quod Athenienſibus fuit atrociſſimum aduerſus Medos: cuius cauſa fuit quòd Athenenſes in fauorem ſociorum ſuorum Cretenſium, aggreſſi ſunt ſardenſes, qui erant amici Medorum, Et ſic facit demonſtrationem. Quicunquè prius Medos bello laceſſiuerint, neceſſe eſt vt à Medis viciſſim bello vexētur: Athenienſes priùs Medos bello laceſſiuerunt: ergo neceſſe eſt Athenienſes à Medis bello vexentur. Tandem adducit exemplum de cauſa finali. Etenim deambulare poſt cænam eſt cauſa efficiens digeſtionis cibi, & digeſtio eſt cauſa finalis deambulationis, ſed digeſtionis finis adhuc eſt bona valetudo. Tunc fit demonſtratio. Quicunquè dat operam, ne cibus ſtomacho ſupernatet, conſeruat valetudidem: quicunquè deambulat poſt cęnam dat operam, ne cibus ſtomacho ſupernatet: ergo quicunquè deambulat poſt cænam, conſeruat valetudinem. Quibus explicat, quæ ſint media apta ad demonſtrationes conficiendas.

CAPVT. 24

Explicatur quomodo inueſtigari debet quidditas rei.

264 EXplicuit iam M. Soto cum Ariſtotele quidditatem non eſſe demonſtrabilē, ſed eſſe medium ad demonſtrandam concluſionem, & in fine huius libri explicat quomodo ipſa quidditas rei inueſtigari debet. Et in primis docet quòd diffinitio quidditatiua debet conſtare ex partibus, quæ eſſentialiter prędicantur, quorum ſingulæ poſſunt eſſe ſuperiores ad diffinitum, collectio tamen omnium conuertitur cum ipſo. Et nota quòd licet vltima differentia conuertatur cum diffinito, quia tamen eſt difficilimum vltimas differentias ſingularum ſpecierum inuenire, illam ſolet Ariſtoteles per plures cõmunes

Digitized by Google

munes circum ſcribere. Igitur prædicatorum eſſentialium compoſitio eſt diffinitio quiddatiua.

265. Quo ſuppoſito duplex eſt modus inquirendi talem diffinitionem quidditatiuam, ſcilicet via diuiſionis, & via compoſitionis. Et circa primam viam eſt primum documentum, de quo, ait Mag. Soto, quòd rarò intelligitur, & eſt nihilominus initium inquirendæ diffinitionis. Cum quis vult inquirere diffinitionem alicuius ſpeciei, quæ dicitur totum ex eo quòd componitur ex genere, & differentia, ante omnia debet ſtatuere in quo ſit prædicamẽto. Et hoc faciet diuidendo genus, ideſt, quodcumquè prædicamentum à generaliſſimo procedendo, vſquè ad indiuidua in ſpecie, & tunc cuiuſcumquè ſpeciei inueſtiganda eſt diffinitio, ideſt, proprietates, vt cognoſcatur illa ſpecies, quæ ponitur diffinienda in quo ſit prædicamento. Poſt hoc cognito per tales diuiſiones, & proprietates, quid nam ſit genus ſpeciei diffiniendæ, videlicet, ad quod prædicamentum pertineat, tunc per effectus communes illius prædicamenti inueſtigandæ ſunt propriæ differentiæ illius ſpeciei, verbi gratia, inueſtigare quis intendit diffinitionem hominis, perpẽdit primum ſit ne ſubſtantia, an quantitas, aut qualitas, id autem cognoſcet per modos intrinſecos, & proprietates prædicamentorum, ſit ne per ſe, an in alio, & inueniet quod homo eſt ſubſtantia, cum ſit ens per ſe: deinde inquirendum eſt ſit ne corpus, an ſpiritus, & cognoſcetur eſſe corpus, quia eſt ſubiectum trinæ dimenſionis. Quo habito, inquirendum eſt, ſit ne animatum, an inanimatum, & cognoſcetur per proprietatem animati, quæ eſt per ſe moueri: & habito quòd ſit animatum videndum eſt, an ſit animal per ſenſibile, quod per ſe conuenit animali, & deinde videndum, ſit ne rationale, aut irrationale per hoc quod eſt vti ratione, vel non vti ratione. Et hoc modo innoteſcit diffinitio quidditatiua hominis per viã diuiſionis. Et notat Ariſtoteles quòd modus iſte non eſt demonſtrãdi, ſed inueſtigandi diffinitionem, & quidditatem rei.

266. Secundum documentum additum eſt ad maiorem explicationem, nempè, quòd diuiſiones generum debent fieri per differentias proximas oppoſitas; vt numerus diuidatur per parem, & imparem. Nam ſi fieret diuiſio per ſingulas ſpecies, abiret in infinitum, aut ſaltem non poſſemus illas cõprehendere, vt patet in ſpeciebus animalis. Tertium documentum eſt circa ordinem, quo debent poni partes in diffinitione. Illa enim, quę contrahitur, debet præcedere, & quæ contrahit, debet ſubſequi, vt genus debet præcedere differentias, & inter differentias illa, quæ contrahitur. Quartum documentum eſt, quòd in diuiſione nihil omittatur eorum, quę intrant diffinitionem. Vbi notandum eſt, quòd omnes differentiæ ſuperiorum generum formaliter, aut virtualiter pertinent ad diffinitionem ſpeciei. Nam, vt in arbore Porphyriana dictum eſt, differentia diuiſiua ſuperioris generis eſt conſtitutiua inferioris, & conſequenter omnes pertinent ad conſtitutionem ſpeciei infimæ, quòd ſi aliquæ omittantur, non indagabitur quidditas.

267. Altera via indagandi diffinitionem modo compoſitiuo hæc eſt. Ad indicandum alicuius rei, vel formæ diffinitionem, debent

primo

primo conſiderari ſimilia, & diſſimilia ; & deinde videre an aliqua ſit vna ratio communis omnibus illis , quòd ſi fuerit: ſignum eſt, quòd conuenit illis vna diffinitio. Si vero non reducantur, niſi ad duas, vel plures, non compræhenduntur ſub vna diffinitione . Exempli gratia , Conſidero vnum hominem eſſe rationalem, & alium, & omnes, & video equum homini diſſimilem, eſſe hinnibilẽ, & pariter vniuerſos, quæ rationes non cõ præhenduntur ſub vna, & ideo homo, & equus habent diſtinctas diffinitiones.

268. Dubitat hic Magiſter Soto quam iſtarum viarum aſſignauerit Ariſtoteles, vt propriam, & reſpondet tria. Primum eſt, quòd non reprobat viam diuiſionis, immò aſſerit eſſe vtilem, ſaltem ad inquirendum genus . Secundum eſt quod diuiſio ſine compoſitione non ſufficit , ſed dum ſuperiora diuiduntur , ſimul componuntur inferiora , nam differentia diuiſiua ſuperioris eſt inferioris conſtitutiua. Et hanc ferè appellat Ariſtoteles viam compoſitionis. Tertium eſt , quòd in diffinitionibus procedendum eſt à notioribus nobis, putà , ex compoſitis ſpeciebus ad ſimplicia , & ſuperiora genera . Inſuper alia, circa inueſtigationem medii in demonſtratione, propter quid , facilè conſtant ex dictis , & ſimiliter quæ in fine omnium docet circa modum cognoſcendi principia complexa, conſtant ex dictis à nobis ſupra cap. 16. explicantibus quid ſit habitus primorum principiorum, qui dicitur intellectus, de quo etiam alia tractabimus in noſtris Conferentijs . Et modo concludo hunc librum dicens cum Magiſtro Soto , Inter obſcuritatem , prolixitatemquè huius operis cum nauigauerim , haud ſcio vnde plus damni acciperem : vt cunquè tamen Deo debetur quod emerſerim, cui laus in æuum ſit perpetua.

LIBER Vltimus de Locis Dialecticis, & de fallacijs.

PROAEMIVM.

269 LGit Ariſtoteles in libris Poſteriorũ de Syllogiſmo demonſtratiuo, & deinde tractat de Syllogiſmo dialectio, ſeu probabili, propter cuius explicationem octo libros conpoſuit, quos vocauit libros Topicorum, ideſt, de locis. Nam, topos, gręcè eſt idem quod latinè locus. Explicat autem mentem ſuam Ariſtoteles dicens intendere viam, & rationem inuenire, qua de omni propoſita quęſtione probabili poſsimus argumẽtatione diſputare. Et hoc nihil aliud eſt, quam docere ex quibus coaleſcat talis ratiocinatio probabilis, ac quoſdam quaſi nidos, ac loca aperire, vnde promantur argumenta probabilia. Oſtendit etiam Ariſto. varias vtilitates huius tractatus, quas refert M. Maſsius to. 2. logicę in fine, lib. vnico, & in pręfatione narrat quam plures antiquos, & graues Doctores, qui de hac materia peculiaria volumina euulgauerunt. At noſtris temporibus parum, aut nihil curant Doctores, & quod magis eſt, D. Thom. cum ferè omnia opera Phyloſophi ex poſuerit, nihil nobis reliquit dictum de libris Topicorum. Verum aliqua breuiter dicemus, quæ ſufficiant ad intelligendos modos loquendi in hac parte. Et eadem breuitate conabimur aliqua proponere de fallaciis, vt cognoſcatur ſyllogiſmus ſophyſticus, & ſic logica quoad eius partes erit aliquantulum explicata.

CAPVT I.

Explicatur quid ſit ratiocinatio dialectica, propoſitio dialectica, quæſtio dialectica, & locus Dialecticus.

270 IN primis notãdum eſt quod hoc nomẽ Dialectica multoties ſumitur pro eodem quo, logica, & ita ſolet accipi à ſummuliſtis. At, ſi in rigore accipiatur, & iuxtà ſenſum Ariſtotelis, & D. Thomæ, nominatur dialectica hæc pars logicæ, quæ dicitur Topica, quia tractat de locis, & dialectica quia in omni materia probabiliter diſputat, aut docet diſputare. Quo ſuppoſito explicandi ſunt omnes termini poſiti in titulo huius capitis

271. Ratiocinatio Dialectica ſic diffinitur à Magiſtro Maſſio ibidem, ſect. I. eſt illa quæ ex probabilibus principiis probabilem colligit concluſionem. Principia autem probabilia explicat Ariſtoteles dicens eſſe quę videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & ex his aut omnibus, aut pluribus, aut alicui ex maximè probatis. Et adducit exempla pro omni parte diſiunctionis. Ex quo infertur quod inter verum, & probabile hæc eſt differentia, quòd verum ſumitur ex ipſis rebus, & probabile pendet ex hominum iudicio, vel exiſtimatione. Qua propter inter duas ſententias, poteſt eſſe quòd altera ſit verior, & altera ſit probabilior, & vt alibi dixit Ariſtoteles, multa falſa ſunt probabiliora veris. Ex principiis probabilibus deducuntur alia probabilia mediata, nam vt ſupra dicebamus libro primo Poſt. capit. 17. Inter propoſitiones probabiles aliæ ſunt immediatæ, & aliæ mediatæ. Igitur ratiocinatio dialectica procedit ex præmiſſis probabilibus, vel ſaltē ex vna pręmiſſa probabili, & infert concluſionem probabilem.

272. Propoſitio Dialictica. Eſt interrogatio probabilis. Et dicitur interrogatio, quia à diſputante cum interrogatione proponitur. Qui enim interrogat dat optionem reſpondenti, vt concedat partem, quam maluerit. Debet etiam eſſe interrogatio probabilis, ideſt, non repugnas opinioni. Et pertinent ad propoſitionem dialecticam ea omnia, quæ ad probabilium ſimilitudinem accedunt, & diſparata eorum, quæ probabilibus aduerſantur.

273. Quæſtio dialectica eſt interrogatio vtriuſque partis contradictionis, nam proponitur diſputanda in vtramquè partem. Et differt quæſtio à propoſitione in eo quòd iſta vnam ſolam partem interrogat, illa verò de vtraque parte actù inquirit, verbi gratia, an voluptas ſit bonum, vel non? Ex omni autem propoſitione fiet quęſtio mutato modo interrogandi. Diuiditur quæſtio ratione finis, in illam, quæ eſt propter ſolam cognitionem, & dicitur quæſtio cognitionis, quales ſunt omnes quæſtiones ſpeculatiuæ, & in illam, quæ eſt propter operationem, & dicitur quæſtio actionis, & huiuſmodi ſunt omnes quæſtiones morales, & illam quæ affert adiumentum vtrique, & tales ſunt quæſtiones logicæ, quę aliis ſcientiis deſeruiunt. Rurſus diuiditur quęſtio ex parte materiæ in quęſtionem generis: diffinitionis, proprii, & accidentis. Ad quæſtionem generis reducitur quæſtio differentiæ, ſpeciei, & ea, qua q̃ritur, an aliqua ſint eiuſdem generis, vel diuerſi. Ad quæſtionæm diffinitionis reuocantur illæ, in quibus inquiritur an aliqua ſint eadem, vel diuerſa. Ad quæſtionem accidentis reducitur illa, qua interrogatur comparatio aliqua, verbi gratia, an honeſtum ſit pręferendum vtili; de quibus omnibus latè tractat Mag. Maſſius vbi ſupra.

CA-

Digitized by Google

CAPVT. 2.

Quid ſit locus dialecticus.

274 LOcus Dialecticus multipliciter diffinitur. Primò ſic. Locus eſt ſedes, ſeu index argumenti. Id enim vnde ſumitur medium, ſeu quod nobis indicat medium argumenti, dicitur locus. Eſt enim domicilium, ſeu receptaculum, vel teſaurus, vbi continentur argumenta. Secundò ſic diffinitur. Locus eſt elementum enthymematis: hoc eſt, principium, vnde ſumit vim enthymema. Prima diffinitio eſt Ciceronis, & ſecunda Ariſtotelis.

275. Nihilominus D. Thomas opuſc. 31. de fallaciis ſic diffinit locum dialecticum Eſt habitudo inferentis ad illatam, verbi gratia, ex habitudine ſpeciei ad genus ſumitur hæc maxima. De quocunque prædicatur ſpecies, prędicatur & genus. Ad cuius intelligentiam nota quod duplex eſt talis habitudo inferentis ad illatam: prima eſt ex qua reſultat aliqua propoſitio vera, & talis habitudo dicitur locus dialecticus, vt in exemplo appoſito. Secunda habitudo eſt ex qua deſumitur aliqua propoſitio falſa, ſed apparens vera, & hæc habitudo dicitur locus ſophiſticus, ſeu fallacia, de quo poſtea dicemus.

276. Loci dialectici diſtinguuntur ſecundùm diuerſas habitudines, ex quibus diuerſæ propoſitiones veræ ſumuntur, & ex quibus maximè cauſatur firmitas argumenti, & argumenta ipſa ſumuntur. Et quidem, vt teſtatur Mag. Maſſius, tot loci fuerunt ab Ariſtotele editi, vt vix, aut ne vix quidem ſit, qui illos mente complecti vllo modo valeat, ſunt enim 359. Nos autem principaliores ad breuem numerum reducemus in pręſenti, de quibus pauca dicemus, quia alia dicta ſunt à nobis in ſumulis. Et quia inter locos dialecticos alij ſunt interni, & externi alii, in ſequenti capite dicemus de internis, & in alio de externis.

CAPVT. 3.

Explicantur loci interni dialectici.

277 PRimus locus Dialecticus eſt habitudo diffinitionis ad definitum, ex qua deſumuntur duæ maximæ propoſitiones, altera ad confirmandum aliquid; nempè, Cui competit diffinitio, competit quoque diffinitum. Ex qua propoſitione conficitur ſyllogiſmus dialecticus verbi gratia, omnis homo eſt animal rationale, ſed Petrus eſt animal rationale: ergo Petrus eſt homo. Altera Maxima propoſitio deſumitur ad refutandum ſcilicet Cui non competit diffinitio, non competit diffinitum, ex qua plures ſyllogiſmi dialectici conficiuntur, Et ad hunc locum reducitur habitudo diffiniti ad diffinitionem, ex qua etiam poſſunt deduci aliæ duæ ſimiles maximæ propoſitiones. Prima, de quocunque dicitur diffinitum, dici-

tur diffinitio: Secunda, de quocunque negatur diffinitum, negatur diffinitio. Quid autem ſit diffinitio, & quotuplex, & quomodo in illa fiant argumenta dictum eſt à nobis in ſummulis. In ſuper nota ad iſtum locum reduci locum à differentia, nam eo modo quo comparatur diffinitio ad diffinitum, & è contra, cõparatur ẽt differentia cõſtitutiua ad ſpeciem, quam conſtituit, & è contrà, & ideo ex tali habitudine poſsũt deduci duę alię maximę propoſitiones ad confirmandum, & refutandum.

278. Secundus locus eſt à nomine, ſeu ab Etymologia nominis, & iſte reducitur ad primum, nam fundatur in diffinitione, quid nominis. Sumiturque locus iſte ex habitudine nominis ad rem ſignificatam. Ex qua deducuntur duæ maximæ propoſitiones, altera eſt, quod conuenit nomini debet conuenire ſignificato illius, & è contra altera eſt quod repugnat vni, debet, & alteri repugnare. Ex prima ſic formatur ratio dialectica: Phyloſophia eſt amor, ſeu ſtudium ſapientię; ergo Phyloſophus debet eſſe cultor, & amator Sapientiæ. Ex ſecunda ſic arguitur. Phyloſophus eſt verus amator ſapientiæ, ſed amator ſapientiæ non debet eſſe auarus ergo, &c. Et ad iſtum locum reducitur alius qui dicitur à coniugatis, dicunturquè coniungata, quia omnia ſunt ſub eodem genere ſignificationis, eo quod vnum ab altero deriuatur, verbi gratia, iuſtus, iuſtè, iuſtitia, & poteſt ſic argui iuſtitia eſt in rebus laude dignis, ergo id, quod iuſtè factum eſt, laudandum eſt, & ipſe iuſtus laudandus. Maxima deducta eſt, quod conuenit vni ex coniungatis, conuenit alteri, & quod repugnat vni, repugnat alteri. Tertius locus eſt à genere, & eſt habitudo generis ad ſuas ſpecies, ex qua deſumuntur maximæ propoſitiones ſequentes. Prima, quod conuenit vniuerſaliter generi, conuenit vniuerſaliter ſpeciebus, & cui conuenit genus, debet aliqua ſaltem ſpecies conuenire. Secunda, ſublato genere, aufertur ſpecies, & quod vniuerſaliter repugnat generi, repugnat ſpeciebus. Et ad iſtum locum reducitur locus ab ſpecie, ſed quia in ſummulis lib. 2. cap. 16. n. 129. diximus de modo arguendi à ſuperiori ad inferius, & è contra, ideo ſufficiant dicta.

279. Quartus locus eſt à partibus ad totum, & è contra. Qua propter ex habitudine partium ad totum, & totius ad partes, deducuntur iſtę maximæ propoſitiones. Prima, ſublatis partibus, vel aliqua neceſſaria, aufertur totum. Secunda, quæcunque repugnant partibus ſimul ſumptis, repugnant toti. Tertia remoto toto, non remouentur omnes partes, nam poteſt manere fundamentum deſtructa domo.

280. Quintus eſt à cauſis, adquem reducitur locus ab effectibus, & quia multiplex eſt cauſa, eſt multiplex habitudo ad effectum, & conſequenter reſultant multę Maximæ propoſitiones, ſingulæ pro ſingulis generibus cauſarum. Pro cauſa formali ſunt duæ, Prima, ſublata forma tollitur res, cuius eſt forma, & poſita forma, ponitur id, cuius eſt forma. Secunda, cui conuenit forma, conuenit id quod ad ipsam ſequitur, & cui repugnat forma, repugnat id, quod ſequi-

ſequitur ad formam. Et cum proportione reſultant aliæ maximæ ex habitudine effectus formalis ad formam. Pro cauſa materiali ſtatuitur ſeqnens maxima propoſitio ſequuta ex habitudine illius ad effectum, nimirùm, Poſita materia poteſt poni effectus, & ea ſublata, non poteſt poni. Pro cauſa finali, talis maxima propoſitio aſſignatur. Qualis eſt finis, talia ſunt quæ referuntur ad finem. Valet què iſte locus, à cauſa finali, potiſſimùm in rebus moralibus ad perſuadendum bonum, & diſſuadendum malum. Pro cauſa efficienti, cum ſit multiplex, ſcilicet libera, & neceſſaria, principalis, & inſtrumentalis, deducuntur quam plures Maximæ, qnas omitto videndas in Mag. Maſſio vbi ſupra ſect. 1. cap. 9. & ad iſtum locum reducitur, qui dicitur ab antecedentibus, & conſequentibus.

CAPVT 4.

Explicantur loci externi dialectici.

281 LOcus extrinſecus dicitur ille, ex quo aliquid deducitur omninò extrinſecū ad ſubiectum, vel ad prædicatum quæſtionis, vel ad vtrumquè. Et primus eſt à Contrarijs, vel oppoſitis. Et horum ſunt quinque ſpecies, à diſparatis, à relatis, ab aduerſis, à priuantibus, & à contradicentibus. Pro diſparatis deſumitur talis maxima, Diſparata nō poſſunt eidem rei conuenire: Et pro relatis hæc. Relata ſimul ponuntur, & ſimul tolluntur: & pro aduerſis ſit. Contraria ſub eodem genere continentur. Pro priuantibus. Cui conuenit vnum priuatiuum, non poteſt alterum conuenire. Pro contradicentibus deſeruiunt plures aliæ maximæ propoſitiones iam poſitæ, & de contradictorijs multa diximus in ſummulis.

282. Secundus locus extrinſecus eſt à comparatis, & habet quinquè ſpecies, nempe à ſimili, à diſſimili, à maiori, à minori, à pari, ſeu æquiuali. Pro ſimili eſt maxima, quòd verum eſt in vno ſimilium, aut multis, probabile eſt in aliis ſimilibus eſſe verum. In quo fundatur alius modus arguendi, qui dicitur Collatio, & etiam inductio, & exēplum Item ex hoc loco deſumuntur argumenta facta à proportione, quia proportio eſt ſimilitudo rationum. Pro diſſimili ſit maxima, quod verum eſt in vno diſſimilium, probabile eſt in alio eſſe falſum, & quod in vno eſt falſum probabile eſt in alio eſſe verum. Pro alijs locis, nempè à maiori, à minori, ab ęquali nota quod maioritas, vel minoritas deſumitur ex probabilitate maiori, vel minori. A maiori ſumitur argumentum ad Confirmandum, verbi gratia, ſi aliquis pòteſt ferre pondus decem librarum, ergo, & quinque. Itē ſi quis poteſt totam rē publicam gubernare ergo, & ſuam familiam. A minori ſumitur argumentum ad refellendū, verbi gratia, nō poteſt ferre pondus quinque librarum, ergo nec centum: ſi iuſtus uix ſaluabitur ergo nec peccator. A pari, ſeu æquali ducitur argumentum ad vtrumque, quia quod probabile eſt in vno æqualium, probabile eſt in alio, verbi gratia, ſi patriā nō minus colore de-

be-

Digitized by Google

bemus, quam Parentes, ergo qui illá hoſtibus prodit æquè puniendus eſt, ac qui occidit Parentes.

283. Tertius, & vltimus locus extraneus accipitur à teſtimonijs, & cũ ſit duplex teſtimonium, aliud diuinum, & aliud humanum, erit duplex locus, alius à teſtimonio diuino, quod apud fideles eſt illud quod ab eccleſia proponitur, & confert omnimodam certitudinem, & infallibilitatem. Apud veteres autem gentiles erant varia genera teſtimoniorum diuinorum, quæ a nobis, vt omnino falſa, & ſuperſticioſa reijciuntur. Alius locus eſt a teſtimonio humano, quod præcipuè habet firmitatem ex authoritate dicentis. Authoritas autem conſtat ex multis, nempè ex ætate, ex ingenio, ex opibus, ex arte, ex vſu ac etiam ex opinione virtutis. De quibus omnibus non eſt præſentis inſtituti agere. Hæc igitur de locis dialecticis ſufficiant dicta.

CAPVT. 5.

Explicatur quid ſit ſyllogiſmus ſophiſticus, & quis eius finis, & quotuplex.

284 EGit D.Tho. de hoc in ſpeciali Opuſculo, & eſt 31. ex quo aliqua in præſenti deducemus. Proponit igitur quatuor ſpecies diſputationis, quæ ſunt, doctrinalis, ſeu demonſtratiua, Dialectica, tentatiua, & ſophiſtica. De duabus primis iam dictum eſt. Tentatiua autem eſt illa, quæ ordinatur ad experimẽtum ſumendum de aliquo per ea quæ videntur reſpondenti. Sophiſtica autem eſt tendens ad gloriã, vt ſapiẽs eſſe videatur, vnde dicitur ſophiſtica, quaſi apparens ſapientia. Igitur ſyllogiſmus ſophiſticus eſt ille, qui procedit ex his, quę videntur eſſe vera, ſiuè probabilia, & non ſunt. Quapropter ſophiſta aſſumit propoſitiones ſimpliciter falſas, quę videntur veræ, vel arguit in virtute illarum, u g hæc eſt bona argumentatio Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal, nam procedit in uirtute illius propoſitionis; de quocunque prædicatur ſpecies, prædicatur genus. Sophyſta autem ſic arguit. Petrus eſt animal, ergo eſt homo, & procedit in uirtute huius falſę propoſitionis, de quocunq; prædicatur genus, prædicatur ſpecies.

285. Cum autem ſophiſta tendat ad gloriam, ut ad finem, uolens ſapiens uideri, talem finem aſſequi ſtudet per hoc quod habeat apparentem uictoriam de aduerſario, cum quo diſputat, & hoc conſequitur, cum ipſum ad aliquod inconueniẽs ducit; ideoque metũs diſputationis ſophiſticæ eſt aliquod inconueniens, ad quod nititur ſophiſta ducere reſpondentem, & hoc dicitur finis uel trũs. Vnde, ait D.Thom. oportet tractare de duobus, & primò in hoc capite de huiuſmodi metis, ſecundò, in ſequenti capite, de modis argumentandi, quibus ſophiſtæ nituntur ad metas ducere reſpondentem.

286. Quinque ſunt metæ. ſ. redargutio, falſum, inopinabile, ſolæciſmus, & nugatio. Redargutio eſt præne-

Digitized by Google

prænegati conceſſio, uel præconceſſi negatio in eadem diſputatione ui argumentationis falſæ, uerbi gratia, ſi reſpondens negauerit ſe carnes crudas comediſſe, & ſophiſta arguat ſic. Quidquid emiſti comediſti, carnes crudas emiſti, ergo carnes crudas comediſti. Si in uirtute huius argumentationis reſpondens concedat id quod negauit, eſt redargutus, eſt autem neceſſarium vtrumque fieri in eadem diſputatione, vt ſit redargutio. Et talis modus arguendi dicitur elenchus, ſi ſit bonus ſyllogiſmus, ſi autem non ſit bonus, erit apparens elenchus; Elenchus enim eſt ſyllogiſmus contradictionis. Falſum, vt ad præſens attinet, eſt aliquod manifeſtè falſum, quod reſpondens cogitur concedere vi argumenti ſophiſtici. Inopinabile eſt contra opinionem omnium, vel plurium, eſt tamen falſum. Differt autem à falſo, quia omne falſum eſt inopinabile, ſed non è contra. Nam aliquid poteſt eſſe contra communem opinionem, quod tamen falſum non eſt. Solœciſmus eſt vitium in contextu partium orationis contra regulas artis grammaticæ. Nugatio eſt eiuſdem rei ex eadem parte inutilis repetitio, verbi gratia, homo homo currit. Et dicitur ex eadem parte; nam ſi ex diuerſa ponatur, non eſt nugatio, verbi gratia, ſi dicas hic homo eſt homo. Item dicitur inutilis repetitio, nam ſi idem repetatur ad maiorem explicationem, non erit nugatio, vt cum dicitur, Deus Deus meus reſpice in me.

287. Notat aut D. Thomas quod prædicta quinque inconuenientia reſpiciunt diuerſas ſcientias. Nam redargutio eſt contra metaphyſicã, ad quam pertinet hoc principium, Contradictoria non ſunt ſimul vera. Falſum eſt contra ſcientiam naturalem, quæ conſiderat res ſenſibiles, in quibus veritas, aut falſitas eſt manifeſta, vel contra mathematicam, in qua eſt maxima certitudo. Inopinabile eſt contra dialecticam, quę procedit ex probabilibus. Solęciſmus contra grammaticam. Nugatio contra Rethoricam, cuius eſt ornatè loqui. Et ideo dum ſophiſta in ſcientiis ſingulis ducit reſpondentem ad incõueniens, apparet ſciens eſſe circa omnia.

CAPVT 6.

De locis ſophiſticis, qui dicuntur fallacia.

288 VArijs modis argumentãdi vtitur ſophiſta ad conſequendum ſuum finem. Ad cuius intelligentiam nota quòd ſicut argumentatio dialectica habet firmitatem ex loco vero, ita argumentatio ſophiſtica habet apparentem firmitatem ex loco apparenti. Itaque in loco ſophiſtico duo inueniuntur. Aliud quod facit apparentiam, quo mouetur quis, vt aſſentiat argumento ſophiſtico, aliud eſt principium deffectus. Et ex his duobus fallitur homo, quia ſcilicet apparet aliquid, & non eſt. Vnde locus ſophiſticus dicitur communiter fallacia, quia eſt cauſa fallendi, quãtũ eſt ex ſe. Quapropter ſicut loci dialectici diſtinguũtur pænes diuerſas habitudines, ex quibus cauſatur firmi-

firmitas argumenti,ita loci ſophiſtici,ſeu fallaciæ diſtinguuntur pænes principia motiua,ex quibus apparet eſſe firmitas ia argumentis ſophiſticis.

289. Ad diſtinctionem autem fallaciarum intelligendam notandũ eſt,quod talis apparentia poteſt ex duobus prouenire. Vno quidem modo,ex parte uocis, quando propter unitatem uocis,creditur eſſe unitatem rei ſignificatę per uocem. Alio modo,ex parte rei,ex eo quod aliquę res,quę aliquomodo conueniũt, uideantur eſſe ſimpliciter unum. Igitur fallacię,alię ſunt in dictione,nẽpè quando principium apparentiæ eſt ex parte uocis;alię uerò ſunt ex tradictionem,quando.ſ.eſt ex parte rei. Fallacię in dictione ſunt ſex.ſ. æquiuocatio,amphibologia, accentus,compoſitio,diuiſio, & figura dictionis.

190. Fallacia ęquiuocationis eſt deceptio prouenic̃s ex eo quòd unũ nomen plura ſignificat. Cauſa fallendi, ſeu apparentię eſt unitas dictionis.Et principium non exiſtẽtiæ eſt diuerſitas rei ſignificatę. Et poteſt contingere tripliciter, primò quando una uox principaliter plura ſignificat, & hoc ſiuè ſumatur, ut medium,ſiuè ut extremitas ſyllogiſmi,u g. ſi ſumatur canis, Secundò quando ſignificat unum principaliter,& aliud metaphoricè, ſiuè per translationem.Tertio,ex diuerſa cõ ſignificatione,quæ attenditur ſecũdùm accidentia partium orationis, v.g. ſecundum tempus, numerum, genus,perſonam,& ſimilia.

291. Fallacia Amphibologiæ prouenit ex eo qđ vna oratio penitus plura ſignificet. Et ex hoc prouenit apparẽtia.Et principium deffectus eſt diuerſitas ſignificationis. Etenim ſicut æqui uocatio prouenit ex voce plura ſignificante, ita amphibologia ex vna oratione plura ſignificante. Et põt diſtingui triplex modus amphibologiæ cum proportione ad tres modos æquiuocationis.

192. Fallacia compoſitionis & diuiſionis prouenit ex eo qđ orati o ſit virtualiter multiplex, nàm eadẽ propoſitio poteſt intelligi in ſenſu compoſito,& in ſenſu diuiſo ex eo quod partes diuerſimodè componantur, vt dicebamus in ſumm.lib. 3.de Modalibns, c. 6. ſi autem in ſenſu compoſito eſt falſa, dicitur fallacia compoſitionis,& ſi in ſenſu diuiſo eſt falſa, dicitur fallacia diuiſionis. Cauſa apparentię eſt vnitas potentialis orationis plura ſignificantis, cauſa vero deffectus eſt diuerſitas,ſecundùm quod intelligitur compoſita, vel diuiſa.

293. Fallacia accentus prouẽnit ex eo quòd aliqua dictio diuerſimodè pronunciata, ſignãt diuerſa. Cauſa apparentiæ eſt vnitas materialis dictionis,& cauſa non exiſtentiæ eſt diuerſitas ſignificationis. Fallacia figuræ dictionis prouenit ex ſimilitudine vnius dictionis ad alteram. Cauſa apparentiæ eſt ſimilitudo dictionum,& cauſa deffectus eſt diuerſus modus ſignificandi. Quæ omnes fallaciæ reducuntur ad primum deffectum ſyllogiſmi à nobis aſsignatum in ſumm. lib. 5.ca.4. nempè ad æquiuocationẽ medii, vel extremitatis.

294. Inſuper fallacię extra dictionem,quæ proueniũt ex eo quod res ipſæ,quæ aliquomodo conueniunt,vel differunt,accipiuntur,vt eædem ſimpliciter, vel diuerſæ, ſunt ſeptem Prima eſt ſecundum accidens, quæ dicitur fallacia accidentis,

tis, vt quando id quod eſt verum de ſubiecto, concluditur de accidenti, & è contra. Cauſa aparentię eſt vnitas ſubiecti cum accidenti, & cauſa non exiſtentiæ eſt diuerſitas eorundem. Hæc autem fallacia reducitur ad variationē appellationis, de quo diximus in ſummulis lib. 5. cap 4.

295. Secunda fallacia eſt ſecundum quid, & ſimpliciter. Quando ex dicto ſecundum quid, infertur dictum ſimpliciter cauſa apparentiæ eſt conuenientia dicti ſecundū quid cum dicto ſimpliciter, & cauſa non exiſtentiæ eſt diuerſitas vtriuſque. Tertia fallacia eſt ſecundùm ignorantiam elenchi, & cum elenchus ſit ſyllogiſmus contradictionis, prędicta fallacia eſt quando duo, quæ videntur contradictoria, nō ſunt. Cauſa apparentię eſt ſimilitudo apparēs contradictionis, & cauſa deffectus eſt diuerſitas. Quarta fallacia eſt petitio principii, prouenit ex eo quod aliquis petit ſibi concedi qood probandum erat, quod ſi ſub eodem nomine petat, nulla fit fallacia, ſed petens videbitur deridendus, quando vero petit ſub alio vocabulo, tunc eſt fallacia. Igitur petitio principij eſt deceptio proueniens ex eo quod idem aſſumitur ad probationem ſui ipſius ſub alio vocabulo, vt ſi petatur diffinitio ad probandum aliquid de diffinito, vel è conuerſo. Quinta fallacia eſt conſequentis, & deceptio prouenit ex eo quod conſequens æſtimatur eſſe idem cum antecedenti omnino. Ex hoc.n. contingit aliquem credere quod ſi conſequens ſequitur ad antecedens, ita antecedens ſequatur ad conſequens. Et ideo debent eſſe duæ conſequentię, prima inqua inferatur verum, & in ſecunda falſum, v.g. ſi aliquis currit mouetur, ſed ſortes mouetur, ergo currit, in propoſitioue conditionali eſt veritas, & in conſequentia ſecunda infertur falſum. Sexta fallacia eſt ſecundum cauſam, & non cauſam, & prouenit deceptio ex eo quod aſſumitur, vt cauſa, ſeu vt medium, id quod non eſt cauſa, videtur tamen cauſa. Septima fallacia eſt ſecundum plures interrogationes, vt vnam, & prouenit deceptio ex eo quod vnica oratione plura interrogantur, quæ diuerſam petunt reſponſionem, & cum vnica reſponſione non poſsit ſatisfieri, diſtingui debet propoſitio. Et hæc ſufficiant de iſto libro, & de tota hac explicatione logicæ. Vtinam cedat in gloriam, & laudem Dei.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONFERENTIAE

Communes Logicæ in quibus grauiores difficultates diſputantur.

TRACTATVS PRIMVS.

PROEMIALIS.

296 QVINQVE DISCVTIENDA ſunt in hoc tractatu Proęmiali, vt natura, & quidditas Logicæ, plenè cognoſcatur. Primum eſt circa eius neceſſitatem in ordine ad adquirendas alias ſcientias. Secundum eſt de eius obiecto formali, & ſpecialiter quomodo ens rationis dirigat operationes noſtri intellectus. Tertium eſt de prædicatis eſſentialibus logicæ, an inter illa numeretur ratio ſcientiæ ſimpliciter. Quartum circa diuiſionem Logicæ in docentem, & vtentem, vbi vtriuſque natura explicabitur. Quintum eſt an Logica ſit ſpeculatiua, vel practica. Et quidem diſputans primum videor actum agere, cum de neceſſitate Logicę latiſſimè egerim in ſummulis tract. 1 Confer. 1. Moueor tamen ad eiuſdem repetitionem, eo quòd mihi obijciunt non attigiſſe punctum difficultatis, & abuſum fuiſſe terminis, quapropter cogor ad demonſtrandum vtrumque eſſe falſum, & reſpondendum quibuſdam obiectionibus contra doctrinam ibidem traditam. Secundum iterum ago, non vt repetam aliquid ex dictis in tract. 1. ſumm. conf. 2 Sed vt magis explicem modum illum, quo ibi dixi operationem intellectus ditigi ab ente rationis, vt à regula extrinſeca.

Digitized by Google

CONFERENTIA I.

An logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad adquirendas alias ſciẽtias.

§. I.

Duo notabilia explicantur, & defenduntur.

297 VT melius perciperetur ſtatus præſentis difficultatis, ſuppoſui in dicto tract. 1. Conf. 1. quòd logica eſt duplex, alia naturalis, nẽpè ipſe intellectus cũ habitu principiorum, & artificialis alia, quæ eſt ars ipſa, ſeu habitus labore, & induſtria acquiſitus. Et in præſenti non fieri ſermonẽ de logica naturali notaui, nam de hac nullus dubitat eſſe neceſſariã ad adquirẽdas alias ſcientias. Hanc diſtinctionem logicæ, & modũ loquendi, iuxta quem intellectus cum habitu principiorum vocatur logica naturalis, reijcit M Soto in logica, quæſt. 1. proœmiali. §. circa, vbi ait hoc eſſe pro libito abuti terminis. Nã inclinatio naturalis, ſicut ſimpliciter nõ eſt ſcientia, ita neque ſimpliciter eſt logica, & ſicut non habet nomẽ ſcientiæ, ita nec nomen logicæ, ſed dicitur intellectus, qui eſt inchoatio ſcientiarũ. Idẽ docuit. P. Rubio in logica magna quæſt. 1. proœmiali n. 2. vbi ait quòd, ſi propriè loquendũ eſt, nõ dialectica, ſeu logica, ſed initiũ illius appellãdus eſt intellectus, ideo. què docet diſtinctionẽ præfatã logicæ relegandã eſſe. Hos ſequitur M. Ioa. a S. Thom. in logica quæſt. 1. art. 1. §. ſi reſpondeas. Vbi ſic ait. Vocare logicã id, quod nõ eſt ars, ſeu habitus logicę, ſed habitus principiorũ eius, magna eſt abuſio, ſicut principia rei naturalis, vt forma, & materia non vocãtur ipſũ cõpoſitũ, ac ſi diceret cũ M. Soto, & P. Rubio, intellectus cũ habitu principiorũ eſt inchoatio, initiũ, ſeu principiũ logicæ; ergo magna abuſio ẽ vocare illũ noĩe logicæ

298. Nõ me latuit hæc difficultas quãdo prædictã diſtinctionẽ appoſui, & nominaui intellectũ cũ habitu principiorũ nomine logicæ, eã tamẽ nõ magni feci ſequẽs Collegiũ Cõplutenſe in logicã diſp. 1. quæſt. 1. n. 2. vbi ait eſſe difficultatẽ de modo loquẽdi, vtrum ſ. iſtud initiũ logicæ debeat appellari logica naturalis, & quòd, licet P. Rubio pluris faciat modũ loquendi, in hoc tamẽ immorãdũ non ſit, eo, quòd ſic loquitur Ariſtoteles, ſicque cõmuniter loquũtur doctores, & cũ pluribus loquendũ eſt Et ſanè hũc eſſe cõmunẽ modũ loquẽdi cõſtat clarè ex doctoribus tàm antiquis, quàm modernis in initio logicæ. Iuxta quẽ M. Ioann. à Sancto Thoma in principio huius difficultatis in prima editione ſic ait. Primo enim loquimur de arte logicæ, ideſt, de logica artificiali, nõ de naturali, naturalis enim nõ eſt aliud, quã ipſũ lumẽ naturale vtens diſcurſu. Ecce quomodo vocat lumẽ naturale nomine logicæ naturalis. Itẽ in ſecũdã editione eiuſdem quæſtionis in initio ait, quod lumen naturale, quod dicitur logica naturalis, nõ eſt pura potẽtia intellectus, ſed etiã intellectus cũ habitu principiorũ. Et quidem ſi ita loquitur Præfatus Magiſt. neſcio quo pacto dicat eſſe magnã abuſionem terminorum vocare nomine logicæ, id quod eſt prin

cipium

Digitized by Google

cipium logicæ.

299. Rurſus notaui vbi ſupra quòd logica eſt duplex altera præceptiua, ad quam pertinet tradere præcepta, & principia logicæ, & altera ſciētia, cuius munus eſt ex principiis propriis traditis inferre concluſiones demonſtrando aliquas veritates mediatas. Ad cuius intelligentiam aduerte quòd non eſt neceſſe diſtinguere tot habitus principiorũ, quot ſunt habitus ſcientiarum, ita vt vnus requiratur ad attingenda principia Phyloſophiæ, & alter diſtinctus ad attingenda principia logicæ, & ſic de alijs ſcientijs, ſed vnus, & idem realiter, & formaliter ſufficit ad percipienda omnia principia tam communia, & generalia, quam propria vniuscuiuſque ſcientiæ. Et quãuis habitus ipſe ex ſe ſit ſufficiens ad præbendum aſſenſum cuilibet principio, tamen indiget ſpeciebus impreſſis, medijs quibus illum eliciat. Qua propter ipſe habitus, cõnotãs ſpecies principiorum, quæ ad Philoſophiam pertinēt, poteſt dici Phyloſophia præceptiua, ideſt, proximè inclinans ad præcepta, & principia Phyloſophiæ cognoſcenda, & eodē pacto idémet habitus, vt connotans ſpecies principiorum logicæ, dicitur logica præceptiua, ideſt, inclinãs proximè ad attingēda principia, ſeu præcepta logicæ. Vbi nota quod principia Phyloſophiæ, quæ eſt ſciētia purè ſpeculatiua, non ita propriè vocantur præcepta, ſicut principia logicæ quæ aliquo modo eſt practica, & habet ſimilitudinem cum artibus, in quibus propriè inueniuntur præcepta. In quo modo loquendi, & vocandi logicam præceptiuam ipſum habitum principiorum, nulla videtur abuſio, vt exiſtimat Magiſt. Ioa. à Sancto Thoma, eo quòd eſt principium logicæ: quamuis enim ſit principium logicæ, quæ eſt habitus ſcientificus, tamen eſt proximè inclinans per modũ habitus ad præbendum aſſenſum prędictis principiis, ſeu pręceptis logicalibus, & hoc ſufficit, vt verè dicatur logica cum addito, nempè præceptiua: ſed vt quid in modo loquendi ita communi, & vſitato immoramur? ad rem ipſam deueniamus.

§. 2.

Proponuntur ſententiæ, & explicatur ſtatus controuerſiæ inter Doctores.

300 HIS ſuppoſitis, certum eſt apud omnes intellectum adiutum lumine principiorum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad adquirendam quamlibet ſcientiam, imò ad eliciendum quemlibet diſcurſum. Reſtat vero difficultas in duobus: Primum eſt an ſufficiant intellectus ſolo habitu principiorum adiutus, vel vltra requiratur, ſibi adiunctas habere ſpecies impreſſas deſeruientes ad cognoſcenda principia logicæ; ita vt ſit in proxima diſpoſitione ad illa attingenda. Etenim licet habitus principiorum, quantùm ad ipſam habilitatem, quæ ſe tenet ex parte potentię, dimanet connaturaliter, & non ſit adquiſitus; tamen quantum ad ſpecies, quæ ſe tenent ex parte obiecti, dicitur, & eſt adquiſitus, vt conſtans eſt doctrina Thomiſtarum in Poſterioribus. Quapropter fieri poteſt, & de facto ſic contingit, vt ſit intellectus cum habitu principiorum, & nullatenus habeat aliquam ſpeciem ali-

Digitized by Google

alicuius principij logicalis, quod ſi illam non adquirat, non poterit habitus principiorum tali principio logicali aſſentire, non ex deffectu ſui, ſed ſpeciei neceſſariò requiſitæ. Tunc de iſto intellectu poteſt dubitari an ſit ſufficiens ad præbendum aſſenſum ſcientiſicum alicui concluſioni alterius ſcientiæ.

301. Circa quod eſt triplex ſententia, altera docens intellectum cuiuslibet, quantùm vis Ruſtici, & tardi ingenii ſufficere, ſolo habitu principiorum adiutum, ad præbendum aſſenſum ſcientificum aliquibus veritatibus demonſtratis, maximè illis, quæ proximæ ſunt primis principijs naturali lumine notis. Ita docuerunt omnes illi Thomiſtæ, qui defendunt logicam non eſſe neceſſariam ad adquirendas ſcientias in ſtatu imperfecto, quoad vnam, vel alteram concluſionem, ad hoc enim exiſtimarunt ſufficere habitũ principiorum ſolum, nulla facta mentione ſpecierum quibus cognoſcuntur ipſa principia. Secunda ſententia aſſerit ad omnem aſſenſum concluſionis, quæcunque illa ſit, & ad adquirendas ſcientias etiam in ſtatu perfecto ſufficere intellectum ſolo habitu principiorum Hanc docuit M. Iauellus vir eruditiſſimus, & doctiſſimus ex noſtra religione tract. 1. logicæ cap. 4. fundatur in eo quòd multi ex antiquis Phyloſophis ante Ariſtotelem habuerunt ſcientiam verè, & propriè, & tamen non cognouerunt præcepta, vel documenta logicæ, cum eſſent tunc illis ignota. Et multi homines Ruſtici, & idiotę conficiunt plures demonſtrationes, aſſentiuntur certò, & euidenter veritatibus demonſtratis, qui pęnitùs principia, & pręcepta logicę ignorant, cum ad eorum notitiam nec nomen quidem diffinitionis, diuiſionis, aut demonſtrationis peruenerit. Hanc ſententiam defendunt aliqui, & doctiſſimi ex noſtra familia, quos audiui, & quorum ſcripta legi: aſſerentes ſufficere quòd intellectus in ipſo exercitio vtatur principijs, & præceptis logicæ, vt facit quilibet, quantumuis ruſticus, & idiota, etiam ſi in actu ſignato non cognoſcat talia principia, Et idem aſſerit nouiſſimè P. Arriaga in ſuo curſu artium diſp. 3. logicę ſect. 1. tractans neceſſitatem logicæ: Tertia ſententia aſſerit ad adquirendam aliquam ſcientiam, pręter intellectum, & habitum principiorum, neceſſarium eſſe habere ſpecies principiorum, ſeu præceptorum logicæ, ita vt in actu ſignato præcognoſcat quid eſt diffinitio, quid diuiſio, quid demonſtratio, &c. Ita docui in ſummulis exiſtimans hanc eſſe mentem Thomiſtarum in hac parte.

302. Ex quo infertur non ſolum eſſe controuerſiam an logica; quæ eſt ſcientia, ſeu habitus artis requiratur. Nam quamuis certum ſit, & de quo nullus dubitat, quòd requiratur intellectus cum habitu principiorum, tamen reſtat cõtrouerſia an iſte ſolus ſufficiat, vel vltra requiratur cognitio in actu ſignato principiorum logicæ, quæ habetur mediis ſpeciebus, & quæ pręſupponitur ante habitum logicæ, quæ eſt ars., & ſcientia. In qua parte, vt conſtat, eſt diuerſitas ſententiarum. Quod dixerim propter Mag. Ioann. a S. Thoma, qui aſſerit ſolum eſſe controuerſiã de logica, quę eſt ſcientia, ſeu habitus artis,

303. Secundum, in quo verſatur præſens difficultas, eſt, an præter intellectum, habitum princi-

pioruш,

piorum, & ſpecies modo dicto, vltrà requiratur logica ipſa, quæ eſt eſſentialiter habitus ſcientificus inclinans intellectum ad demõſtrationem alicuius veritatis. In quo triplex verſatur ſententia. Prima aſſerit logicam, quæ eſt habitus ſcientificus, eſſe ſimpliciter neceſſariam ad adquirendam ſcientiam, etiam in ſtatu imperfecto. Exiſtimant enim intellectum nulli concluſioni poſſe certò, & infallibiliter aſſentiri, niſi priùs habeat in ſe habitum ſcientificum logicæ. Ita docuerunt Magiſt. Nauarrete, & Mag. Arauio, quos refert, & ſequitur Gallego in logica controu. 1 aſſerens hanc ſententiam defendere, quamuis oppoſita ſit communior, quia eſt magis ingenioſa, & acuta. Et eandem defendunt plures ex noſtratibus. Secunda ſententia docet habitum ſcientificum logicæ requiri ad ſcientiam adquirendam in ſtatu perfecto, non verò in ſtatu imperfecto, quo ad vnam, vel alteram demonſtrationẽ. Ita multi Thomiſtæ, & alij, quos refert, & ſequitur Collegium Complutenſe, & M. Ioa. à S. Thoma vbi ſupra. Tertia ſententia docet habitum ipſum ſcientificum logicæ non requiri, ſed ſufficere intellectum cum habitu principiorum, & ſpeciebus, quibus cognoſcat ipſa principia, & præcepta logicalia ad adquirendam quanlibet ſcientiam, ſiue in ſtatu imperfecto, ſiuè perfecto. Hanc ſententiam defendi in ſũmulis, quam audiui, & didici à ſapientiſſimis Mag. & in illam maiori conatu nunc inclinor, cum viderim eam, vt facilem, & intelligibilem, & menti Thomiſtarum conformem, communiter defendi in noſtra religione. Ad cuius maiorem firmitate m addam aliqua in ſequentibus.

§. 3.

Impugnantur ſententia docens habitum logicæ eſſe neceſſarium ad quẽlibet aſſenſum ſcientificũ.

304 RElinquo ſententiam aſſerẽtem ſufficere intellectum cum ſolo lumine pricipiorum, etiam ſi non habeat ſpecies, quibus in actu ſignato cognoſcat principia logicalia, quia ex dictis in ſummulis ſufficienter impugnata eſt, & pergo ad impugnandum ſententiam illam extremam aſtruentem neceſſitatem ipſius habitus ſcientifici logicæ ad quemliaſſenſum ſcientificum. Et præcipuũ fundamentum huius neceſſitatis cõſurgit ex eo quòd neceſſarium eſt cognoſcere bonitatem conſequentiæ, vt aſſentiatur quis alicui veritati demonſtratæ, quam bonitatem non poteſt cognoſcere, niſi demonſtratione facta in logica. Quapropter conabor euertere hoc fundamentum eiſdem rationibus, quibus vſus fui in ſummulis ſola maiori explicatione addita.

305. Et, vt prima ratio à nobis poſita in ſummulis plenè intelligatur, & ne ignorantia terminorum aliqui hallucinentur; notanda eſt doctrina P. Suarez in Metaph. tom. 1. diſp 8 ſect. 7. n. 2. vbi ait, quòd denominatio auri veri, verbi gratia poteſt eſſe, aut intelligi dupliciter Primò ita vt ſit abſoluta, & intrinſeca,

Digitized by Google

ſeca,& hoc modo nihil poteſt addere tali enti, ſed ſolùm magis explicare entitatem, & realitatem eius, quia hoc modo eſſe verum aurum nihil aliud eſt, quàm non eſſe tantum apparens, vel fictum, ſed habens propriam,& realem naturam auri, hoc autem nihil aliud eſt quàm eſſe aurum. Et eadem ratione in vniuerſum eſſe verum ens reale, nullum alium conceptum dicit, quàm eſse reale, id eſt, non fictum neque chymericum. Et in hoc ſenſu loquens. D. Auguſt. lib. 2 ſoliloq. cap. 5. ait. Verum eſse id quod eſt, non autem id quod videtur, aut quod tale eſt, quale videtur: quia etiam ſi res non videatur, neque conformitatem habeat cum aliqua cognitione, nihilominus vera eſt. Ecce quomodo D. Auguſtinus inuenit denominationem, veri, ante omnem conformitatem. Idem docuit ſapientiſſimus. Mag. Soncinas in Metaph. lib 6. quæſt. 18. in corp. vbi ait. Cum enim dicitur quòd illud eſt verum aurum, ſenſus eſt, quòd habet naturam auri. Secundo poteſt ſumi illa denominatio veri, ita vt ſit aliquomodo extrinſeca, ſaltim quòd explicetur per aliquid extrinſecum, & hoc modo verum addit ſupra talem entitatem, conformitatem aliquam iuxta varios modos explicandi talem conformitatem, de quo videatur P. Suarez ibidem. Eadem diſtinctione, cũ proportione, vtitur Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma elegantiſſimè explicans naturam,& quidditatem bonitatis tranſcendentalis. 1. part. q. 5. arti. 1. diſp. 6. §. Et ex hoc, vbi docet quòd denominatio boni poteſt eſse intrinſeca,& abſoluta, & hoc modo nihil addit ſupra eſſentiam ſubſtantialiter perfectam, & poteſt eſse quaſi extrinſeca per ordinem, ſcilicet, ad appetitum, ad quem cõparatur per modum finis, & hoc modo aliquid addere. Cuius doctrina ibi latè explicata poteſt videri, nam multum conducit ad præſens intentum.

306. Igitur in præſenti Bonitas conſequentiæ poteſt accipi dupliciter, vel vt propriùs loquamur, hæc denominatio, bonæ conſequentiæ, poteſt intelligi dupliciter. Primò ita vt ſit intrinſeca,& abſoluta, ſicut dicebamus de auro vero,& tunc idem eſt, conſequentia bona, quòd conſequentia non apparens, ſeù ficta, ſed habens propriam eſsentiam conſequentiæ Secundò poteſt accipi, ita vt talis denominatio ſit aliquomodo extrinſeca, & tũc dicitur conſequentia bona, ideſt, conformis regulis traditis ab arte pro conſeſequentia bona, ideſt, conformis regulis traditis ab arte pro conſequentia formanda Iuxta quam doctrinã loquens in ſummulis de cõſequẽtia bona dicebam non diſtingui in conſequẽtia, eſse cõam,& bonã, vt eſse hominem, & verum hominem, ideſt non pictum, seu nòn apparentem, non diſtinguitur etiam per noſtros conceptus,& conſequenter inferebam quòd idẽ lumen attingens abſquè demonſtratione quidditatem conſequentiæ, attingebat bonitatem illius, etiam abſquè demonſtratione.

307. Quo ſuppoſito ſic formatur prima ratio. Denominatio bonæ conſequentiæ, dupliciter poteſt intelligi, primò intrinſecè, & abſolute, ita vt idem ſit bona conſequentia, quod conſequentia non apparens, vel ficta; ſecundò ita vt ſit idem conſequentia bona, quod habens conformitatem cum regulis traditis ab arte. At neutro modo eſt de-

demonſtrabilis in logica, ergo fundamentnm contrarium corruit. Maior ſupponitur ex dictis. Et mi: quo ad primam partem probatur ex eiſdem. Nam denominatio, bonæ, intrinſeca, & abſoluta nullum conceptum addit ſupra eſsentiam conſequentiæ, ſed tantum illam magis explicat, & bona conſequent a dicitur illa, quæ habet propriam naturam conſequentię, vt dicebamus de denominatione auri veri, ſed quidditas, & eſsentia conſequentię demonſtrabilis non eſt in logica, ſed manifeſtatur per illius diffinitionem eſſentialem, cui aſsentitur lumen naturale, ſeu habitus principiorum, explicatis terminis. ergo bonitas tali modo accepta demonſtrab lis nō eſt, ſed potius cognita eſsētia, & quidditate cōſequētiæ certò, & euidenter, cognoſcetur certò bonitas, cum ſit omninò idem conceptus eſſentialis conſequentiæ, & bonę conſequentię.

308. Eadem minor, quo ad ſecundam partem, ſic probatur. Nam omnes diffinitiones, omnia præcepta, & regulæ traditæ à logica cognoſcuntur ſolo lumine principiornm abſque aliqua demonſtratione, ergo eodem lumine, nulla interueniente demonſtratione, poteſt attingi conformitas cuiuſcunquè artifficij cum regulis traditis à logica. Antecedēs probatur. Nam omnes diffinitiones continent veritates immediatas, & indemonſtrabiles & quæ attinguntur ab intellectu, ſola explicatione terminorum, & rurſus omnia præcepta, & regulę logicę ad diffinitiones reducuntur. Quod conſtabit inductiuè diſcurrendo per præcepta, & regulas traditas in libris priorum, in quibus prius diffinitur quid ſit ſyllogiſmus, quid forma ſollogiſtica, quid figura, quid modus, quid debita prędicatio, & ſubiectio, quid debita qualitas, & quantitas terminorum, & ſic de multis alijs. Item in libris poſteriorum diffinitur quid ſit demonſtratio, quid propoſitio vera, prima, immediata, prior, notitior, & cauſa concluſionis, id eſt, quid ſit propoſitio indemonſtrabilis ex qua conſtat demonſtratio, & quid ſit propoſitio mediata; & demonſtrabilis, quid ſit prædicatum per ſe, & quot modis contingat eſſe per ſe, & quid ſit vnuſquiſque; quid ſit prædicatum vniuerſale, quid prædicatum de omni, quid ſit ſcientia, & multa alia pręcepta, quæ omnia continentur in diffinitionibus, & idem modus ſeruatur in alijs libris pertinentibus ad logicam ergo lumine naturali abſq; aliqna demonſtratione aſsentitur intellectus prædictis omnibus pręceptis, & regulis, ſicut aſsentitur omni diffinitioni continenti veritatem immediatam.

309. Et conſequentia prima probatur. Nam cognoſcere aliquod artificium eſse conforme regulis artis, nihil aliud eſt, quam cognoſcerę quòd in illo ſunt exercitæ, & obſeruatæ prædictæ regulæ, idem enim eſt eſse conforme regulis, & regulas fuiſse exercitas in illius formatione, & conſequenter idem eſt artificium logicum eſse conforme regulis logicæ, & in illius formatione tales regulas fuiſse applicatas, & exercitas: ergo, ſi lumen naturale, abſquè demonſtratione, certò, & euidenter cognoſcit omnes prædictas regulas, cogn ſcit etiam talē artificium logicu n eſse conforme illis: antecedēs e t certum. Et conſequentia probatur. Nam idem lumen attingens certò, & infallibiliter

O quid-

quidditatem, & eſſentiam alicuius formæ, cognoſcit etiam certò, & infallibiliter illam applicatam cuilibet materiæ, ſeu indiuiduo, v.g. intellectus ſolo lumine naturali attingit quod homo eſt animal rationale, & quod Petrus eſt animal rationale, & Paulus eſt animal rationale, & ideo docuit Mag. Ioa. a Sancto Thoma in logica quæſt. 25. artic. 4. §. ad 4. quod non eſt demonſtratio quando arguitur ab vniuerſali ad ſingulare, v.g. hæc non eſt demonſtratio, omnis homo eſt riſibilis Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis, ſed eſt maior explicatio terminorum, ergo ſi intellectus ſolo lumine naturali, certò, & euidenter cognoſcit præcepta omnia, & regulas, & quidditatem cuiuſcunquè artificij logici, cognoſcet etiam certò, & euidenter idem applicatum cuilibet materiæ, ſeu indiuiduo, & regulas ipſas in illo eſſe exercitas, ſeu applicatas, & cum hoc ſit formaliſſimè conformitas cum regulis, cognoſcet etiam certò, & infallibiliter prædictam conformitatem, nulla interueniente demonſtratione. Fauet huic rationi doctrina Mag. Soto lib. 2. Poſter. cap. 6. textu. 5. Vbi ſic ait. Si quis neget conſequentiam aliquam eſſe in Barbara, debet illud probari per diffinitionem ſyllogiſmi de barbara, quam quis debet habere in mente ſine demonſtratione. Et eodem modo ſi quis negaret, animal rationale, eſſe diffinitionem hominis, probandum eſſet: quia conſtat ex genere, & differentia. Quæ verumtamen probatio non eſt demonſtratio, ſed eſt examinatio, an illa ſit diffinitio, per regulam, & legem diffinitionis. Hæc Mag. Soto. In quibus vim totam noſtræ rationis elegantiſsimè propoſuit.

310. Confirmatur, & explicatur hoc. 1. Nam Porphyrius in libro prędicabilium intendens tradere doctrinam neceſſariam prædicabilium, ſolum modo tradidit pręcepta requiſita. Conſtat hoc ex dictis à nobis in explicatione logicæ lib. 2. prædicabilium cap. 1. vbi ex doctrina Magiſt. Soto conſtat modum procedendi, quem Porphyrius promittit ſeruare, eſſe introductionis modum, videlicet ſimpliciter præcipiendo, ideſt tradendo pręcepta neceſſaria: ergo cognitio horum praeceptorum erit ſufficiens ad vſum praedicabilium, & ad conſtituenda prædicamenta, & ad conſtituendas diffinitiones: pr. conſeq. quia in illo libro intendit Porphyrius tradere quæ ad prædicta munia neceſſaria ſunt, vt ex doctrina illius conſtat: ſed tantum tradidit pręcepta, & non demonſtrat aliquid, cum ſimpliciter præcipiendo procedat; ergo ſentit ſola præcepta eſſe neceſſaria, vt intellectus cognoſcat conformitatem prædicabilium cum præceptis.

Idem colligitur ex modo procedendi, quem ſeruauit Ariſtoteles in libris Poſteriorum Nam, vt dicebamus ſuprà in explicatione logicæ in Proęmio libri Poſteriorum notabili. 3. ex Magiſt. Soto, in illis libris procedit Ariſtoteles modo pręceptiuo, ideſt, ſimpliciter tradendo præcepta. Procedit diffiniendo quid ſit demonſtratio, & oſtendendo pręcepta. Procedit .n. diffiniendo quid ſit demonſtratio, & oſtendendo ex quibus principijs conſtet, quoſquè effectus habeat per comparationem ad alios modos ſciendi. Ita loquitur Mag. Soto. Et quis credet Ariſtotelem non tradidiſse ea, quæ neceſsaria

neceſſaria ſunt, & ſufficiunt vt aliæ ſcientiæ adquirantur? Si igitur tradidit neceſſaria, & ſolum tradit præcepta, hæc abſque dubio ſufficient.

311. Confirmatur, & explicatur hoc idem intentum. 2. Nam in alijs artificijs, & inſtrumentis logicis, non demonſtratur à logica prædicta conformitas cum regulis, ſed tantùm explicatur per vnius cuiuſq; diffinitionem. v. g. logicus non demonſtrat quod propoſitio eſt conformis regulis traditis, quod termini, ex quibus componitur, ſunt conformes regulis, & in poſterioribus non demonſtratur quod propoſitiones immeditæ, primæ, & cauſæ concluſionis ſunt conformes regulis traditis, & nihilominus cognoſcitur certiſſimè cõformitas prædicta; ergo idem dicendum eſt de ipſa demonſtratione. Et quidem innumeræ demõſtrationes eſſent requiſitæ, vt demonſtraretur prædicta cõformitas, nam vt cognoſcatur quòd demonſtratio eſt conformis regulis, neceſſum eſt, cognoſcere quod termini, & propoſitiones ex quibus conſtat, & cætera omnia inſtrumẽta logica, quæ deſeruiunt demonſtrationi, sũt conformia regulis, & hoc etiam nõ poterat cognoſci niſi demõſtratiuè, & ad vnam quamq; conformitatem demonſtrandam erat neceſſaria ſua peculiaris demonſtratio. Quis hoc credet? Er tandem tunc ſequeretur quòd non eſset prima demonſtrãtio logicæ, illa, qua demonſtratur bonitas conſequentiæ, nam hæc pendet à bonitate propoſitionum, ex quibus conſtat, & hæc non poteſt cognoſci niſi demonſtratiuè, quòd ſi hæc bonitas aliorum inſtrumentorum ſine demonſtratione cognoſcitur, quare etiam id non erit dicendum de bonitate demonſtrationis?

312. Concludo igitur, & hoc valde notetur, nam etiam ſi ſine logica fiant plures diſcurſus, quibus probentur plures regulæ per alias ſuperiores, & notiores, tamen prædicti diſcurſus ſunt magis explicatiui regularum ſuperiorum, quàm demonſtratiui, nam, vt conſtat ex doctrina tradita in Poſterioribus, nulla eſt verè, & proprie demonſtratio propter quid, niſi in illa probetur de aliquo ſubiecto aliqua propria paſſio per aliquod mediũ, quod ſit cauſa, vel ratio formalis conuenientiæ paſſionis cum ſubiecto. Et id circo, niſi à contrarijs aſſignetur aliqua demonſtratio huiuſmodi facta in logica, ſine qua aliæ ſcientiæ adquiri non poſsunt, non probant ſuum intentum contra nos.

313. In ſecunda ratione principali, qua in ſummulis probaui bonitatem conſequentiæ non eſſe demonſtrabilem in logica, gratis admiſi bonitatem eſſe paſſionem, & primam: Et tunc iuxta ſententiam probabilem aliquorum exiſtimantium primam paſſionem non eſſe demonſtrabilem neq; ſecundum ſe, neque quoad nos, ſed cognóſci lumine naturali, ſicut quælibet alia veritas indemonſtrabilis, quam ſententiam expreſſe defendit Magiſt. Sanchez, probaui bonitatem non esse demonſtrabilẽ de conſequentia, cũ eſſet prima illius paſſio; ſed cognoſci lumine naturali. Contra quam rationem poſsunt opponi illa argumenta, quæ militant contra ſententiam, quam ſupponit. De quibus nos dicemus in vltimo tractatu de Poſterioribus, vbi late tractabimus an prima paſſio ſit demonſtrabilis, ſaltim quoad nos, de ſuo ſubiecto immediato. Et id circo pro nunc omitti-

O 2 mus

Digitized by Google

mus defendere hanc rationem ab illius obiectionibus.

314. Circa tertiam rationem deſumptam ex paritate logicæ, quam latiſſimè proſequutus fui in ſummulis dicta conferentia. 2.a n. 13.vſq;ad.n.17.vbi ſuppoſui, vt certum, quod prima demonſtrat o facta in ipſa logica, generat ſcientiã, & tamen bonitas illius conſequentiæ, quæ exercetur in tali demonſtratione, non præſ. pponitur demonſtrata,ſed nota lumine natura'i, nihil addendum videtur. Cum nulla poſſit reddi ſufficiens ratio, quare ſi diſpoſitio de Barbara, applicetur materiæ phyloſophiæ, neceſsũ ſit,vt cauſet ſcientiam phyloſophię,vt præ ſupponatur bonitas illius diſpoſitionis cognita per demonſtrationem, ita vt alio modo non ſit cognoſcibilis, & illamet diſpoſitio quòad ſpeciem,ſi applicetur materiæ logicæ, cauſabit ſcientiam logicæ, etiam ſi bonitas illius non ſit demonſtrata, quia tunc cognoſcitur ſolo lumine naturali. Quis intelliget quod illud quod ſupponitur eſſe paſſionẽ alicuius formę,per hoc quod forma applicetur diuerſæ materiæ, cognoſcatur diuerſimodè, ſcilicet demonſtratiuè,aut lumine naturali? Videantur quę diximus in ſummulis. Ex quibus conſtabit impugnatio alterius ſententiæ aſſerentis habitum ſcientificum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſtatum perfectum ſciẽtię, de quo aliqua dicam in principio conferentiæ.2 explicans modum, quo logica fuit primo adinuenta. Et hic arg.3.

§. 4.

Proponuntur argumẽta Contraria.

315 ARguitur primò in fauorem ſententiæ aſſerentis habitum ſcientificum requiri ad quemlibet aſſenſum ſcientificum,& ſic proponitur ratio ab aliquibus defenſoribus Nam nullus poteſt aſſentiri certò,& euidenter alicui veritati demonſtratę, niſi reſoluat illam in prima principia bonitatis conſequentiæ,& in prima principia veritatis conſequentis, ſeu demonſtratæ.Sed vtraque reſolutio bonitatis conſequentię, & veritatis conſequentis non poteſt fieri ſine habitu ſcientifico logicæ:ergo iſte neceſſarius eſt ſimpliciter ad omnem aſſenſum ſcientificum. Ma. ſupponitur certa. Et mi.pr. ex doctrina D. Thomæ lib.1 Poſt.lect.1 Vbi ſic ait. Et quia iudicium certum de effectibus haberi nõ poteſt,niſi reſoluendo in prima principia,ideo pars hæc Analytica vocatur,ideſt, reſolutoria. Certitudo autem iudicij, quę per reſolutionem habetur,eſt vel ex ipſa forma ſyllogiſmi tantùm, & ad hoc ordinatur liber Priorũ analyticorum, qui eſt de ſyllogiſmo ſimpliciter. vel etiam cum hoc ex materia, quia ſumuntur propoſitiones per ſe,& neceſſarię, & ad hoc ordinatur liber poſteriorum analyticorum, qui eſt de ſyllogiſmo demonſtratiuo;] ergo iuxta mentem D. Thomæ vtraque reſolutio, nempe ex parte formę,& ex parte materiæ demonſtrationis habetur per habitum

tum

tum ſcientificum logicæ.

316. Confirmatur, & vrgetur hoc ab eiſdem defenſoribus. Nam actus reſolutorius cōcluſionis in principia eſt actus diſcurſus demonſtrantis ergo non fit à logica ſcientia. Probatur conſeq Nam logica præceptiua non reſoluit, non diſcurrit, non demonſtrat, ſed ſolùm docet quid ſit reſolutio, quid demonſtratio, imo neq; adiuuat intellectum ad reſoluendum, ſeu demonſtrandū, ſed tantùm ad cognoſcendum quid ſit talis reſolutio, aut demonſtratio: ergo ſi actus reſolutorius eſt actus diſcurſus demonſtrantis, non fit à ſola logica præceptiua, cuius munus eſt aſſentiri principiis, & non reſoluere in illa concluſiones, fiet igitur à logicæ ſcientia, cuius munus eſt reſoluere concluſiones in principia. Et ſanè ſi ſola logica præceptiua eſſet ſufficiens ad prædictum finem reſolutionis, è medio tolleretur ipſa ſcientia logicæ, vt inutilis, cum ad talem finem tantùm ponatur, vt vtilis, & non ad alium.

317. Ad hoc argumentum Reſpondeo negando maiorem, quantum ad primam partem, qua loquitur de reſolutione bonitatis conſequentiæ in ſua principia, nam vt dictum eſt bonitas conſequentiæ eſt in demonſtrabilis, & conſequenter eſt irreſolibilis, eſt tamen neceſſarium ad ſcientificum aſſenſum cognoſcere certò, & euidenter bonitatem conſequentię, & hoc fit per lumen principiorum, vt dictum eſt, qua præcognita ſimul cum veritatibus immediatis contentis in præmiſſis eſt ſufficienter conſtitutus intellectus, vt aſſentiatur veritati demonſtratæ, & illam poſſit reſoluere in ſua principia, quæ ſunt veritates illę immediatæ, ex quibus deducta, & illata fuit. Vbi valde notandum notetur aliud eſſe quod bonitas conſequentiæ debeat reſolui in ſua principia, & aliud quod cognitio, talis bonitatis ſit neceſſaria ad reſolutionem, in quo eſt magna deceptio, primum negatur à nobis aſſerētibus bonitatem eſſe indemonſtrabilem, & irreſolubilem, & ſecundum conceditur, & aſſerimus quòd ad illam bonitatem cognoſcendam non requiritur demonſtratio, ſed ſufficit ſola logica præceptiua. Ad authoritatem D. Thomæ intelligendam eſt valde aduertendum quòd D. Thomas non dixit quòd ad certitudinem iudicij reſolutiui requiritur, quod fiat reſolutio ex parte formæ ſyllogiſticæ, aut ex parte materiæ demonſtrationis, ſed tantum ait [quod certitudo iudicij, quæ per reſolutionem habetur, eſt, vel ex ipſa forma, &c. vel cum hoc ex materia, quia ſumuntur propoſitiones per ſe, &c. quaſi dicat certitudo iudicij reſolutiui pendet ex forma ſyllogiſtica, & materia propria demonſtrationis certò, & euidenter cognita, ita vt niſi adſit iudicium in intellectu quod talis demonſtratio habet bonam diſpoſitionem, & materiam requiſitam ad cauſandam ſcientiam, iudicium reſolutiuum non erit certum. Cum autem cognitio formæ ſyllogiſticæ habeatur per diffinitiones, & regulas traditas in libris Priorum, & cognitio materiæ propriæ demonſtrationis, quæ ſunt propoſitiones per ſe, & neceſſarię habeatur per diffinitiones, & regulas traditas in libris Poſteriorum, conſequenter dicendum, logicam, quantum ad iſtos libros, prout, continentes diffinitiones, regulas, & præcepta, requiri neceſſario ad certitudinem iudicij, non autem eſſe neceſſarium ipſum habitum

tum

Digitized by Google

tum ſcientificum logicæ.

318. Ad confirmationem reſpondeo quod actus reſolutorius cõcluſionis in ſua principia, verbi gratia, pertinens ad phyloſophiam, fit proximè, & immediatè ab ipſo habitu Phyloſophiæ, in illum autem actum non influit logica effectiuè, ſed regulatiuè, aut directiuè, ideſt præbendo regulas reſolutionis, & adhuc dato quòd influat effectiuè, tantum influit in illum actum, quo applicatur forma ſillogiſtica materiæ phyloſophiæ, & vtrumq; poteſt præſtari à logica præceptiua, cum ad præbendas regulas, ſeu ad applicandam formam materiæ non requiratur actus diſcurſus demonſtrantis, cum in omni ſententia hoc fiat à logica, vt vtente, quæ nec nomen ſcientiæ meretur. Qua propter confirmatio illa nullum fundamentum ſaltim apparens habet. Ad cuius maiorem intelligentiam nota ex dicendis à nobis in hoc tractatu confer. 4. quod circa modum, quo influit logica in actus ſcientificos aliarum ſcientiarum eſt duplex opinio. Altera aſſerit logicam ſolum concurrere regulatiuè, ſeu directiuè, ideſt, præbendo ſuas regulas, & præcepta, quibus aliæ ſcientiæ, vtũtur demomſtrando, & reſoluendo, negant enim authores iſti logicę vſum actiuum in parte demonſtratiua reſpectu aliarum ſcientiarum, & hæc eſt communior ſententia Thomiſtarum, vt conſtabit in dicta conf. 4. Et iuxta hanc opinionem logica non reſoluit, non demonſtrat in aliis ſcientiis, ſed præbet regulas, & pręcepta ad hoc, & hæc eſt logica præceptiua. Altera opinio docet logicam actiuè concurrere ad omnem demonſtrationem, & reſolutionem ſimul cum alio habitu ſcientifico, ita vt iſte effectiuè demonſtret, & reſoluat, logica autem effectiuè applicet formam ſyllogiſticam, & hoc optimè fieri poteſt abſque diſcurſu, & conſequenter poteſt fieri media logica præceptiua, quæ ſicut abſque diſcurſu attingit principia, & regulas formæ ſyllogiſticæ, poteſt etiam abſque diſcurſu vti actiuè illis in aliis ſcientiis. Et ſanè exiſtimo quòd etiam in ſententia contrariorũ totum hoc debeat fieri abſque diſcurſu ſcientifico. Nam, vt dixi, fit ab ipſo habitu, non vt ſcientifico, ſed vt vtente. Ad illud verò quòd in fine additur reſpondeo logicam, ſicut, & quamlibet aliam ſcientiam, eſſe neceſſariam, vt in propria materia demonſtret paſſiones de ſuo ſubiecto, ad alium vero finem ſufficere ipſam, vt præceptiuam, ſi autem tolleretur è medio ipſe habitus ſcientificus, & maneret præceptiua logica, conſequeretur finis à nobis intentus, nempè adquiſitio aliarum ſcientiarum.

319. Arguitur ſecundò principaliter ad idem intentum, & ab eiſdem Nam bonitas conſequentiæ noſtro modo intelligendi eſt quid diſtinctum, & conſequutum ad eſſentiam conſequentiæ: ergo falſa eſt doctrina à nobis data. Probatur aũs. Nam quodlibet ens prius intelligitur conſtitutum in ſuo eſſe proprio, diende in ordine ad intellectum ſiue diuinum, ſiue humanũ, dicitur conforme, qua conformitate manifeſtatur eius veritas: ſi autẽ ei nihil de ſuis requiſitis deficiat, cenſetur bonum, & perfectum: ergo in conſequentia prius intelligitur propria eſſentia, & deinde quòd ſit bona, & perfecta. Et conſtat hoc in exemplo à nobis allato in ſummulis, & in hac confer. de homine vero,

in

Digitized by Google

in quo prius intelligitur eſsentia hominis, deinde conformitas ad intellectum, quæ eſt veritas, quę ſaltim ratione ratiocinata diſtinguitur ab eſsentia hominis: ergò idem dicendum eſt de bona conſequentia.

320. Confirmatur hoc multipliciter, Primò. Nam veritas, & bonitas tranſcendentaliter acceptæ ſunt idem realiter, identicè, ſeù materialiter cum ente, & tamen diſtinguuntur ratione ratiocinata, vt proprietates entis, quæ à metaphyſico demonſtrantur: ergo etiam ſi bonitas conſequentiæ ſit idem materialiter, ſeù identicè cum illius eſsentia, poteſt tamen diſtingui ab iſta, & conſiderari, vt proprietas illius. Secundò, Nam experientia compertum eſt multoties nos attendere ad diſpoſitionem ſyllogiſticam, & non conſiderare bonitatem conſequentiæ deſumptam ex conformitate cum regulis: ergo ſignum eſt diſpoſitionem ſyllogiſticam eſse quid diſtinctum à bonitate. Tertiò, Nam non alia ratione communiter dicitur à logicis quod prædicabilitas eſt paſſio vniuerſalis, niſi quia prius intelligitur illius eſsentia, quę conſiſtit in aptitudine ad eſsendum in multis, quàm prædicabilitas, quæ conſiſtit in aptitudine ad dicendum de multis: ergo ſi prius intelligitur diſpoſitio ſyllogiſtica, quam bonitas illius, neceſsū eſt dicere quod iſta eſt paſſio illius. Quarto. Nam etiam ſi admitteremus bonitatem non eſse paſſionem cònſequentiæ, neceſſaum eſt dicere quòd ſit paſſio diſpoſitionis premiſſarum. Nam reſpectu harum conſideratur, vt propria paſſio, ipſa vis illatiua concluſionis, ad quam conſequitur ipſa illatio .l. conſequentia: ergo ſaltim ex hac parte debet talis paſſio per demonſtrationem cognoſci.

321. Ad hoc argumentum reſpondeo, primò ex dictis quod illo probatur bonitatem conſequentiæ, prout dicit conformitatem cum regulis, diſtingui ratione ratiocinata, ſicut veritas, prout dicit conformitatem, diſtinguitur ab eſſentia hominis, & in vniuerſum veritas, & bonitas, prout dicūt ordinem ad extrinſecum, diſtinguuntur ratione ratiocinata, quod nos negamus, cū loquimur de veritate, & bonitate, prout dicunt intrinſecam, & abſolutā denominationem, in qua conſideratione non diſtingui ab eſſentia probauimus in noſtra reſolutione eiſdē exemplis allatis in argumento. Ex quo conſtat ad primam confirmationem. Et ad ſecundam ſimiliter dico experientiam teſtari poſſe cognoſci diſpoſitionem, non cognita bonitate, prout bonitas dicit conformitatem, non autem prout dicit propriā naturam, vt diſtinctam ab apparēti, & ficta. Ad tertiam dico prędicabilitatem dicere conceptum diſtinctum ab eſſentia vniuerſalis, non ita bonitas prout intrinſecè, & abſolutè denòminat iuxtà dicta à nobis. Ad quartam reſpondeo idem eſſe bonitatem conſequentiæ, & bonitatem præmiſſarum, & quia præmiſſæ ſunt rectè diſpoſitæ, dicitur conſequentiam, ſeù illationem eſſe bonam, & ipſa met diſpoſitio, quę eſt forma reſpectu præmiſſarum, eſt ipſa vis illatiua reſpectu concluſionis, ideòque falſum eſt dicere quòd vis illatiua eſt paſſio ipſius formæ premiſſarum, ſicut ſi diceretur, quòd vis calefactiua eſt paſſio ipſius caloris, quo ſubiectum redditur calidum: ipſam autem formam ſyllogiſticam dici bonam per ſua prædicata eſſen-

Digitized by Google

eſſentialia aſſerimus in iſto modo dicendi, ſicut dicitur verus calor, ideſt non apparens, ſeu fictus, per ſua prædicata eſſentialia.

222. Secundò reſpondeo quod, ſi loquamur de bonitate, prout dicit conformitatem, eſt diſtincta ab eſſentia conſequentiæ, vt probant rationes poſitæ, & nos non negamus, non tamen requiritur demonſtratio ad cognoſcendam talem cōformitatem, ſed ſufficit cognoſcere regulas applicatas, & hoc eſt cognoſcere conformitatem. Ad cuius intelligentiam ponamus quod Phyloſophus faciat aliquam demonſtrationem, tunc non alio modo cognoſcit conformitatem illius, niſi cognoſcendo regulas demonſtrationis eſſe applicatas illi à ſe factæ, & ad hoc nulla requiritur vera demonſtratio. Si enim faciat hunc diſcurſum. Regulę demonſtrationis ſunt quòd conſtet ex propoſitionibus veris, primis, immediatis, &c Sed iſtę regulæ exercentur in hac demonſtratione a me facta: ergo illa eſt conformis regulis, tunc ſufficientiſſimè cognoſcet conformitatem demonſtrationis cum ſuis regulis, & tamen ille diſcurſus non eſt demonſtatiuus, nam tunc fit diſcurſus a diffinitione ad diffinitum, ac ſi diceremus in tali demonſtratione Phyloſophica inueniuntur omnes conditiones, quę requiruntur ad eſſentiam demonſtrationis, prout explicantur in ſua diffinitione, ergo talis demōſtratio eſt verè, & propriè demonſtratio, ideſt, conformis cum eſſentia demonſtrationis explicata in ſua diffinitione. Iſte autem diſcurſus demonſtratiuus non eſt, ſicut neque iſte, Petrus eſt animal rationale: ergo eſt homo verè, & propriè, ideſt, conformis eſſentię hominis explicatę in ſua diffinitione, & ſicut lumē naturale attingit immediatè hanc propoſitionem, Petrus eſt animal rationale, ita etiam attingit iſtam, Petrus eſt homo, addita aliqua explicatione terminorum. Sic in noſtro caſu dicendum eſt.

223. Tertio principaliter arguitur ad probandum requiri logicę ſcientiam ad alias acquirendas ſaltem in ſtatu perfecto. Et hoc videtur colligi ex D. Thoma tum in opuſc. 70. quæſt. vltima art.1. ad 3. vbi dicit. [quod neceſſitas requirit, vt in addiſcendo incipiamus à logica, licet non ſit facilior aliis ſcientiis, quia aliæ ſcientiæ ab ipſa dependent.] Tum in 2. Metaph. lect. vltima, & 1. Poſter. lect. 1. vbi ait Logicam odrinari ad hoc, vt facilè, & promptè, & ſine errore procedatur. Ex qua doctrina infert Mag. Ioann. à S. Thoma ſermonem eſſe de neceſſitate ſimpliciter, nam procedere ſine errore neceſſarium eſt ſimpliciter, & conſequenter ſi logica ad hoc requiritur, erit ſimpliciter neceſſaria. Idem intentum probatur ratione. Nam nuda potentia intellectus ſine arte adiuta non poteſt cognoſcere omnes defectus conſequentiarum, & ſcientificè attingere bonitatem cuiuſcumquè conſequentiæ, ſed ad adquirendas ſcientias in ſtatu perfecto, neceſſum eſt cognoſcere omnes defectus conſequentiarum, & ſcientificè attingere bonitatem cuiuſcunquè conſequentiæ: ergo non ſufficit intellectus, ſed requiritur ipſa ars logicæ. Minor eſt certa. Nam ſcientia in ſtatu perfecto ad diuerſas, & plures concluſiones ſe extendit, & omnes errores euitare poteſt, quod non præſtabit, ſi intellectus non cognoſcat

cat

ĉat omnes defectus ex quibus poteſt error procedere, & niſi ſcientificè attingat bonitatem cuiuſcunquè conſequentiæ. Et maior probatur. Nam multę conſequentiæ non ſunt notæ lumine naturali, ſed per diſcurſum colliguntur, & bonitas multarum probatur, & oſtenditur per bonitatem aliarum, nempè bonitas cuiuſcunque conſequentiæ factę in aliquo modo imperfecto probatur per bonitatem modi perfecti, & hæc bonitas alterius probatur per illa communiſſima principia. ſ. dici de omni, & dici de nullo; ſed hoc non poteſt fieri à ſolo intellectu ſine arte: ergo &c. Item multa, quæ pertinent ad cognitionem propoſitionum per ſe, & neceſſariæ connexionis, pendent ex principijs, & præceptis artis logicę, quæ omnia ſunt neceſſaria ad ſtatum perfectum ſcientiæ: ergo ſine arte logicæ non poteſt adquiri ſcientia in ſtatu perfecto. Confirmatur hoc ſequenti exemplo. Nam animal in ſtatu perfecto, ideſt, in ſtatu, in quo per ſe nutritur, & augmentatur; indiget cibo, tanquàm materia nutritionis, & digeſtione, & concoctione alimenti: ergo ad nutritionem, & extenſionem ſcientiarum, quæ debet fieri per multas concluſiones, & varias conſequentias, indiget intellectus cibo, ideſt, ſpeciebus, ſed digeſtis, & concoctis, & artificioſè diſpoſitis ad inferendum, alioquin non ſcientificè colliget, cum igitur hoc præſtet ars logicę, ipſa erit ſimpliciter neceſſaria ſaltem ad ſtatum perfectum ſcientiarum.

234. Ad hoc argumentum, quo conuincitur Magiſt. Ioan. à Santo Thoma, vt aſſerat logicæ habitum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſtatum perfectum ſcientiarum, dixi in ſummulis illo ſolùm probari requiri principia, & præcepta logicæ, & hoc videtur intendere in dicto argumento, nam ait quod illa multa, quæ requiruntur, pendent ex principijs, & præceptis artis logicæ, & hoc ita fateor, & idcirco aſſero principia ipſa, ſeu præcepta requiri, & cum ex alio capite conſtet talia principia, & pręcepta cognoſci ante quam ſit adquiſitus habitus ipſe ſcientificus, qui per demonſtrationes generatur, & perficitur, ideo aſſerimus non eſſe neceſſarium ipſum habitum ſcientiæ. Quapropter ad authoritatem D. Thomæ reſpondeo loqui de logica, quantum ad eius principia, & præcepta, quæ difficillima ſunt cognitu inter alia principia. Et ſine illis non proceditur ſine errore. Ad rationem adductam reſpondeo omnes defectus conſequentiarum cognoſci certiſſimè per regulas, & præcepta logicæ, & ſimiliter omnes bonitates omnium conſequentiarum. Nulla enim bonitas demonſtrabilis eſt per aliam bonitatem, licet vna per alteram probetur, hęc autem probatio non eſt demonſtratio, ſed potius examinatio an talis conſequentia ſit conformis regulis, vt ex Magiſt. Soto dicebamus num. 309. quòd ſine diſcurſu ſcientifico fieri poteſt. Ad confirmationem reſpondeo ſufficere illas ſpecies eſſe ordinatas modo præceptiuo, vt dictum eſt.

Et conſtabit magis in Conf. ſequenti.

§. 1.

Digitized by Google

CONFERENTIA 2.

An ens rationis ſit obiectum formale logicæ, & quomodo dirigat intellectum.

§. 1.

Explicatur motiuum authoris ad repetendum hanc conferentiam.

235. SVppono, ea, quæ dixi in ſũmulis, tract. 1. confer. 2. circa obiectum formale logicæ. Et in præſenti ſolùm intẽdo explicare, & amplificare fundamentum illud, quo ibid. nu. 38. probaui ens rationis directiuum operationum intellectus eſſe obiectum formale logicæ. De alio. n. fundamento ibidem adducto à nu. 12. nihil occurrit dicendum, nihilquè addendũ. Exiſtimo n. eſſe valde probabile, vtpotè tàm cõmune, & plauſibile noſtris Thomiſtis, qui paſſim vtuntur illo ad probandum ens rationis eſſe obiectũ formale logicæ. Et ſanè fateor fundamentum, in cuius explicatione immorabor in præſenti, non eſſe ita commune, cæterùm quia multis viſum eſt ſatis probabile, facileque ad explicandum quomodo obiectum logicæ dirigat intellectum, ne erret in ſuis operationibus, idcirco decreui illud iterum proponere, & elucidare, vt magis conſtet eius probabilitas.

Verùm quia multum conducit, tàm ad præſentis difficultatis, quàm aliarum intelligentiam, cognoſcere quomodo primò adinuenta fuere principia, & præcepta logicalia, quæ, ſe habent, vt veritates immediatæ, ideo ante omnia hòc explicabo.

§. 2.

Explicatur modus, quo principia, & præcepta logicæ primò adinuenta fuerunt.

236. DE modo adquirendi, & inueſtigandi principia complexa ſcientiarum, & artium egit Ariſtoteles lib. 1. Met. cap. 1. & lib. 2. Poſt cap. vltimo. Et in vtroq; loco D. Thomas tractauit de eodem exponens doctrinam Phyloſophi. Caietanus autem idem attigit in dicto lib. 2. Poſt. cap. vltimo. Qua propter, vtroq; Thoma duce, intendo idem explicare, illorum doctrinam applicando principijs logicę. Igitur D. Th. in lib. 2. Poſt. lect. 20. docet quod cognitio principiorum fit in nobis ex prǽexiſtenti cognitione ſenſitiua. Et ad explicandum hoc principium ſenſitiuum præexiſtens, ponit cũ Ariſtotele, & exponit tres gradus in animalibus, quorum primus eſt omnibus communis, nempè habere potentiam connaturalẽ ad iudicandum de ſenſibilibus, quæ vocatur ſenſus, qui ipſam naturam cõſequitur. Secundus gradus eſt eorum, in quibus remanet aliqua impreſſio ſẽſibilis abeunte re ſenſibili, vt contingit in animalibus perfectis, & hæc præter cognitionẽ ſenſus habent aliam cognitionẽ in anima, abſente

abſente re ſenſibili, & talia habent memoriam. Tertius gradus eſt, nam inter ea animalia, in quibus inuenitur memoria, in quibuſdam ſit ratiocinatio de his, quę remanent in memoria, vt contingit in hominibus.

237. Quo ſuppoſito explicat D. Thomas quomodo in nobis fiat cognitio primorum principiorum dicẽs quòd ex ſenſu fit memoria, ex memoria autem facta circa eandẽ rem, in diuerſis tamen ſingularibus, fit experimentum, quod nihil aliud eſt, quàm accipere aliquid ex multis in memoria retentis. Sed tamen experimentum indiget aliqua ratiocinatione circa particularia, per quã confertur vnum ad aliud, quod eſt proprium rationis. Affert exemplum. Recordatur quis quòd talis herba multoties ſanauit multos à febre dicitur eſſe experimentũ quòd talis herba ſit ſanatiua febris. Et hoc modo per experientiam adinuenta fuerunt alia medicamenta cõmunia. Ratio autem non ſiſtit in experimento particularium, ſed ex multis particularibus, in quibus expertus eſt, accipit vnum commune, & conſideratur illud abſque omni ſingulari, & hoc accipit, vt principium artis, & ſcientiæ. Eſt autem diſtinctio inter artem, & ſcientiam. Nam ſi ex experimento accipiatur aliquod vniuerſale circa factibilia, hoc pertinet ad artem: ſi autem vniuerſale conſideretur circa ea, quę ſemper, & eodem modo ſunt, pertinet ad ſcientiam, quę eſt circà neceſſaria. Hæc eſt doctrina D. Th. ferè ad literam transcripta. Ex qua colligitur principia prima, & præcepta omnia tàm artiũ, quàm ſcientiarum ortum habuiſſe ex experiẽtia, & per illa fuiſſe primò adinuẽta. Et ita concludit. Et iſte modus, qui dictus eſt, competit etiã principijs omnium ſcientiarum, & artium. Quam doctrinam elegantiſſimè explicat, & probat Caietanus vbi ſupra. Et ſic breuiter formatur eius ratio. Nam etiam ſi intellectus appræhendat ſimplices terminos, tamẽ ex ſe eſt indifferens ad illos ſic, vel aliter componendos: ergo indiget aliquo determinante, & mouente, potiùs ad hanc compoſitionẽ, quàm ad aliam. Experimur namq; cõtinuè in nobis ipſis, quòd habemus diù multorum terminorum conceptus abſq; notitia principiorum complexorum, quę ex illis reſultant. Et fatetur Caietanus ſe cognouiſſe, quid ęquale, quid demere, quid remanere, neſciuiſſe tamen hoc principiũ, Si ab æqualibus æqualia demas, quę remanent ſunt æqualia. Oportet ergo ponere aliquod determinatiuũ, ſeù motiuum intellectus ad talem compoſitionem faciendam. Hoc autem motiuum non poteſt eſſe aliud, quod pręſupponatur ad intellectum, niſi cognitio ſenſitiua experimentalis. Ergo hæc præexigitur ad cognoſcenda principia complexa. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam ex eiſdem terminis poſſunt fieri variæ compoſitiones: ergo niſi intellectus determinetur per cognitionem experimẽtalem, non erit maior ratio, quare intellectus adquirat hanc cognitionem complexam (quam vocamus principium) ex illis terminis magis, quàm aliam, &c.

238. His præhabitis circa modũ inueniẽdi omnia principia ſcientiarũ, qui abſq; dubio debet reperiri in ipſius logicę principijs, & præceptis, oportet explicare quomodo in exercitio fuerunt inuenta principia, & præcepta logicæ, & quod experimẽtum præexiſtit determinãs intellectum

Digitized by Google

tum ad illorum compoſitionem. Exiſtimo ita contigiſſe. Cum naturale ſit homini ex effectibus inueſtigare cauſas,& rationes rerum, inceperunt homines diſcurrere ex effectibus ad cauſas, & animaduerterunt ſe in ſuis diſcurſibus aliquando benè, aliquando malè operari. Quod colligebant experientia, qua conſtabat ſe diſcurrere aliquando iuxta naturas rerum, & aliquando contra, vel præter illas, vel hoc idem alijs diſcurſibus inferebant. Deinde notabant modum, quem ſeruabant, quando benè operabantur, & quando malè, obſeruantes differentiam inter diſcurſum bonum, & malum. Quibus notatis,& obſeruatis deduxerunt talem modum ſeruandum eſſe in operationibus, ita vt iſtæ, & nõ illæ conditiones deberent inueniri in omni diſcurſu bono. Qua propter iuxta varias combinationes terminorum ſtatuerunt varia, & diuerſa principia, & præcepta ſeruanda in omni bono diſcurſu, tàm ex parte formę, quàm ex parte materiæ. Et talia ſunt principia logicalia, quę deſeruiunt noſtro intellectui, vt rectè,& abſquè errore procedat, illiſque ſic adinuentis, & compoſitis aſſentitur intellectus per habitum principiorum, vt contingit in alijs principijs, & præceptis cuiuſcunque artis, & ſcientiæ.

139. Principia igitur ſic adinuenta, & cognita conſtituunt in intellectu idęam boni diſcurſus, & ex diuerſis principijs formantur diuerſæ idęæ. Alia eſt n idęa bonæ demonſtrationis, & alia bonæ diffinitionis, & iuxta huiuſmodi idæas format intellectus omnes demonſtrationes, & diffinitiones, & factas examinat, an conformentur cum illis ideis, in quibus repræſentantur conditiones,& regulæ vt ſint bonæ, & rectæ, quæ examinatio etiam ſi fiat per diſcurſum, fit tamen eodem lumine principiorum, nulla interueniente demonſtratione.

140. Tandem ex his principijs cognitis deducuntur plures paſſiones competentes inſtrumentis logicis, & ad deducendas tales paſſiones ordinatur ipſe habitus ſcientificus logicæ, qui præſupenit acquiſita, & inuenta omnia ſua principia, & præcepta, & certiſſimè cognita per habitum principiorum. Ita fuit primò inuēta logica à Phyloſophis, & modo ita potuit inueniri, at communis modus illam adquirendi eſt per doctrinam ab antiquis traditam, à quibus accepimus regulas, præcepta, & principia. Quibus dupliciter poſſumus aſſentiri, vel credendo illa, vt addiſcentes, quos credere oportet. Et hic modus communior eſt his temporibus, vel examinando illorum veritatem, vt alij faciunt, ſicut fecerunt primi inuentores. Ex quibus aperitur via ad intelligendum quomodo logica dirigat intellectum ne erret, & magis confirmatur doctrina tradita à nobis in conferentia præcedenti.

§. 3.

Explicatur modus, quo ens rationis dirigit intellectum ne erret.

141. Conſtat ex dictis principia, & præcepta logicæ ad hoc fuiſſe inuenta,& deſeruire, vt intellectus faciliter,& abſq; erroris periculo procedat in alijs ſcientijs, quod etiam expreſsè docuit

docuit D. Thom. à me adductus in ſumm. Conf. 2. nu 30. loquens de ipſa logica, quam vocat rationalem ſcientiam. Qua propter obiectum logicæ in ſuo ordine ad prædictum finem dirigendi intellectum, debet conducere. Videamus ergo quomodo ens rationis poſſit deſeruire ad talem directionem, vt ſic colligamus eſſe obiectum formale logicæ.

242. Ad cuius explicationem noto primò quod nihil aliud eſt intellectum dirigi in ſuis operationibus, quàm habere modum, & regulam ad intelligendas res conformiter ad ſuas naturas, & iuxta horum exigentiam, & conſequenter tunc dirigitur intellectus quando res cognoſcit, vt petunt cognoſci, vel in compoſitione, vel in ſimplici appræhenſione, vel in diſcurſu, & ad hoc indiget aliqua regula, ſeu aliquibus præceptis. Noto ſecundò quod ad cognitionem cuiuſcunquè rei ſequitur in ipſa aliqua denominatio cõpetens ipſi prout ſic cognitæ, & talis denominatio, ſeu forma illa, qua nos concipimus fieri talem denominationem, ſolùm habet eſſe obiectiuè in intellectu, diciturquè ens rationis. Item iuxta diuerſum modum cognoſcendi rem reſultat diuerſa denominatio, diuerſa forma, ſeu diuerſum ens rationis, de cuius eſſentia, & cauſa, quaſi efficiẽte, & exiſtentia dicemus in tractatu ſequenti. Colligitur ex doctrina D. Th lib. 4. metaph. text. 5. lect. 4. vbi ſic ait. [Ens rationis dicitur propriè de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus conſideratis .ſ. intentio ſpeciei, generis, & ſimilium. Quæ quidem in re non inueniuntur, ſed conſiderationem rationis conſequuntur.] Tales igitur intentiones sũt entia rationis, & conſequuntur ad rem intellectam, quapropter ad diuerſum modum cognoſcendi rẽ, diuerſa denominatio, ſeu diuerſa intentio, aut forma rationis conſequitur. Et ratio eſt. Nã cognitio rei eſt fundamentum talis formę, & inde eſt, quod poſita diuerſa cognitione, vel diuerſo modo cognoſcendi eandem rem, ponitur diuerſum fundamentum, ac proinde diuerſa denominatio proueniens à diuerſa forma v. g. ſi cognoſcatur homo ſine ſuis indiuiduis, cum ordine tamen ad illa, denominatur ſpecies prædicabilis, ſi vero in ordine ad animal, quod eſt genus, denominatur ſpecies ſubijcibilis, & ſimiliter ſi cõponatur homo cũ animali, dicẽdo, homo eſt animal, tunc homo denominatur ſubiectum, & animal prædicatũ. Eodemq; pacto conſtabit reſultare diuerſã denominationem ex diuerſo modo cognoſcendi eãdẽ rẽ.

243. Quibus ſuppoſitis dico ens rationis ſequutum ad rẽ cognitã deſeruire, vt regulã, per quam à poſteriori cognoſcat, an ſua operatio ſit recta, & conformis rei, vt ipſa exigit cognoſci. Et ratio eſt. Nã vt ex dictis conſtat, experientia ipſa primò docuit quæ denominatio ſequatur ad rẽ, quando rectè cognoſcitur, & quæ quando malè. Aduertit igitur intellectus ad denominationem ſequutã, quod ſi viderit ſequi talẽ denominationem, qualis requiritur ad rectã cognitionẽ rei, percipit ſe rectè intelligere, ſi autẽ cõſiderat aliã diſtinctam denominationem ſequi, corrigit ſe, & iterum cognoſcit rem quouſq; ſequatur denominatio, quę ſequitur ad omnem rectam cognitionem rei, & ad hanc diſcretionem adiuuatur principijs, pręceptis, & regulis logicalibus. Ecce quomodo ens rationis dirigit intellectum

per

Digitized by Google

per modum regulæ extrinſecæ, per quam à poſteriori cognoſcit noſter intellectus ſuam operationem eſſe rectam, & bonam, & conformem regulis.

144. Explico, & confirmo hanc doctrinam paritate deſũpta ex alijs artibus, quæ ad directionem operum exteriorum ordinantur. Sit primum exemplum. Si aliquis ſtylus ſit diſtortus, poteſt tripliciter dirigi ab Artifice. Primò mouendo, & torquendo illum ſæpius, donec efficiatur rectus. Secundò comparando, & commenſurando illum cum alio ſtylo recto. Tertio conſiderando vmbram ab illo procedentem, & mutando illum, donec vmbra ſit recta, & conſequenter indicet ſtylum eſſe rectum. Quartò, & multo facilius, ſi in aliquo plano eſſet linea aliqua deſcripta, cum qua, quando vmbra ſtyli coinciderет, indicaret ſtylum eſſe rectum, & ſi non coincideret, tunc ſtylus, eſſet diſtortus. Relictis tribus prioribus modis, quartus eſt, qui rem noſtram optimè explicat. Nam, vt conſtat ex dictis, in mente noſtra eſt idea rectæ operationis deducta, & inuenta modo ſupra dicto; quæ idæa, ſe habet, vt linea deſcripta in plano, cum qua vmbra ſtyli recti coincidere debeat, & ens rationis ſequutum ad cognitionem rei, ſe habet, vt vmbra, & vt conſtet an vmbra iſta ſit recta, conferenda eſt cum idæa, & illi applicanda; quod ſi illi eſt ſimilis, tunc operatio eſt recta, ſi verò diſſimilis, conſtat operationem eſſe malam, & indigere directione, quouſquè ſequatur ens rationis ſimile alteri, quod ſe habet, vt idæa.

245. *Secundum exemplum ſit, quod clarius, & euidentius eſt in* artibus. Faber ferrarius poteſt facere regulam rectam tribus modis. Primò, conſiderando eius quidditatem explicatam per ſuam diffinitionem, v. g quod omnes partes illius debeant æqualiter iacere. Secundò applicando illi aliam regulam rectam, & videndo an inter ſe correſpondeant. Tertiò, ſine regula, per ſolum oculum, illum applicando vni parti regulæ, & ſic conſiderat omnes partes illius, an ſint æquales inter ſe, quod ſi quid ſupereminеat, vel contrario modo ſe habeat, corrigit illam. Primus modus difficillimus eſt, & ideo non eſt in vſu poſitus. Secundus eſt facilior, & magis in vſu. Tertio autem, vt omnibus faciliori, vtuntur fabri, magis communiter quàm alijs.

246. Seruata proportione operationes intellectus poſſunt dirigi tripliciter. Primò, conſiderando illarum naturam, & inueſtigando quid vnaquæque exigat. Et hic modus difficillimus eſt de quo non curat logica. Secundò, applicando operationi dirigendæ aliam iam directam, & rectam, & videndo an ſint ſimiles. Tertio, conſiderando accidentia operationis rectæ, & applicando alteri operationi vt conſtet an ſimilia accidentia habeat, ſimileſquè proprietates. Et iſti duo modi ſunt faciliores, & in vtroquè includuntur entia rationis, quamuis magis appareant in tertio, quàm in ſecundo. In hoc n. comparatio non poteſt fieri in ſubſtantia operationis, cum vtraquè habeat eandem ſubſtantiam, ſeù ſpeciem, v. g. ſiue dicas homo eſt animal, ſiuè homo eſt lapis, vtraq; eſt compoſitio, & diuerſitas ſtat in ordine diuerſo vnius ad ſuum obic-

obiectum, & in hoc iam interuenit ens rationis, & conſequenter ens rationis deſeruit ad ſimilitudinem vnius cum alia, ac proinde ad directionem. Denique in tertio modo accidentia illa quæ ſequuntur, ſunt illæ denominationes, ſeu formæ, vel entia rationis, & conſiderando an illa quæ ſequuntur ad hanc cognitionem ſint ſimilia illis, quę repetiuntur in altera, quæ recta eſt, & ponitur, vt idea, cognoſcitur operationem illam eſſe rectam. Conſtat ergo quomodo entia rationis deſeruiant ad directionem intellectus. Quæ omnia latiùs videri poſſunt in P. Paulo Vallio Romano in logica tom. 1. quęſt. 3. cap. 21. & 22.

§. 4.

Ex doctrina tradita probatur ens rationis eſſe obiectum formale logicæ.

247. EX doctrina tradita facile eſt noſtram reſolutionem, & illius fundamentum deducere. Sit ergo concluſio reſponſiua titulo præſentis controuerſiæ. Ens rationis, quod eſt ſecunda intentio ſequuta ad noſtram cognitionem, eſt obiectum formale logicæ. Hæc concluſio expreſsè traditur à D. Thoma pluribus in locis, & præcipuè lib. 4. metaph. vbi ſupra. Nam poſt verba relata ibidem num. 242. ſic ſubdit. Et huiuſmodi ens rationis eſt propriè ſubiectum logicę. Illumque ſequuntur omnes eius diſcipuli. Et iuxta illius mentem probatur concluſio: Nam illud debet aſſignari, vt obiectum formale logicę, quod facilius, & meliùs dirigit intellectum, ne erret in ſuis opeſationibus; ſed ens rationis, quod ſequitur ad rem cognitam, eſt illud, quod meliùs, & facilius dirigit noſtrum intellectum, ne erret: ergo illud eſt obiectum formale logicæ. Maior conſtat, nam finis logicæ eſt dirigere intellectum, vt ſupponitur, & docuit D. Thomas, & idcirco eius obiectum formale debet eſſe illud, medio quo meliùs, & faciliùs conſequatur talem finem Minor autem probatur ex dictis in toto §. 3. præcedenti, ex quibus conſtat quot modis poteſt dirigi intellectus in ſuis operationibus, & quod inter omnes ille eſt melior, & facilior, qui fit per entia rationis ſæquuta, ex quibus, vt ex regula à poſteriori colligit intellectus rectitudinem, vel obliquitatem ſuarum operationum. Quapropter tota cura logicę eò tendit, vt explicet naturam, & quidditatem entium rationis, quod pręſtat ea parte, qua eſt præceptiua, & ea parte, qua eſt ſcientia, demonſtrat alias paſſiones, quæ illorum eſſentiam conſequuntur, vt ſic intellectus ſit ſufficienter inſtructus circa illa, & poſſit illis vti, vt regulis ſuę rectitudinis in operando. Et huius entis rationis, tàm in communi, quàm in ſuis ſpeciebus ſunt principia illa complexa, & præcepta, quæ à primis inuentoribus logicę inueſtigata fuerunt.

Pro-

§. 5.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

248. ARguitur primò ad probandum operationem intellectus non poſſe dirigi per ens rationis ſequutum ad ipſam. Nam priùs eſt, quod operatio ſit recta, quam quod ſequatur tale ens rationis: ergo per illud nõ dirigitur: patet cõſequẽtia, quia illud, quod dirigit, conducit ad ponendam rectitudinem, quod ſi ſupponit rectitudinem, ad illam ponendam non conducit. Et ãns probatur. Quia tale ens rationis ſequitur ad operationem iam rectam, & eſt quaſi effectus illius, v. g. ex eo quod cognoſco hominem in ordine ad ſua indiuidua, quæ eſt recta operatio, ſeu cognitio hominis, reſultat in ipſo homine cognito illa forma rationis, ſeu denominatio ſpeciei prædicabilis, quæ eſt ens rationis. Et ſic de alijs, in quibus omnibus eſt eadem ratio: ergo priùs eſt quod operatio ſit recta, & bona, quam quod ſequatur ens rationis. Cauſa enim prior eſt, ſaltem natura, quam ſuus effectus. Confirmatur hoc. Nam nullus experitur quando format aliquem diſcurſum, ſe attendere ad talia entia rationis, quinimo communiter diſcurrimus, & diſputamus in alijs ſcientijs, & tamen nullatenus conſideramus an ſequatur hoc, vel illud ens rationis: ergo talis modus dirigendi noſtrum intellectum in ſuis operationibus inauditus eſt, & ad minus non eſt neceſſarius.

249. Ad hoc argumentum, conceſſo antecedenti, diſtinguitur conſequens, ergo per iſtud nõ dirigitur à priori, & tanquam à cauſa rectitudinis concedo conſequentiã. Non dirigitur à poſteriori, & vt ab effectu talis rectitudinis nego conſequentiam. Fateor namquè ens rationis ſequi rectitudinem, ſed aſſero tale ens rationis oſtendere nobis illam operationem eſſe rectam. Qua propter tale ens rationis aſſumitur, vt regula, media qua intellectus manu ducatur ad diſcernendum, quando operatio eſt recta, & quando eſt mala. Non enim communicat operationi rectitudinem, ſed potiùs eſt ſignum à poſteriori manifeſtans illam eſſe in operatione. Qua ratione logica, cuius munus eſt dirigere intellectum ne erret, intendit manifeſtare talia ſigna rectitudinis, vt per illa abſquè erroris periculo procedatur in alijs ſcientijs. Ad Confirmationem reſpondeo nõ eſſe neceſſarium quòd in omni diſcurſu attendatur, quaſi in actu ſignato, ad prædicta entia rationis, & hoc oſtendit experientia adducta, cęterum in ipſo exercitio ſunt talia entia rationis, quæ poteſt intellectus per reflexionem conſiderare, & ex illis colligere rectitudinem ſuæ operationis, etiam in actu ſignato. Et hoc exigitur, vt eliciat aſſenſum ſcientificum, qui ſit ab intellectu vtente regulis logicæ; & quamuis intellectus non attendat, ſeu nos non experiamur dictam attentionem, nihilominus, ſi tales regulas non præcognoſceret, non procederet certò, & firmiter.

250. Secundo principaliter arguitur ad probandum talem modum directionis non eſſe meliorem, & faciliorem. Nam ens rationis quanto

quanto eſt minoris entitatis reſpectu ipſius cognitionis dirigendæ, tanto eſt minoris intelligibilitatis, qua propter difficillimè cognoſcitur à noſtro intellectu: ergo modus procedendi ab ipſo ad rectitudinem cognitionis non eſt melior, aut facilior. Prima conſequentia. Quia ille eſt modus facilior, & melior cognoſcendi, qui procedit à notioribus nobis ad minus nota: ergo ſi ens rationis difficillimè cognoſcitur, & facilius percipitur cognitio ipſa recta, quæ eſt ens reale, non eſt facilior, & melior modus procedẽdi ab ente rationis cognito ad cognoſcendam rectitudinem.

Dices cum P. Paulo Vallio vbi ſup. cap. 24. quod licet natura, & eſſentia entis rationis ſit valdè occulta, ac proinde difficillimè cognoſcatur; tamen ens rationis in confuſo, & quo ad exiſtentiam, eſt notiſſimum, & vt deſeruiat, vt regula, ſufficit illius rudis cognitio, & quoad an eſt, id eſt, quod cognoſcatur tale ens rationis ex tali cognitione conſequi, non autẽ requiritur cognitio quidditatiua illius, de qua cõceditur eſſe difficillimã. Sufficit n. cognitio illius, quatenus cõducit ad dirigendas operationes intellectus, id eſt, quatenus eſt diffinitio, vel demonſtratio.

341. In contra eſt 1 Nam lógica docet id, quod eſt neceſſarium, vt ens rationis dirigat noſtrum intellectum. Sed docet quid eſt ens rationis directiuũ intellectus, & quotuplex, & tradit diffinitiones quidditatiuas cuiuslibet entis rationis, quæ continentur in principijs complexis, & præceptis logicalibus: ergo cognitio quidditatiua entis rationis neceſſaria eſt. Secundo. Nam, vt intellectus cognoſcat operationem ſuam eſſe rectam, non ſufficit ipſum cognoſcere ſequì ad illam ens rationis in confuſo, ſi quidem ens rationis in confuſo ſequitur ad operationem rectam, & non rectam, ſed requiritur quod cognoſcat, quodnam eſt illud ens rationis, & an ſit ſimile natura cum illo, quod conſideratur in idæa rectæ operationis, & ſit diſtinctum ab illo, quod ſequitur ad operatiónem malam, vt ſic cognoſcat illam operationem eſſe rectam: ergo cognitio quidditatiua requiritur, & non ſufficit illa cognitio in confuſo, & quoad exiſtentiam. Tertio, quia ipſe P. Vallius fatetur neceſſarium eſſe cognoſcere quid eſt diffinitio, quid demonſtratio, &c. ſed iſtæ ſunt formaliter entia rationis: ergo ſaltim cognitio quidditatiua illorum entium rationis requiritur. Et tunc fit argumentum principale. Nam illa eſt difficillima nobis: ergo modus procedẽdi ab illa ad cognitionẽ rectam non eſt facilior, & melior.

342. Ad hoc argumentum, omiſſa ſolutione præcedenti, quam eſſe falſam exiſtimo, reſpondeo requiri cognitionem quidditatiuam cuiuslibet entis rationis directiui, & ad hoc deſeruiunt nobis præcepta, & principia logicalia. Quæ difficillima ſunt inter omnia principia aliarum ſcientiarum, & ideo ipſa logica difficilior eſt omnibus. Nihilominus ſuperata hac difficultate, & habita notitia præceptorum, & principiorum logicæ, facilè proceditur ad diſcurrendum rectè in alijs ſcientijs. Quinimo ſine tali notitia exponit ſe intellectus periculo errandi, & ideo docuit D. Thomas, quod licet logica ſit difficilior, neceſſitas cogit nos, vt ab illa incipiamus. Nam

licet alij modi dirigendi intellectum à nobis diſtinguantur, tamen, vt probatum eſt, nec in artibus verſantibus circa exteriora, ſunt in vſu propter eorum difficultatem, & quia in illis etiam eſt periculum errandi. Modus autem directionis per entia rationis eſt facilior, quia eſt à poſteriori, & per effectum, & melior, quia ſecurus & firmus, & abſque periculo errandi, ſuppoſita notitia, quam tradit logica in ſuis principijs, præceptis, & regulis.

CONFERENTIA 3.

An logica ſit ſimpliciter ſcientia, & ſimpliciter ars.

§. 1.

Explicatur difficultas, & referunt ſententiæ.

353. CVm ex obiecto ſumant ſuam ſpeciem habitus, & actus, poſt explicationem obiecti ſpecificantis logicam, ſtatim inquirimus illius prædicata quidditatiua. Et duo inquiruntur in præſenti alterum, an ſit ſimpliciter ſcientia, & alterum an ſimul ſit ſimpliciter ars. Ad intelligentiam autem vtriuſq; noto 1. ex dictis ſupra num. 9 quod logica poteſt conſiderari dupliciter, & vt docens, & vt vtens, & rurſus, vt dicemus Confer. 4. vtens etiam accipitur dupliciter, & paſſiuè, quatenus aliæ ſcientiæ vtuntur logica ad conſtruendas ſuas diffinitiones, & demonſtrationes. Et accipitur actiuè, & tunc vſus actiuus in parte demonſtratiua non ad logicam, ſed ad alias ſcientias pertinet, & vſus actiuus in parte topica, in qua agitur de ſyllogiſmo dialetico, pertinet ad ipſam logicam. Noto 2. quod duplex eſt ſcientia, alia actualis, & habitualis alia, & vniuſcuiuſque eſſentia conſtabit ex dictis ſupra num. 232. & 233. Et ex dictis num 237. conſtabit etiam quid ſit quidditas artis, & aliqua dicemus in hac Conferentia num. 372. Noto 3. quod ly, ſimpliciter, poſitum in titulo, opponitur ſecundum quid, ſeu modo dicendi ſimilitudinarie, & eſt ſenſus an logica ſit ſimpliciter ſcientia, & ars, an verò ſolùm ſecundum quid, & ratione alicuius ſimilitudinis cum alijs ſcientijs.

354. Quibus ſuppoſitis Prima ſententia docet nullo modo eſſe ſcientiam. Ita plures Philoſophi antiqui, Ammonius, Max. Alexan. Ægidius Rom. Petrus niger, relati à M. Sanchez in logica lib. 1. quæſt. 7. & pro eadem ſententia referuntur Albertus Magnus, ſimplicius, Boætius, Zimarà, & Zabarella, & alij recentiores à P. Vallio Prolog log. parte 2. qu. 4. cap. 9. dicente falli Sotum, & quoſdam alios aſſerentes hanc ſententiam eſſe tantùm iuniorum Philoſophorum. Et iſti etiam aſſerunt logicam non eſſe artem propriè, & ſimpliciter. Secunda ſententia docet logicam non eſſe ſimpliciter ſcientiam, aut ſimpliciter artem, ſed tantùm

Digitized by Google

tantùm per quandam ſimilitudinem eſſe ſcientiam, aut artem. Ita P. Valſius vbi ſupra cap. 11 & ſequentibus referens alios. Tertia ſententia docet logicam docentem eſſe ſimpliciter ſcientiam, & ſecundum quid artem; vtentem verò non eſſe ſcientiam. Et quantum ad primam partem eſt communis inter Phyloſophos modernos, & defenditur à multis antiquis aſſerentibus eſſe propriè ſcientiam; quantùm verò ad aliam partem, nempè, eſſe artem ſecundum quid, defenditur ab aliquibus contra alios aſſerentes logicam eſſe propriè artem. Et quoad vltimam partem de logica vtente, eſt etiam communis ſententia. Videantur moderni, qui referunt authores alios.

§. 2.

Eligitur Vera ſententia, & probatur.

355. PRo reſolutione veritatis ſit prima concluſio. Logica docens eſt verè, & propriè ſcientia. Hæc concluſio probata fuit ſupra num. 10. ex doctrina Magiſt. Soto. Ex eo quòd logica in omni ſua parte habet ſuas demonſtrationes, ſ. in parte demonſtratiua oſtendit demonſtratiuè ſyllogiſmum demonſtratiuum generare ſcientiam, & in parte topica, ſeu dialectica probat ſyllogiſmum dialecticum generare opinionem, & in parte ſophiſtica demonſtrat ſyllogiſmum ſophiſticum fallere apparenter. Quæ omnia per demonſtrationes oſtendit, & conſequenter eſt verè, & propriè ſcientia. Et hac ratione communiter vtuntur defenſores huius ſententiæ.

356. Nihilominus hæc ratio non videtur conuincere intentum. Nam hæ veritates, demonſtratio generat ſcientiam, & ſimiliter iſta ſyllogiſmus dialecticus generat opinionem, & iſta, ſophiſticus fallit apparenter, ſunt immediatæ, & conſequenter indemonſtrabiles: ergo in logica non demonſtrantur. Probatur ãns. Nam hæc eſt diffinitio eſſentialis demonſtrationis. Eſt ſyllogiſmus faciens ſcire. Et hæc eſt eſſentialis diffinitio ſyllogiſmi dialectici. Eſt cauſatiuus opinionis, & hæc eſt diffinitio eſſentialis ſyllogiſmi ſophiſtici. Eſt cauſans falſum apparens verum. Omnes .n. iſtæ diffinitiones dantur per cauſam finalem. Et ſicut propria eſſentia cuiuſcunque inſtrumenti eſt deſeruire ad proprium finem, ita propria eſſentia inſtrumenti logici eſt deſeruire ad ſuum finem. Ergo prædictæ veritates ſunt immediatæ, & indemonſtrabiles, vt ſunt omnes illæ, quæ explicantur per diffinitionem eſſentialem alicuius rei. Nec valet ſi dicas, quod vna diffinitio poteſt per aliam demonſtrari, & ſic contingere in logica, vbi diffinitio per cauſam finalem demonſtrationis, demonſtratur per alteram diffinitionem importantem cauſam materialem. Non, inquam, valet. Nam licet vna diffinitio, probetur conuenire ſubiecto per aliam diffinitionem, hic diſcurſus non eſt demonſtratiuus: ergo non valet ſolutio Probatur ãns ex dictis ſupra nu. 259. vbi ex doctrina Magiſt. Soto docuimus probationem vnius diffinitionis per aliam non eſſe proceſ-

Digitized by Google

ſum demonſtratiuũ quidditatis rei, ſed eſſe ſyllogiſmum dialecticum. Et idem docuit expreſsè D. Thomas lib. 2. Poſt. lect. 7. vbi expreſsè loquens de hoc modo probandi vnã diffinitionem per aliam, ſic ait. [Nec tamen eſt modus probandi quod quideſt demonſtratiuè, ſed logicè ſyllogizandi, quia non ſufficienter per hoc probatur quòd id, quod concluditur, ſit quod quid eſt illius rei, de qua concluditur, ſed ſolùm quod inſit ei.] Hæc D. Thomas; ex quibus infertur prædictas veritates non eſſe demonſtrabiles, & conſequenter quod probatio allata non ſit ſufficiens ad intentum probandi logicam docentem eſſe ſimpliciter ſcientiam. Præterquam quod, adhuc admiſſo illas veritates ſic demonſtrari, vlterius requirebatur aſſignare in logica alias veritates mediatas, quę per alias immediatas probarentur, & ad hoc eſt neceſſum explicare aliquas paſsiones, quæ demonſtrentur de obiecto logicæ, tàm in communi, quàm in ſuis ſpeciebus.

347. His non obſtantibus probatio communis à nobis allata optima eſt ad intentum. Nam prædictæ veritates demonſtrari poſſunt modo dicto, nam ex eo quod demonſtratio conſtet ex talibus præmiſſis demonſtratur ipſam cauſare ſcientiam. Et ex eo quod ſyllogiſmus dialecticus conſtat ex talibus præmiſſis probabilibus demonſtratur cauſare opinionem, quapropter prędicata contenta in vna diffinitione probatur demõſtratiuè cõuenire ſubiecto, quia cõueniunt ei prædicata contenta in alia. Quod expreſsè docet D. Th. in verbis allegatis, in quibus tãtùm docet, prædicto modo non ſufficienter probari quòd tale prædicatum ſit quidditatiuum, ſed ſolùm cõcludi ſufficienter tale prędicatum conuenire ſubiecto. Igitur non negat illam eſſe demonſtrationem, ſed non demonſtrari per illam prædicatum eſſe quidditatiuum. Idemq; docuit Mag. Soto lib. 2. Poſt. cap. 8. vbi loquens ad intentum ait. Intellige quòd non eſt demonſtratio demonſtrans propriè quod quid eſt. Quia licet conſequentia ſit optima, & ex præmiſſis neceſſarijs demonſtretur concluſionem eſſe neceſſariam, & ſic ſit demonſtratio demonſtrans concluſionem eſſe veram, non tamen demonſtratur, quod prædicatum dicatur in quid. Ex qua doctrina ſequitur ad noſtrum intentum illas veritates verè poſſe demõſtrari, licet non demonſtretur talia prædicata eſſe quidditatiua. Vel poteſt dici cum Caiet. lib. 2. Poſt. cap. 8. illas demonſtrari quoad nos; licet nõ ſecundũ ſe, & quodcunq; ſufficit, vt logica eliciens tales demonſtrationes ſit verè, & propriè ſcientia, quantùm ad omnes ſuas partes. Inſuper obiectum logicæ ſuas habet paſſiones demonſtrabiles à logica, vt conſtabit ex dicendis infra nu. 365.

348. Secunda concluſio. Logica vtens, ſiue accipiatur paſſiuè, ſiuè actiuè, non eſt ſcientia. Hæc concluſio intellecta in ſenſu formali, de logica formaliter determinata ad vſum ſiuè paſſiuum, ſiuè actiuũ, admittitur communiter. Et prima Nam ſi accipiatur, vt eſt vtens paſſiuè, ideſt, quatenus aliæ ſcientiæ vtuntur præceptis, & regulis ab ipſa traditis, non exercet munus aliquod ſcientiæ, ſiquidem non demonſtrat: ergo prout ſic formaliter accepta non eſt ſcientia. Item ſi accipiatur, vt eſt vtens actiuè, talis vſus non eſt actus ſcientificus: ergo ipſa,

Digitized by Google

ipſa, prout vtens actiuè, non eſt ſcientia. Probatur antecedens. Nam vſus logicę actiuus eſt ex probabilibus inferre concluſiones probabiles in aliis ſcientijs; ſuppono enim ex dicendis in conferentia ſequenti, quod logica in parte demonſtratiua non habet vſum actiuum in alijs ſcientijs, ſed talis vſus actiuus, quo generatur opinio ex concluſione probabili, non eſt actus ſcientificus: ergo vſus actiuus logicæ non eſt actus ſcientificus. Vbi aduerte, quod quælibet ſcientia actiuè vtitur præceptis, & regulis logicæ ad demonſtrandum, abſque aliquo influxu actiuo ipſius logicæ, vt dicemus iam, & hac de cauſa dixerunt aliqui quod logica vtens actiuè eſt ſcientia. Sed hoc in hoc ſenſu verum eſt, non tamen eſt ad rem, dum loquimur de vſu ipſius logicæ.

349. Tertia concluſio. Logica docens propriiſſimè eſt ars. Hæc concluſio defenditur à Magiſt. Soto quæſt. 2. proœm. ad. 5. ſequitur cum Magiſt. Joan. à Sancto Thoma quęſt. 1. artic. 1. ſentit autem oppoſitum Colleg. diſcalc. complut. diſp. 1. quæſt. 6. num. 65. aſſerens logicam ſecundum quid, & per quandam analogiam poſſe denominari practicam, & artem. Probatur noſtra concluſio. Nam propria ratio artis conſiſtit in eo, quòd tradat regulas, & pręcepta ad aliquid faciendum, vel operandum, quod indifferens eſt, vt ſic, vel aliter fiat: ſed hoc totum competit logicæ, cum tradat regulas, & præcepta ad faciendas diffinitiones, diuiſiones, & argumentationes, quibus noſter intellectus rectè operatur, cum ex ſe ſit indifferens ad benè, & malè operandum: ergo logica docens propriiſſimè eſt ars. Et confirmatur hoc. Nam ratio artis in communi, prout ſe extendit ad liberales, & mechanicas, non opponitur rationi ſcientiæ, ſed cum illa optimè cohęret: ergo licet logica docens ſit propriè ſcientia, poteſt ſimul habere propriè rationem artis. Probatur antecedens. Nā mathematicę ſunt veræ ſcientiæ, & tamen numerantur inter ſeptem artes, quia docent metiri, & numerare, vt refert D. Tho. opuſc 70. q. 5. art. 1. & 1. 2. qu. 57. art. 3. ad. 3. & refertur à Mag. Soto vbi ſupra: ergo ratio ſcientiæ non opponitur rationi artis. Opponitur autem arti mechanicæ, quæ reſpicit opera ſeruilia pertinentia ad corpus, quod deſeruit animæ, non autem arti liberali, quæ etiam ordinat, & dirigit ipſas operationes interiores animæ, quæ libera eſt, & domina, cui corpus deſeruire debet. Igitur logica docens propriè numeranda eſt inter artes liberales.

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

350. Contra primam concluſionem arguitur primò. Nam ſcientia verè, & propriè debet de ſuo obiecto aliquas paſſiones demonſtrare, cum hoc ſit proprium munus ſcientiæ. Sed logica non ſic demonſtrat, ſi quidem non aſſignabitur aliqua paſſio, quæ de ſuo obiecto demon-

demonſtretur à logica: ergo non eſt verè, & propriè ſcientia. Si dicas cum Gallego ſufficere quòd habeat aliquid loco paſſionum, licet non ſint veræ paſſiones, vt contingit in obiecto Metaphyſicæ, & Theologiæ. In contra eſt. Nam de hoc inquiro, quid eſt, quod ſe habet per modum paſſionis, quod verè demonſtretur de ente rationis in communi, quod eſt obiectum formale logicæ: Explico hoc. Nam ens in communi habet ſuas paſſiones .ſ. veritatem, bonitatem, vnitatem, &c. quæ licet non diſtinguantur realiter ab ente, ſunt tamen veræ paſſiones illius,& de illo demonſtrantur à metaphyſico, & ſimiliter in Deo ſunt plura prædicata attributalia, quæ de ipſo demonſtrantur per eſſentiam, & vnum per aliud in Theologia, quæ verè attributa, & quaſi paſſiones ſunt Dei, ſeu proprietates illius,& verè demonſtrantur, vt dicebamus ſupra num. 202. at in noſtro caſu non aſſignatur aliquid, quod ſe habeat per modum paſſionis obiecti logicæ, quodque de ipſo à priori demonſtretur, licet non per cām, quę ſit verè cā, tamen per aliquid quod ſe habeat, vt ratio formalis, iuxta dicta à nobis dicto num. 202.

261. Ad hoc argumentum varię aſſignantur ſolutiones. Prima aſſerit ens rationis habere ſuas paſſiones, ſed iſtæ ſunt nobis ignotæ. Hęc autem ſolutio reijcitur à Mag. Sanchez lib. 1. quæſt. 17. con. 8. §. Sed contra. Nam ex hoc ſequitur, quod in nobis non ſit ſcientia logicæ. Nam ſcientia eſt, quæ reſoluit paſſiones ſubiecti in ſua principia, & qui non ſcit reſoluere, non ſcit, nec habet ſcientiam: ergo ſi paſſiones entis rationis ſunt nobis ignotæ, etiam erit nobis ignota reſolutio illarum in ſua principia, & tandem erit nobis ignota ſcientia ipſa logicæ: & quidem recurſus ad ignotum, magis eſt fuga difficultatis, & propriam ignorantiam fateri, quam ſolutio argumenti.

262. Secunda ſolutio ait paſſionem entis rationis in communi eſſe oſtenſiuum veritatis, vt aliquid ex natura ſua ordinatum ad talem oſtenſionem, quæ ratio eſt communis omni enti rationis logico, & demonſtratur à logica conuenire ſuo obiecto formali. Ita reſpondet Sanchez ibidem. Idemq; reſpondent alij dicentes paſſionem entis rationis in communi eſſe quod ſit directiuum operationum intellectus. Sed hæc ſolutio etiam videtur non ſatisfacere. Nam eſſe oſtenſiuum veritatis, ſeu directiuum operationum intellectus eſt propria eſſentia, & quidditas ipſius entis rationis, prout conſtituitur in ratione obiecti formalis logicæ: ergo non eſt paſſio demonſtrabilis à logica: patet cōa, quia ratio formalis conſtitutiua obiecti non demonſtratur à ſcientia, ſed ſupponitur; de obiecto enim ſupponit ſcientia quod ſit, & quid ſit. Et āns probatur. Nam finis proprius logicę eſt dirigere operationes intellectus, & oſtendere veritatem præbendo regulas ad diſcernendum verum à falſo, & bonam operationem à mala: ergo ratio formalis conſtitutiua ſui obiecti, eſt eſſe directiuum operationum, & oſtenſiuum veritatis. āns ſupponitur ex dictis num. 241. Et coā probatur. Nam per id conſtituitur formaliter obiectum ſcientiæ, per quod conſtituitur

Digitized by Google

tur pons ad conſequendum finem ſcientiæ: ergo ſi finis logicę eſt dirigere operationes, & veritatem oſtēdere, ratio formalis conſtitutiua ſui obiecti erit eſſe directiuum operationis, & oſtenſiuum veritatis.

363. Tertia ſolutio docet non eſſe neceſſarium quod obiectum in communi habeat paſſiones de ipſo demonſtrabiles, ſed ſufficere quod illius ſpecies habeant ſuas peculiares paſſiones, & ſic contingere in obiecto logicę, quod licet in communi non habeat paſſiones demonſtrabiles de ipſo, habet tamen ſpecies, de quibus demonſtrantur ſuæ paſſiones, verbi gratia, de vniuerſali demonſtratur prędicabilitas, & ſic de alijs ſpeciebus. Impugnatur hęc ſolutio primò. Nam obiectum ſcientię in communi debet eſſe ſcibile, ergo debet habere paſſiones, quæ de ipſo demonſtrentur, in hoc enim conſiſtit ratio ſcibilis, quod habeat connexionem eſſentiæ cum paſſionibus; ergo ſi ens rationis in communi eſt obiectum logicæ, debet eſſe ſcibile, & conſequenter debet habere ſuas paſſiones in communi. Secundò impugnatur. Nam nulla ſcientia aſſignabitur, cuius obiectum in communi non habeat ſuas paſſiones demōſtrabiles à tali ſcientia de obiecto in communi. Tertio. Nam in noſtro caſu vix aſſignatur aliqua paſſio reſpectu alicuius ſpeciei, vt conſtabit legenti authores in hac quæſtione: ergo non videtur ſufficienter ſoluere argumentum. Aliæ autem ſolutiones ad iſtas reduci debent, & idcirco illas omitto, vt meum iudicium expliccem.

364. Inter tàm varios modos dicendi in re, quæ omnibus facilis viſa eſt, mihi autem difficilima, non videbar mihi maximum eſſe abſurdum dicere in logica non ſeruari rigoroſum modum ſcientiæ, qualis inuenitur in alijs ſcientiis, quæ agunt de entibus realibus, quæ nobis nota ſunt, & de quibus, quia experimur multos effectus, colligimus habere pōtentias proximas ad illos, & quia inter effectus videmus ſeruari dependentiam vnius ab alio, idem ſuo modo diſcurrimus de potentiis, & conſequenter inferimus vnam eſſe alia priorem, vnamque ab altera dependere, & ſic vnam per aliam à priori, & propter quid demonſtramus Hoc autem non ita facilè percipi poteſt in entibus rationis, quę tàm longè diſtant à ſenſibus noſtris, & quorum effectus non poſſunt nobis experientia manifeſtari, ideoquè de illis non poſſumus habere ſcientiam cum tanto rigore proprietatis. At ſaluabitur in illa modus quidam ſcientię, quatenus procedit aliquomodo probando, ſeu demonſtrando ſua principia, & præcepta ita vnum per aliud oſtendat, explicet, & confirmet, ſi quidem vnam diffinitionem contentam in vno principio, & documento, explicat, & probat per aliam diffinitionem contentam in alio principio, ſeu documento, vt dictum eſt num. 257. Item aliquas quaſi paſſiones, quæ competunt aliquibus inſtrumentis logicis probat, & oſtendit per ſuas diffinititiones. Et hoc ſufficeret, vt diceretur abſolutè ſcientia modo poſſibili, & quantum ad aliquam ſimilitudinem cum ſcientijs in modo procedendi. Iuuat hoc meum iudicium ſententia quædam, quæ aliquibus Thomiſtis arriſit, iuxta quam diſtinguntur duo habitus in logica, alter, qui ſit ars, cuius munus ſit explicare, & ordinare præ

cepta

cepta, & regulas logicæ, & alter, qui de iſtis plures demonſtrationes cõficiat. Iuuat, inquam, nam ſi propter difficultatem componendi hoc duplex munus, diſtinguunt duos habitus, faciliùs componitur dicendo eſſe vnum, qui ordinet, explicet, & cõfirmet talia principia, illaquè probet modo dicto, & ſimul habeat ſimilitudinem cum artibus, & cum ſcientijs in modo procedendi.

Et videtur hoc eſſe ad mentem D. Thomæ, qui lib 4 metaph. lectio. 4. docens logicam docentem eſſe ſcientiam, id probat, quia procedit modo proprio ſcientiarum, ſcilicet demonſtratiuè, & loquens de logica vtente ait recedere à modo ſciētię, ex quo videtur colligi logicam docentem eſſe ſcientiam, quantùm ad modum procedendi, non tamen ita rigorosè, ſicut alię ſcientiæ. Et hac via fugimus difficultatem, nec tenemur inquirere quas paſſiones habeat ens rationis, tàm in communi, quàm in particulari, cum ſufficiens illi ſit modus procedendi explicando, probando, & confirmando ſua principia modo iam explicato. Quæ omnia elegantiſſimè confirmãtur ſi dicamus cum Caietano illas demonſtrationes, quibus vtitur pręcipuè logica, probando vnam diffinitionem per aliam, eſſe demonſtrationes non ſecundum ſe, ſed quoad nos tantùm. His enim demonſtrationibus contenta ſit noſtra logica, & hac ratione contenti ſimus illam nominæ ſcientię inſignire.

355. Nihilominus proprio iudicio pręferens communem ſententiam Thomiſtarum aſſero logicam docentem eſſe in toto rigore ſcientiam, demonſtrarequè de ſuo obiecto tàm in communi, quàm in particulari ſuas ſpeciales paſſiones. Quapropter ſequens ſolutionem ſecundam adductam nu. 252. dico quod illud ens rationis eſt obiectum logicæ, quod conſequitur modum intelligendi noſtri intellectus, ideoquè obiectum materiale adęquatum eſt ens rationis ſequutum ad talem modum cognoſcendi, & hoc conſtituitur in ratione formali obiecti logicè per hoc quod ſit directiuum operationum intellectus, ſeu regula, per quam poſſit regulare, & rectificare intellectus ſuas operationes, & hoc probat impugnatio allata contra illam ſolutionem Ex hac ratione formali regulæ, ſequitur, vt propria paſſio, potentia proxima ad oſtendendam veritatem, & hæc paſſio demõſtratur à priori, & propter quid de obiecto logicæ in communi, & medium huius demoſtrationis eſt ipſa formalis ratio regulę cuius proprius effectus eſt regulare, ſeu rectificare operationem, ita vt tales conditiones habeat, & ex hoc ſequitur, quod talis regula manifeſtet, ſeù oſtendat veritatem. Et ſicut in quolibet ente rationis ſuo modo inuenitur ratio regulę, ita, & ratio oſtẽſiui veritatis & conſequenter omne ens rationis ſequutum ad operationem intellectus, ſicut participat communem rationem regulæ, ita & propriam paſſionem reſultantem ex ipſa. Inſuper cuilibet enti rationis in ſua ſpecie conuenit propria, & ſpecifica ratio regulandi, & dirigendi, & ex hoc ſequitur ſua ſpecialis põa proxima ad oſtenſionẽ veritatis in ſua linea, & intra ſuam ſphæram, vt conſtabit diſcurrenti per ſingulas ſpecies. Quapropter concludo quod in diffinitionibus logicis continentur ſpeciales modi regulandi vniuſcuiuſquè intellectus, & hac parte dicitur logica

gica

Digitized by Google

gica præceptiua, ſeu regulatiua, quę non diſtinguitur à lumine principiorum, vt ſupra dicebamus. Ex his vero diffinitionibus procedit logica, quæ eſt ſcientia, ad demonſtrandas proprias paſſiones vniuſcuiuſcunq; entis rationis, ac proinde nihil deficit illi, vt cum toto rigore dicatur ſcientia, & vniuocè cũ alijs, quæ agunt de entibus realibus. Ex qua doctrina ſequitur ſolutio multarum obiectionum, quæ, quia faciles ſunt, omittuntur.

356. Arguitur ſecundò principaliter contra primam concluſionẽ. Scientia ſpecificatur, & diſtinguitur per ſuum obiectum formale: ſed illud ens rationis, quod aſſignatur à nobis, vt obiectum formale logicæ, non poteſt illam ſpecificare; & diſtinguere: ergo logica non eſt ſcientia. Ma. eſt certa. Et probatur mi. Nam ens rationis non poteſt dare realem diſtinctionem; eſt .n. imperfectiſſimum, & dare non poteſt quod perfectum eſt, nempè realem ſpecificationem: ergo ens rationis non poteſt ſpecificare, & diſtinguere logicam. Confirmatur hoc. Nam ſi logica eſſet ſcientia, hoc illi realiter conueniret, ſed hoc illi non poteſt realiter conuenire, ſiquidem eius obiectum non eſt aliquid reale, ſed ens rationis inferius ad omne ens reale: ergo logica non eſt ſcientia. Si autem dicas quod licet obiectum ſit ens rationis, tamen ordo logicæ ad illud eſt realis, & ab iſto ordine ſpecificatur, & diſtinguitur logica, qui eſt intrinſecus ipſi, licet obiectum ſit extrinſecum. In contra eſt 1. nam ſi obiectum illius eſt ens rationis, ordo ad illud realis non poteſt eſſe. Eſt .n. eadem ratio. Nam talis ordo debebat ſpecificari, & diſtingui à ſuo termino, quòd eſt obiectum: ergo ſi obiectum eſt ens rationis nõ poteſt ſpecificare, & diſtinguere ordinem realem, & conſequenter non ſtat obiectum eſſe ens rationis, & ordinẽ eſſe realem Secundo. Nam D. Th. in 1. diſtinct. 26. qu. 1. art. 1 ſ docet entis ad non ens non dari relationẽ realẽ, quia hæc petit vtrumq; extremũ realiter exiſtens: ſed ens rationis eſt nõ ens, & non exiſtit realiter: ergo ex parte logicæ non poteſt dari relatio, ſeu ordo realis ad ipſum.

357. Ad hoc argumentum benè dictum eſt. Etenim compatitur optimè obiectum eſſe ens rationis, & terminare ordinem realẽ. Conſtat hoc. Nam de facto datur cognitio aliqua terminata directè, & per ſe ad ens rationis, quæ cognitio realis eſt, & ſpecificatur ab ente rationis. Et ratio à priori eſt. Nã obiectum ſpecificat, & diſtinguit per modum cauſæ formalis extrinſecæ, & hæc non exigit præhabere in ſe id, quod dat, vt requiritur in cauſa efficienti, ſpecificat .n terminando ordinem, quapropter poſt terminare, ſpecificare, & diſtinguere ordinem realẽ. Si autem obijcias quod licet terminet per modum obiecti, tamẽ ordo per ſe tendit ad illud, ab illoq; eſſẽtialiter dependet in ſuo genere: ſed id, quod perfectũ eſt, nõ poteſt per ſe depẽdere ab illo, quod eſt imperfectũ: ergo ordo ille realis nõ poteſt ſpecificari ab ente rationis, nec ab illo realiter diſtingui, ẽt tãquam à cauſa formali extrinſeca, ſiquidẽ hæc poſtulat dependentiam eſſentialem ex parte illius, quod ordinatur, & etiã ex parte ipſius ordinis. Reſpondeo quod quamuis in linea entis ſit imperfectum ipſum ens rationis, tamen in linea intelligibilis, cum exercet munus obiecti, quod dicit rationem

Digitized by Google

menſuræ, & perfectionis, conſideratur, vt quid perfectum reſpectu entis realis, quod ipſum reſpicit, tanquam obiectum. Ex quo patet ſolutio ad primam obiectionem. Et ad 2. reſpondeo 1 D. Thomam loqui de relatione prędicamentali, non autem de tranſcendentali, & hæc ſufficit ad ſpecificationem, logicę, quæ ſicut & alij habitus, & actus, dicit ordinem tranſcendentalem ad ſuum obiectum. Secundò dico D. Thomam loqui de non ente prout ſignificat id, quod non exiſtit actu, ſed eſt intra ſuas cauſas, & ſic ad non ens, id eſt, ad non exiſtens actu non datur relatio prædicamentalis, v. g. ſcientia de roſa, quando roſa non exiſtit; ſolùm dicit relationem tranſcendentalem, & quando roſa actù exiſtit, reſultat prædicamentalis, ſic in noſtro caſu ad ens rationis non exiſtens non datur relatio prædicamentalis, hæc autem reſultat in logica, quando ens rationis actù exiſtit. Si igitur de facto datur relatio tranſcendentalis, quæ perfectior eſt prædicamentali, non eſt ratio cur non detur prædicamentalis exiſtente actù ente rationis. Nec requiritur realis exiſtentia, ſed tantum actualis exiſtentia termini proportionata ſuæ eſſentiæ, ac proinde ſufficiet, quod ens rationis actù exiſtat per exiſtentiam ſibi proportionatam.

358. Arguitur tertiò principaliter ad probandum logicam non eſſe ſimpliciter ſcientiam. Nam illius obiectum non eſt ſimpliciter ſcibile: ergo ipſa non eſt ſimpliciter ſcientia. Probatur antecedẽs. Nam ens rationis non eſt ſimpliciter ens, nec ſimpliciter intelligibile: ergo non eſt ſimpliciter ſcibile. Antecedens ſupponitur. Et cõſequẽtia probatur. Nam ſicut ad entitatem ſequitur intelligibilitas, ita ad entitatem ſecundum quid, ſequitur intelligibilitas ſecundùm quid, ſed etiam ad talem entitatem ſequitur ſcibilitas, quæ eſt intelligibilitas talis, ſcilicet per ſuas cauſas: ergo ſi entitas rationis non eſt ſimpliciter entitas, etiam ſcibilitas ſequuta non erit ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Confirmatur. 1. Nam à ſuperiori ad inferius cum eodem addito eſt bona cõa, v. g. benè ſequitur: Eſt animal album, ergo eſt homo albus. Sed ratio entis eſt ſuperior ad rationem ſcibilis, cum omne ſcibile ſit ens, non tamen omne ens ſit ſcibile, ergo bene ſequitur eſt ens ſecundùm quid, ergo ita ſcibile. Confirmatur 2. Nam nulla ratio vniuoca poteſt eſſe communis enti reali, & rationis, ſed ſcibilitas eſt ratio communis enti reali, & rationis; ergo non eſt vniuoca, ſed analoga. Tunc vltra, ſed ratio analoga participatur ſimpliciter ab vno, & ab altero ſecundùm quid: ergo ratio ſcibilis participatur ſimpliciter ab ente reali, quod eſt analogatum principalius, & ab ente rationis participatur ſecundùm quid, ſicut participatur ratio entis, quæ analoga eſt vtrique.

359. Ad hoc argumentum. Reſpondet Magiſter Ioan à Sancto Thoma quæſt. 1. artic. 3. quod ens rationis non eſt intelligibile, aut ſcibile quaſi ſubiectiuè, ratione intrinſecæ entitatis, quæ ſit ſubiectum intelligibilitatis, ſeu ſcibilitatis, ſed tamen eſt cognoſcibile, ſeu ſcibile, quaſi obiectiuè; quia obiectiuè, id eſt, per modum obiecti poteſt fundare cognoſcibilitatem, & hoc ſufficit, vt ſimplici-

ter

ter ſit cognoſcibile. Et adducit exemplum. Nam poſſibile dicitur dupliciter, vel intrinſecè, & per potentialitatem, quam ſubiectum habet, vel extrinſecè, quia obiectiuè ſe habet ad potentiam effectiuã Dei; & tamen vtrumq; eſt ſimpliciter, & vniuocè poſſibile, vt docet D. Thomas 1. par. quæſt. 9. art. 2. in corp.. Ita ait dicendum eſſe in noſtro caſu. Hæc autem ſolutio vim argumenti non euacuat. Et ſic oſtendo 1. quia prius eſt, quod ens rationis habeat entitatem, quàm cognoſcibilitatem, & vtramquè habet per modum obiecti, cum totum eſſe illius ſit eſſe tantùm obiectiuè in intellectu, vt conſtat ex dictis ſupra num. 24. Et intelligibilitas noſtro modo intelligendi ſubiectatur in ipſa entitate, vt potè paſſio illius, ſicut intelligibilitas entis realis ſubiectatur in ipſa entitate, cuius conſideratur, vt paſſio. Ergo ſicut ens reale dicitur intelligibile, quaſi ſubiectiuè, ideſt, ratione entitatis, ad quam ſequitur intelligibilitas, ita ens rationis erit intelligibile ſubiectiuè, ratione ſuæ entitatis, ad quam ſuo modo ſequitur ſua intelligibilitas, cum hac tantùm differentia, quod entitas, & intelligibilitas entis realis inueniuntur à parte rei, & entitas, & intelligibilitas entis rationis ſolùm reperiuntur obiectiuè in noſtro intellectu. Et tunc reſtat ſoluenda difficultas, quomodo ad entitatem ſecundùm quid, entis rationis, ſequatur intelligibilitas, ſeu ſcibilitas ſimpliciter.

Secundò obijcitur ex ſuo exemplo. Nam implicat intelligere illam extrinſecam denominationem poſſibilis, quin ex parte obiecti ſit aliquod ſubiectum, quod denominetur poſſibile, & ita contingit; nam antichriſtus modò dicitur poſſibilis à diuina omnipotentia, cæterum ipſe antichriſtus ratione ſuorum prædicatorum, quæ dicunt non repugnantiam ad eſſendum, ſeu exiſtendum, eſt ſubiectum denominatum poſſibile. Et quidem non alia ratione ab æterno homo fuit poſſibilis, & chymera non fuit poſſibilis, niſi quia ex parte illius erat capacitas, quaſi ſubiectiua, vt eſſet, & denominaretur poſſibilis à diuina omnipotentia, & ex parte chymeræ hoc non inueniebatur: ſi quidem ex parte Dei non eſt deffectus potentię, ſed ex parte termini eſt deffectus capacitatis. D. Thomas autem ſolum intendit dicere quod aliquando denominatio poſſibilis ſumitur ſolùm à potentia Dei, vt à forma denominante, non autem negat ex parte rei poſſibilis aliquid, quod ſe habeat, vt ſubiectum illius denominationis, quod eſt illud eſſe obiectiuum, ſiue ſit poſitiuum, ſiue ſola non repugnantia, quod denominatur poſſibile: ergo idem cum proportione dicendum eſt de intelligibilitate entis rationis, ſcilicet præſupponere entitatem, quaſi ſubiectum.

360. Relicta hac ſolutione, vt reſpondeatur argumento notanda eſt doctrina à nobis poſita in ſummulis nu. 99. & ſeq. Quam etiam docuit idem Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma in logica quæſt. 22. artic. 5. & Magiſt. Arauio lib. 2. met. art. 2. num. 12. quòd ea, quæ in vno genere maxime differunt, ſi transferantur ad aliud genus, poſſunt vniuocè conuenire, ita vt ratio illa communis ſimpliciter in illis inueniatur. Qua propter licet ens rationis ſit in linea eſſendi ſecundùm quid:

Digitized by Google

tamen eius intelligibilitas tranſlata ad genus ſcibilis poteſt eſſe ſimpliciter. Videatur doctrina à nobis ibidem num. 101. tradita ne repetitio faſtidium generet. Ex quo patet ad ſecundam confirmationem. Et ad primam reſpondeo genus entis non eſſe ſuperius eſſentialiter ad genus ſcibilis, ſed tantum præſupponi eſſentialiter. Et tunc valet ille modus arguendi, quando fit inter ſuperius, & inferius eſſentialiter, non autem quando fit tranſitus de vno genere in aliud, v.g. non valet, accidens eſt ens ſecundum quid: ergo eſt ſcibile ſecundum quid, & ita argumentatur in confirmatione.

361. Arguitur 4. principaliter contra concluſionem 3. ex Colleg. diſcalc. complut. diſp. 1. quæſt. 6. Nam D. Thomas 12. qu. 57. art. 3. ad 2. loquens de habitibus ſpeculatiuis, qui ordinantur ad aliquod opus conſtruendum, putà ſyllogiſmum, aut orationem, ait tales habitus dici per quandam ſimilitudinem artes: ſed logica eſt huiuſmodi, ergo non eſt ſimpliciter ars, ſed tantùm per quandam ſimilitudinem. Et ſuadet ratio. Nam ratio ſcientiæ, & artis inter ſe valde diſtinguuntur, tùm ex parte ſubiecti, nam ſcientia ſubiectatur in intellectu ſpeculatiuo, & ars in intellectu practico, vt conſtat ex dictis ſupra num. 237. tùm ex parte modi procedendi, quia ſcientia procedit modo reſolutiuo, & ars modo compoſitiuo, vt dicebamus ſupra num. 19. quæ prædicata valde diuerſa ſunt, & vni habitui ſimul conuenire non poſſunt: ergo ſi logica, eſt ſimpliciter ſcientia, non poteſt eſſe ſimpliciter ars, ſed tantùm ſecundùm quid, & ſimilitudinariè, vt dicebat D. Thomas.

362. Ad hoc argumentum reſpondeo ex doctrina Mag. Ioann. à Sancto Thoma, & Magiſt. Soto, quòd ratio formalis artis in eo præcisè conſiſtit, quod tradat regulas, & præcepta ad conficiendum aliquid, quod ex ſe erat indifferens, vt ſic vel aliter fieret, ſiue hoc inueniatur in ipſis operationibus intellectus, ſiue in rebus ad extra, qua ratione etiam artes liberales ſunt ſimpliciter artes. Ad authoritatem D. Thomæ reſpondeo artes liberales, inter quas numerantur habitus illi ſpeculatiui, qui reſpiciunt illud opus rationis, vocari à D. Thoma artes ſimilitudinariæ ex parte materiæ, nam opus artis mechanicæ totaliter eſt ſeruile; & ideo magis ſubditur imperio, & directioni ipſius artis, at opus rationis, cum ſit minus ſeruile, minus ſubijcitur tali directioni. Et addo dici ſimilitudinariè artes, quia mechanicæ ſunt nobis magis notæ, & per ſimilitudinem ad illas, cognoſcitur ratio artis in illis habitibus ſpeculatiuis. In quibus ex parte rationis formalis ipſius artis nulla eſt ſimilitudo deficiens, ſeu analogia, ſed omnimoda conuenientia cum artibus mechanicis. Ad rationem reſpondeo ſcientiam, & artem abſolutè non diſtingui ex parte ſubiecti, nam ars ex ſua formali ratione poteſt pertinere ad intellectum ſpeculatiuum, dicitur autem eſſe in intellectu practico ratione applicationis rationis formalis ad opus, in qua applicatione eſt aliqua ſimilitudo cum intellectu practico, fieri tamen poteſt ab intellectu ſpeculatiuo, quando ratio for[illegible] applicatur operi interno. [illegible]r artem eſſe in intellectu

prac-

Digitized by Google

practico propter artes mechanicas, quæ ibi ſubiectantur, & ſunt nobis notiores. Rurſus de ratione formali artis non eſt procedere modo compoſitiuo, ſed tantùm tradere regulas, & præcepta ad aliquid faciendum, vel operandum, ſiuè illa tradat modo compoſitiuo, ſiuè modo reſolutiuo. Et per hæc patet ad rationem adductam.

CONFERENTIA 4.

Vtrum logica docens, & vtens diſtinguantur realiter, & an uſus actiuus reperiatur in omni ſui parte.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

363. DVo in hac conferentia explicanda ſunt, alterũ circa diſtinctionẽ logicæ docentis, & vtentis, quæ, & qualis ſit. Alterũ circa vſum illius tàm in propria materia, quàm in materia aliarũ ſcientiarũ. Ad cuius intelligentiã nota. 1. ex dictis ſupra nu. 9. quòd logica dicitur docẽs, quatenus tradit præcepta, & regulas ad cõficienda inſtrumẽta rationis, quę non ſolùm tradit ſimpliciter docendo præcepta, ſed ẽt illa probando, cõfirmando, & ſimul demonſtrando plures paſsiones logicales, vt dicebamus nu. 265. & totũ hoc vocatur doctrina, & idcirco dicitur logica docẽs. Cumq; tradat doctrinã tũ ad conficiendam demonſtrationẽ, tùm ſyllogiſmũ dialecticũ, tùm ſophiſticũ, cõſequens eſt, vt in omni ſua parte inueniatur doctrina, ac proinde reſpectu omnium dicatur docens.

364. Nota 2. quod logica vtens poteſt accipi dupliciter, vel ita vt ly, vtens, ſumatur merè paſsiuè, quatenus aliæ ſcientiæ vtuntur actiuè ipſa logica, vt explicui ex Mag. Soto ſup. nu. 9. ideſt, quatenus aliæ ſcientiæ applicãt ad opus regulas, & præcepta tradita à logica, illa exercẽdo in proprijs materiis. Vel poteſt ſumi ly, vtens, actiuè, quatenus ipſa logica eliçit actiuè ipsũ vsũ, hoc eſt, quatenus ſua precepta applicat ad opus, exercẽdo illa tàm in propria materia, quã in materia aliarũ ſcientiarũ. Quo ſuppoſito certũ eſt quòd logica in propria materia habet vsũ actiuũ in omni ſua parte, tàm demõſtratiua, quã dialectica, & ſophyſtica, nã ad tradẽda præcepta ſua vtitur ẽt præceptis, & regulis à ſe traditis; ſiquidẽ ipſa conſtruit diffinitiones, ſyllogiſmos dialecticos, & ſophiſticos in propria materia, ſiquidẽ demonſtrat plura de ſuo obiecto, vt dicebamus ſup nu 264. & 265. & plura alia probabiliter concludit, & alia ſophyſticè, vt contingit in alijs ſciẽtiis, ac proinde in omni ſua parte reſpectu proprie materiæ habet doctrinã, & vsũ, diciturq; docens, vt tradens præcepta, & vtens, vt applicans illa ad propriam materiam, verùm tamen quòd reſpectu propriæ materiæ nõ dicitur logica propriè vtens Nã vſus, quo denominatur logica vtẽs, debet eſſe diſtinctus à doctrina, ita vt per ipſum vſum

forma-

Digitized by Google

tamen eius intelligibilitas tranſlata ad genus ſcibilis poteſt eſſe ſimpliciter. Videatur doctrina à nobis ibidem num. 101. tradita ne repetitio faſtidium generet. Ex quo patet ad ſecundam confirmationem. Et ad primam reſpondeo genus entis non eſſe ſuperius eſſentialiter ad genus ſcibilis, ſed tantum præſupponi eſſentialiter. Et tunc valet ille modus arguendi, quando fit inter ſuperius, & inferius eſſentialiter, non autem quando fit tranſitus de vno genere in aliud, v. g. non valet, accidens eſt ens ſecundum quid: ergo eſt ſcibile ſecundum quid, & ita argumentatur in confirmatione.

361. Arguitur 4. principaliter contra concluſionem 3. ex Colleg. diſcalc. complut. diſp. 1. quæſt 6. Nam D. Thomas 12. qu. 57. art. 3. ad 2. loquens de habitibus ſpeculatiuis, qui ordinantur ad aliquod opus conſtruendum, puta ſyllogiſmum, aut orationem, ait tales habitus dici per quandam ſimilitudinem artes: ſed logica eſt huiuſmodi, ergo non eſt ſimpliciter ars, ſed tantùm per quandam ſimilitudinem. Et ſuadet ratio. Nam ratio ſcientiæ, & artis inter ſe valde diſtinguuntur, tùm ex parte ſubiecti, nam ſcientia ſubiectatur in intellectu ſpeculatiuo, & ars in intellectu practico, vt conſtat ex dictis ſupra num. 237. tùm ex parte modi procedendi, quia ſcientia procedit modo reſolutiuo, & ars modo compoſitiuo, vt dicebamus ſupra num. 19. quę prædicata valde diuerſa ſunt, & vni habitui ſimul conuenire non poſſunt: ergo ſi logica eſt ſimpliciter ſcientia, non poteſt eſſe ſimpliciter ars, ſed tantùm ſecundùm quid, & ſimilitudinariè, vt dicebat D. Thomas.

362. Ad hoc argumentum reſpondeo ex doctrina Mag. Ioann. à Sancto Thoma, & Magiſt. Soto, quòd ratio formalis artis in eo pręciſè conſiſtit, quod tradat regulas, & præcepta ad conficiendum aliquid, quod ex ſe erat indifferens, vt ſic vel aliter fieret, ſiue hoc inueniatur in ipſis operationibus intellectus, ſiue in rebus ad extra, qua ratione etiam artes liberales ſunt ſimpliciter artes. Ad authoritatem D. Thomæ reſpondeo artes liberales, inter quas numerantur habitus illi ſpeculatiui, qui reſpiciunt illud opus rationis, vocari à D. Thoma artes ſimilitudinariæ ex parte materiæ, nam opus artis mechanicæ totaliter eſt ſeruile; & ideo magis ſubditur imperio, & directioni ipſius artis, at opus rationis, cum ſit minus ſeruile, minus ſubijcitur tali directioni. Et addo dici ſimilitudinariè artes, quia mechanicæ ſunt nobis magis notæ, & per ſimilitudinem ad illas, cognoſcitur ratio artis in illis habitibus ſpeculatiuis. In quibus ex parte rationis formalis ipſius artis nulla eſt ſimilitudo deficiens, ſeu analogia, ſed omnimoda conuenientia cum artibus mechanicis. Ad rationem reſpondeo ſcientiam, & artem abſolutè non diſtingui ex parte ſubiecti, nam ars ex ſua formali ratione poteſt pertinere ad intellectum ſpeculatiuum, dicitur autem eſſe in intellectu practico ratione applicationis rationis formalis ad opus, in qua applicatione eſt aliqua ſimilitudo cum intellectu practico, fieri tamen poteſt ab intellectu ſpeculatiuo, quando ratio formalis applicatur operi interno. Vel dicitur artem eſſe in intellectu prac-

practico propter artes mechanicas, quæ ibi ſubiectantur,& ſunt nobis notiores. Rurſus de ratione formali artis non eſt procedere modo compoſitiuo, ſed tantùm tradere regulas, & præcepta ad aliquid faciendum, vel operandum, ſiuè illa tradat modo compoſitiuo, ſiuè modo reſolutiuo. Et per hæc patet ad rationem adductam.

CONFERENTIA 4.

Vtrum logica docens, & vtens distinguantur realiter, & an uſus actiuus reperiatur in omni ſui parte.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

363. DVo in hac conferentia explicanda ſunt, alterũ circa diſtinctionẽ logicæ docentis,& vtentis,quæ, & qualis ſit. Alterũ circa vſum illius tàm in propria materia, quàm in materia aliarũ ſcientiarũ. Ad cuius intelligentiã nota. 1. ex dictis ſupra nu.9. quòd logica dicitur docẽs, quatenus tradit præcepta, & regulas ad cõficienda inſtrumẽta rationis,quę non ſolùm tradit ſimpliciter docendo præcepta,ſed ẽt illa probando, cõfirmando, & ſimul demonſtrando plures paſsiones logicales, vt dicebamus nu. 265. & totũ hoc vocatur doctrina, & idcirco dicitur logica docẽs. Cumq; tradat doctrinã tũ ad conficiendam demonſtrationẽ, tùm ſyllogiſmũ dialecticũ,tùm ſophiſticũ,cõſequens eſt,vt in omni ſua parte inueniatur doctrina, ac proinde reſpectu omnium dicatur docens.

364. Nota 2. quod logica vtens poteſt accipi dupliciter, vel ita vt ly, vtens,ſumatur merè paſsiuè,quatenus aliæ ſcientiæ vtuntur actiuè ipſa logica,vt explicat ex Mag.Soto ſup. nu. 9. ideſt,quatenus aliæ ſcientiæ applicẽt ad opus regulas, & præcepta tradita à logica,illa exercẽdo in proprijs materijs. Vel poteſt ſumi ly,vtens,actiuè,quatenus ipſa logica elicit actiuè ipſũ vsũ,hoc eſt, quatenus ſua pręcepta applicat ad opus, exercẽdo illa tàm in propria materia,quã in materia aliarũ ſcientiarũ. Quo ſuppoſito certũ eſt quòd logica in propria materia habet vsũ actiuũ in omni ſua parte, tàm demõſtratiua,quã dialectica,& ſophyſtica, nã ad tradẽda præcepta ſui vtitur ẽt præceptis, & regulis à ſe traditis; ſiquidẽ ipſa conſtruit diffinitiones, ſyllogiſmos dialecticos, & ſophiſticos in propria materia,ſiquidẽ demonſtrat plura de ſuo obiecto, vt dicebamus ſup nu 264. & 265. & plura alia probabiliter concludit,& alia ſophyſticè, vt contingit in alijs ſciẽtijs,ac proinde in omni ſua parte reſpectu propriæ materiæ habet doctrinã,& vsũ,diciturq; docens, vt tradens præcepta,& vtens, vt applicans illa ad propriam materiam, verùm tamen quòd reſpectu propriæ materiæ nõ dicitur logica propriè vtens Nã vſus,quo denominatur logica vtẽs,debet eſſe diſtinctus à doctrina, ita vt per ipſum vſum forma-

Digitized by Google

formaliter non doceat, ſed potius operetur iuxta illam, & ideo ſolet vocari logica vtens altero nomine logica rebus concreta, vt aduertit Collegium diſcalc. in loco citato num. 275. Relinquitur modo diſputandum, an reſpectu aliarũ ſcientiarum habeat aliquem vſum actiuum, & qualis iſte ſit, & reſpectu cuius partis, ita vt ipſa logica actiuè applicet ſua præcepta, & regulas materijs aliarum ſcientiarum introducendo in illis formam ſyllogiſticam, & deinde videbimus diſtinctionem docentis, & vtentis, an ſit realis, vel formalis, vel rationis.

365. Circa primum eſt prima ſententia aſſerens vſum actiuum logicæ inueniri in omni ſua parte, ita vt actiuè concurrat ad formandum ſyllogiſmum dialecticum ad probandam aliquam veritatem in alijs ſcientijs, & etiam ad conficiendam quamlibet demonſtrationem, habeat ſuum influxum actiuum, quantum ad introducendam formam demonſtrationis in materia. Hanc ſententiam defendit P. Rubio in logica quæſt. 3. quam ſequuntur M. Sanchez in log. qu. 5. & 8. Mag. Araujo lib. 2. metaph. quæſt. 3. art. 2. num. 23. Gallego in logica controu. 2 in principio. Secunda ſententia docet logicam habere vſum actiuum reſpectu partis topicæ, & ſophiſticæ, ita vt actiuè concurrat ad eliciendum quẽlibet ſyllogiſmum dialecticum, quo aliqua veritas probabiliter infertur in alijs ſcientijs, negat autem hunc actiuum influxum circa demonſtrationes factas in alijs ſcientijs, & conſequenter logicæ ſolùm tribuit influxum directiuum, & regulatiuum ad conficiendum demõſtrationem, quam effectiuè format quælibet ſcientia in ſua propria materia, ſuppoſita directione, & regulis traditis ab ipſa logica. Ita docent P. Fonſeca lib. 2. metaph. cap. 3. quæſt. 1. ſect. 6. Conimbricenſes in logic. qu 4. art. 2. Colleg. Complut. diſcalc. diſp. 1. quæſt. 4. num. 38. & elegantiſſimè docet nu. 42. quomodo vſus actiuus in parte topica tribuatur ipſi logicæ. Mag. Ioann. à Sancto Thoma quæſt. 1. artic. 5. P. Vallius in logic. Prologom. parte 2. quæſt. 4. capit. 12. Et in hanc ſententiam videtur inclinare Magiſt Soto, dum quæſt. 2. loquens de logica vtente, ait: Accipitur enim hic logica vtens, paſſiuè, ideſt, qua vtuntur tractatores aliarum ſcientiarum, v. g. logica docet cõam de Barbara, eſſe euidentem, & quatenus Geometra vtitur illo principio, vt formet cõam in Barbara, eſt logica vtens. Ita docet Magiſt Soto, in quibus videtur docere hanc ſecundam ſententiam. Quam etiam defendunt in re Mag. Cab & P. Mer. qui dicunt habitus aliarum ſcientiarum producere ſuas illationes ordinatè, & hac ratione tales habitus vocant logicam vtentẽ, vt refertur à Mag. Ioann. à Sancto Thoma q. 1. art. 5. concl. vltima,

366. Circa ſecundam partem, nempè diſtinctionem logicæ docentis, & vtentis, eſt prima ſententia aſſerens eſſe duos habitus realiter diſtinctos. Pro hac ſententia ſolent referri P. Suarez in 2. tom. Metaph. diſp. 44. ſect. 1. & ſect. 13. num. 19. & P. Vazquez 1. par. diſp. 8. cap. 5. quatenus docet docentem eſſe ſpeculatiuam, & vtentem eſſe practicam, quod non poteſt verificari ſine diſtinctione reali.

reali. Nihilominus exiſtimo prædictos Doctores talem ſententiam non docuiſſe. Nam P. Suarez in ſect. 1. vt refertur à Mag. Arauio non meminit logicæ. Et in ſect. 13. vt refertur à Galleg. ait logicam eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam, quamuis ex parte ſit practica, eo quòd dirigit operationes intellectus, vt artificiosè fiant, vnde colligit rectè appellari artem liberalem, & addit quod ad hanc directionem multa, & ferè maiori ex parte contemplatur purè ſpeculatiuè, & ipſam directionem magis facit ſpeculando, quam practicè inſtruendo intellectum quomodo debeat operari, & refert Herbæum quodlib. 1. quæſt. 3. Hæc eſt doctrina Patris Suarez, ex qua potiùs colligitur eſſe vnū realiter habitum, quam duos. Item P. Vazquez ſolum docet logicam eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam, cæterùm contendit explicare, & defendere poſſe vnum habitum ſimul eſſe practicum, & ſpeculatiuum, vt hoc etiam ſaluet in Theologia noſtra. Poterant referri pro hac ſententia authores illi, qui dicunt habitus aliarum ſcientiarum eſſe logicam vtentē in propria materia. At ſuppoſito quòd tales vſus actiuè ſolùm proueniant ab illis habitibus optimè dicunt, quidquid ſit an rectè dicantur logica vtens, non autem ad rem noſtram reſpondent, in qua ſolùm eſt difficultas an præter habitum logicæ docentis debeat poni alius realiter diſtinctus, qui ſit logica vtens, & diſtinguatur etiam ab habitibus aliarum ſcientiarum. Et in hoc ſenſu non inueni aliquem authorem aſſerentem partem affirmatiuam, audiui tamen aliquos modernos illam docuiſſe in manuſcriptis aſſerentes dari vnum habitum, qui ſit ars & vocetur logica vtens, & alium qui ſit ſcientia, & dicatur logica docens.

367. Secunda ſententia ait logicam docentem, & vtentem non diſtingui realiter, diſtinctione rei à re, benè autem diſtinctione reali formali, vt diſtinguitur albedo à ſimilitudine. Ita docet Mag. Sanchez lib. 1. qu. 6. concl. 2. in cuius fine docet hæc communiter doceri in noſtra ſchola. Tertia ſententia aſſerit logicam docentem, & vtentem diſtingui ſola ratione in ordine ad diuerſos actus ordinatos inter ſe ſub eadem ratione formali Et hanc defendunt communiter Thomiſtæ. Flandria lib. 2. metaph. quæſt. 5. art. 2. Soto in quæſt. 2. proæmiali. Nauarrete 1. par. contr. 10. Arauio lib. 2. metaph. quæſt. 2. artic. 2. Maſsius ſect. 1. quæſt. 4. Sanchez, Gallego, Salablanca, Colleg. diſcalc. & Magiſt. Ioann. à Sancto Thoma in locis iam allegatis, quapropter fallitur Magiſt. Sanchez dum ait ſecundam ſententiam communiter defendi in noſtra ſchola.

§. 2.

Eligitur vera ſententia de vſu logicæ.

368. Pro reſolutione veritatis ſit concluſio. 1. Logica non habet vſum actiuum in parte demonſtratiua, benè autem in parte topica, & ſophiſtica. Ideſt, logica non concurrit effectiuè ad formandas demonſtrationes, quæ fiunt in aliis ſcientiis, concurrit tamen

tamen actiuè ad ſyllogiſmos dialecticos, & ſophiſticos, qui fiunt ad probandas aliquas veritates probabiliter in alijs ſcientijs. Hæc concluſio defenditur ab authoribus relatis ſupra num. 275. pro ſecunda ſententia. Et ſanè meo videri eſt expreſſa mens D.Thomæ, qui lib 4. metaph. lect. 4. ſic ait. (Dialectica poteſt conſiderari ſecundum quod eſt docens, & ſecundum quod eſt vtens. Secundùm quidem quod eſt docens, habet conſiderationem de iſtis intentionibus, inſtituens modum, quo per eas procedi poſſit ad concluſiones in ſingulis ſcientijs probabiliter oſtendendas, & hoc demonſtratiuè facit, & ſecundùm hoc eſt ſcientia. Vtens verò eſt ſecundùm quod modo adiuncto vtitur ad concludendum aliquid probabiliter in ſingulis ſcientijs, & ſic recedit à modo ſcientiæ. Et ſimiliter dicendum eſt de ſophiſtica, quia prout eſt docens, tradit per neceſſarias, & demonſtratiuas rationes modum arguendi apparenter. Secundum verò quod eſt vtens, deficit à proceſſu veræ argumentationis. Sed in parte logicæ, quę dicitur demonſtratiua, ſolùm doctrina pertinet ad logicam, vſus verò ad phyloſophiam, & ad alias particulares ſcientias, quæ ſunt de rebus naturæ. Et hoc ideò, quia vſus demonſtratiuę conſiſtit in vtendo principijs rerum, de quibus fit demonſtratio, quæ ad ſcientias reales pertinet, non vtendo intentionibus logicis. Et ſic apparet quod quædam partes logicæ habent ipſam ſcientiam, & doctrinam, & vſum, ſicuti dialectica tentatiua, & ſophiſtica: quædam autem doctrinam, & non vſum.) Hæc D. Thomas. Ex quibus clarè conſtat mens D. Thomæ aſtruentis vſum non inueniri in parte demonſtratiua, ſed ſolam doctrinam, & in parte topica, & ſophiſtica inueniri doctrinam, & vſum. Quid Clarius?

369. Ad hæc reſpondet 1. Sanchez lib. 1. quæſt. 5. quod quando D.Thomas ait vſum demonſtrationis phyloſophicæ pertinere ad phyloſophiam, intelligitur ratione materiæ, quia ipſa præbet materiam, in qua à logica introducatur forma demonſtrationis, & differentiam aſſignatam à D. Thoma inter partem topicam, & demonſtratiuam in eo conſiſtere quod ratione partis topicæ aliquando procedit in alijs ſcientijs non ſolùm prębendo formam, ſed etiam aliquas præmiſſas proprij ſubiecti, ſecundùm quas probabiliter argumentetur in alijs ſcientijs, & tunc talis argumentatio, etiam ratione materię, pertinet ad logicam. At pars demonſtratiua ſolùm præbet formam, & reſpectu huius non negat D. Thomas vſum actiuum. Hanc ſolutionem ſequitur Gallego ex P. Rubio. Idem Sanchez ibidem quæſt. 8. con. 1. docet. 2. ideo D. Thomam prębere logicæ vſum quoad partem topicam, & non quoad demonſtratiuam, quia in illa magis clarè patet vſus logicæ, eo quod dum probabiliter diſputamus in alijs ſcientijs, non interuenit aliquis actus ſcientificus, quando autem eſt vſus partis demonſtratiuę, inuenitur actus ſcientificus alterius ſcientiæ, & ideo non ita clarè conſtat vſus ipſius logicæ.

370. Neutra tamen ſolutio ſatisfacit; non prima. Nam licet

vera

vera ſit doctrina tradita in tali ſolutione, nempè quòd multoties ſyllogiſmi dialectici pertinent ad logicam non ſolum ratione formæ, ſed etiam ratione materiæ, quæ eſt propria logicæ, tamen ex hoc infert D. Thomas quod vſus pertineat ad logicam tunc, & non quando procedit demonſtratiuè, quia tunc, ait D. Tho. talis vſus pertinet ad alias ſcientias: ergo iuxta menté D. Th. tunc ſolum inuenitur vſus actiuus logicæ quando non ſolùm forma, ſed etiam materia pertinet ad logicam. Et hoc eſt noſtrum intentum. Si n. D. Thom. agnoſceret alium vſum actiuum logicæ ad introducendam formam, ſanè illum explicaret maximè quando intendebat docere modum quem ſeruat logica reſpectu aliarum ſcientiarum, & quomodo diſtinguatur ipſa, vt docens, & vt vtens. Nec ſatisfacit ſecunda ſolutio. Nam ponit excluſiuam dicendo, quod in parte topica inuenitur doctrina, & vſus, & in parte demonſtratiua inuenitur ſola doctrina, & non vſus, ſi autem vſus in parte demonſtratiua inueniretur, licet nobis non eſſet ita notus, non poneret excluſiuam, ſed procederet exemplificando in parte topica, vt ex iſtius vſu nobis magis noto colligeremus vſum partis demonſtratiuæ nobis non ita notum.

-1 r Probatur ratione noſtra concluſio, quatenus docet logicam non concurrere actiuè ad demonſtrationem alterius ſcientiæ. Nam influxus logicæ reſpectu aliarum ſcientiarum eſt merè directiuus, ſeu regulatiuus: ergo ipſa logica actiuè non concurrit ad actus aliarum ſcientiarum. Probatur antecedens. Nam eatenùs logica eſt neceſſaria ad alias ſcientias, quatenus præbet regulas, & præcepta, vt rectè, & diſpoſitè operemur, vt conſtat ex dictis ſupra à num. 238. at influxus iſte eſt merè regulatiuus, ſeu directiuus: ergo, &c. Pr. m. exemplis adductis à Magiſt. Ioann. à Sancto Thoma. Nam artes Architectonicæ dirigunt alias inferiores abſque eo quòd actiuè concurrant ad actus artium inferiorum. Et prudentia dirigit virtutes morales, in quarum actus non influit actiuè, ſed directiuè; ſeu regulatiuè, & ratio à priori eſt. Nam influunt ſufficienter per hoc quòd tradantur regulæ, & præcepta ab ipſis, quibus inferiores conformentur in elicientia actiua ſuorum actuum: ergo influxus ille, quo logica præbet præcepta, & regulas rectę operationis, eſt directiuus, ſeu regulatiuus, & non actiuus. Confirmatur, & explicatur. Nã demonſtratio. v. g. facta in Phyloſophia quoad ſubſtantiã actuum, quæ deſumitur ex obiecto pertinet ad Phyloſophiã, & ſola forma ſyllogiſtica pertinet ad logicã; ergo ſola Phyloſophia eſt ſufficiens principiũ ad eliciendam actiuè illam demonſtrationem, quoad ſubſtantiam, ſeu ſpeciem actuum, quæ deſumitur ex obiecto. Tunc vltra. Sed forma illa ſyllogiſtica, quæ ad logicã pertinet, non ſit per ſe ab aliqua cauſa, ſed reſultat, ſeu ſequitur ad cognitionẽ obiecti; vt conſtat ex dictis ſupra num. 242. ergo ad illam non eſt neceſſarius influxus actiuus aliquis, ſed ſufficiet regulatiuus, ſeu directiuus, vt ſ. conſtet an forma illa reſultans ſit cõformis ſuis regulis, & præceptis, ſeu ideę illi, quæ repræſẽtat formam rectę operationis, iuxta dicta ſupra nu. 244. & ſequentibus.

Digitized by Google

Ex dictis ſequitur quòd logica, quantum ad formam ſyllogiſticam; ſiue ſit in parte demonſtratiua, ſiue topica, aut ſophyſtica, habet ſolum influxum directiuum, nam ſicut forma demonſtrationis introducitur ſola directione, quæ fit per regulas, & præcepta, ita forma ſyllogiſmi dialectici, & ſophiſtici eodem modo introducitur, ad primum n. ſufficit doctrina partis demonſtratiuæ, & ad ſecundum ſatis eſt doctrina partis topicæ, & ſophiſticæ.

371. Secunda pars concluſionis, nempè, logicam concurrere actiuè ad ſyllogiſmum dialecticum, pr. Et in primis expreſſè docetur à D. Tho. in verbis adductis nu. 279. ratione autem probatur. Nam ſyllogiſmus dialecticus, de quo hic loquimur, pertinet ad logicam non ſolùm ex parte formæ, ſed etiam ex parte materiæ: ergo talis ſyllogiſmus fit effectiuè, ſeù actiuè à logica, ſiquidem ſyllogiſmus fit effectiuè ab illo hab tu de cuius ſphera eſt ſua propria materia. Probatur antecedens. Nam ſyllogiſmus dialecticus, de quo hic eſt ſermo, eſt ille, quo vtitur logica ad probandum aliquid in alijs ſcientijs, & procedit ex ſecundis intentionibus rationis, quæ explicantur in quampluribus locis dialecticis à nobis ſupra poſitis à num. 274. Quibus infert in alijs ſcientijs probabiliter aliquas veritates: ſed ſecundæ illæ intentiones ſunt propria materia logicæ; ergo talis ſyllogiſmus dialecticus, etiam ex parte materiæ pertinet ad logicam, ac proinde requiritur influxus actiuus ipſius logicæ. Conſulto dixi, [ſyllogiſmus dialecticus, de quo hic loquimur] nam ſunt alij ſyllogiſmi dialectici, quibus inferuntur plures veritates probabiles, qui procedunt ex principijs, & veritatibus non pertinentibus ad ipſam logicam, & reſpectu horum non concurrit logica actiuè; ſed tantùm regulatiuè, ſeu directiuè; præbendo ſcilicet regulas, & præcepta, quibus rectè fiant.

§. 3.

Reſoluitur alia pars de diſtinctione docentis, & vtentis.

372. **S**Ecunda concluſio. Logica docens, & vtens eſt vnus realiter, & formaliter habitus, & ſola diſtinctio rationis interuenit. Hæc concluſio defenditur à Doctoribus relatis nu. 277. & eſt expreſſa D. Thomæ, qui quotieſcunque loquitur de logica docente, & vtente, vtitur reduplicatione, dicens. (Logica in quantùm docens, in quantum vtens, &c.) vt conſtat ex verbis allegatis numer. 279. & alibi ſæpè; ſi autem eſſent duo habitus diſtincti realiter, vel formaliter, abſque reduplicatione nominaret logicam docentem, & vtentem: ergo ſi vtitur reduplicatione, ſentit quod eſt ſola diſtinctio penes diuerſos conceptus, & conſequenter ſola diſtinctio rationis. Probatur ratione communi Thomiſtarum. Nam non ponitur diſtinctus habitus, niſi vbi eſt noua, aut diſtincta difficultas vincenda; ſiqui-

ſiquidem habitus ad hoc requiritur, vt vincatur difficultas, ſed vſus logicæ non dicit difficultatem diſtinctam à doctrina ipſius: ergo ad vſum non eſt ponendus diſtinctus habitus. Pr. mi. Nam media doctrina cognoſcit intellectus quomodo applicare debet regulas, & præcepta logicalia, & quomodo conſtruenda ſunt inſtrumenta ſciendi: ergo nulla difficultas remanet circa vſum, eò vel maximè, quia vſus executioni mandatur ab eadem potentia intellectiua, quæ habet doctrinam. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam quando duo actus continentur ſub eadem ratione formali, & inter ſe dicunt ordinem, poſſunt elici ab eodem principio proximo, & formali, ſed doctrina, & vſus logicæ continentur ſub eadem ratione formali logicæ, & inter ſe dicunt ordinem, nam doctrina antecedit vſum, & iſte præſupponit doctrinam: ergo propter iſtos actus non ſunt diſtinguendi duo habitus. Cæterum, quia actus iſti inter ſe diſtinguuntur, ex ordine ad illos reſultat in habitu duplex conſideratio, ita vt concipiatur vt docens, & vt vtens ab intellectu noſtro, & conſequenter reſultat diſtinctio rationis inter docentem, & vtentem.

373. Aduerte autem, vt conſequenter loquamur, quòd in noſtra ſententia tota doctrina contenta in principijs, & regulis logicæ attingitur à lumine naturali, quod eſt habitus principiorum, qui dicitur logica præceptiua, quatenus, ſuppoſitis ſpeciebus acquiſitis, tradit, & docet prædicta præcepta, & regulas, ac proinde ſicut dicitur logica præceptiua, ita debet dici logica docens naturam, & quidditatem cuiuſcunque inſtrumenti logici, & quomodo fieri debeat. Et idem habitus naturalis, qui docet, eſt ſufficiens ad vſum, & ratione iſtius vſus dicitur logica vtens, & tunc directio prouenit ab eodem habitu: Ita docuimus in ſummulis Conf. 1 nu. 29. Inſuper habitus logicæ, cum per demonſtrationem acquiratur, dicitur docens, quatenus docet veritates demonſtratas, & ideo docuit D. Thom. vbi ſupra, quod in tradendis ſecundis intentionibus, quibus proceditur in alijs ſcientijs, procedit ipſa logica demonſtratiuè, & idcirco dicitur docens, vt demonſtratiuè procedens, cui doctrinæ correſpondet alter vſus actiuus, quo logica procedit probabiliter in alijs ſcientijs ex proprijs principijs, vt dictum eſt.

§. 4.

Proponuntur argumenta, & ſoluuntur.

374. ARguitur 1. Ex Magiſt. Araujo vbi ſupra contra noſtram primam concluſionem. Nam vſus ille logicæ in alijs ſcientijs cauſatur à logica, & non imperatiuè, quia cum ſit ancilla, & famula aliarum ſcientiarum, nequit illis imperare: ergo ſit à logica elicitiuè. Item vſus eſt applicatio alicuius ordinati ad operandum, & ideo (teſte D. Thom. 12. q. 16. art. 1.) proximè, & elicitiuè eſt actus proprius inſtrumenti, & inferioris agentis,

dicemus tract. vlt. Et quamvis videatur eſſe maior facilitas orta ex tali frequentatione, hoc tamẽ prouenit ex vſu ſpecierum, non autem ex augmento habitus. ſicut etiam contingit in eo, qui ſe exercet in aſſenſibus circa principia, qui experitur maiorem facilitatem, quæ ex vſu ſpecierum deſeruientium habitui prouenit, ipſe autem in ſe non augetur, licet poſſit vti facilius ſpeciebus. Si autem loquamur de vſu, qui actiuè prouenit à logica, qui eſt in materia aliarum ſcientiarum probabiliter diſputare, dicendum eſt ipſum habitum logicæ in ſe non augeri, eo quod eſt actus ſecundarius vſus ille, producit tamen in intellectu quandam facilitatem reductiuè pertinentem ad habitum logicę, & ratione illius redditur intellectus promptior, facilior, & expeditior ad ſimiles vſus. Et per hęc patet ad Confirmationem. De quo videatur Magiſt. Ioann. à Sancto Tho quæſt. 1. art. 9. in fine.

CONFERENTIA 5.

An logica ſit ſimpliciter ſpeculatiua, vel practica.

§. 1.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

38. ANte omnia explicandum eſt, quomodo differant practicum, & ſpeculatiuum ſecundùm ſe, vt deueniamus ad reſolutionem præſentis difficultatis; at, quia hoc altioris contemplationis eſt, breuiter tangetur. Præcipua autem differentia deſumitur ex ordine ad finem propriũ, & eſſentialem vniuſcuiuſque. Nam finis ſpeculatiui eſt conſideratio, ſeu contemplatio veritatis. Et ex hoc ſequitur obiectum, vt ſpeculabile, ideſt in ordine ad contemplationem, & modo ſpeculabili, ideſt, conſiderando illius naturam, & proprietates, vt ſic tàm obiectum, quã modus proportionentur fini, quem eſſentialiter reſpicit. Finis autem practici eſt operatio, & ſic eius obiectum debet eſſe operàbile, & modus etiam debet eſſe operabilis, vt hac ratione obiectum, & modus proportionentur fini eſſentiali. Ex quo ſequitur. 1. quod modus ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt reſolutiuus, id eſt, conſiderando vnam veritatem, vt cauſam alterius, ſeu vnam in alteram reſoluendo. Modus autem ſcientiæ practicæ eſt compoſitiuus, nam cùm ordinetur ad operationẽ, & operatio tendat ad aliquid componendum, cõs eſt, vt modus procedendi debeat eſſe compoſitiuus, & hæc differentia in modo procedendi relucet in ipſis principijs, nam principia ſpeculatiua formaliter ſunt ad reſoluendum, & practica formaliter ad componendum, vt notauit Magiſt. Ioann. à Sancto Thom. quæſt. 1. artic. 4. con. 1. at tota hæc differentia oritur ex ordine ad diuerſos fines, vt aduertit M. F. xantes Mariales tom. 1. contr. 32. vbi elegantiſſimè rem hanc illuſtrauit, tùm ex modo loquendi Ariſtot. D. Thom. & ferè omnium Peripateticorum, à quo non licet recedere, nam ſi quis pro ſuo libito, & capite vtitur terminis, nulla

veritas

veritas firma manebit: tum vrgentiſſimis rationibus, quas breuitatis cauſa omitto. Sequitur ſecundò quid ſit praxis, & an inueniatur in intellectu, ſi. n. practicum denominatur à praxi, vtrumque eodem modo explicandum eſt, alterum in concreto, & alterum in abſtracto, neutrum autem inuenitur in ipſo intellectu, ſi intra ſuam ſphæram perſiſtat, ſiquidem totum illius negotium eſt veritatis contemplatio, ſi autem accipiatur quatenus dicit ordinem ad aliam potentiam operatiuam, tunc in illo poteſt inueniri praxis, & hac ratione dicitur quod intellectus extenſione ſit practicus. De quo videantur noſtri Thomiſtæ iam adducendi.

381. Quo ſuppoſito eſt 1. ſententia aſſerens logicam eſſe ſimpliciter practicam, & ſimul ſimpliciter ſpeculatiuam. Pro hac ſententia referuntur Vazquez, Rubio, Hurtado, Capero, Martinez, & alij, inter quos eſt differentia, nam quidam dicunt vtramque rationem practici, & ſpeculatiui conuenire eidem habitui. Alij vero aſſerunt eſſe duos habitus, quorum alter eſt ſpeculatiuus, & practicus alter. Secunda ſententia docet logicam abſolutè, & ſimpliciter eſſe practicam, quam defendunt P. Fonſeca, Conimbricenſes, Murcia, & alij moderni, & antiqui, quos referunt Thomiſtæ iam referendi. Tertia ſententia affirmat logicam eſſe abſolutè, & ſimpliciter ſpeculatiuam. Hanc defendit vniuerſa ſchola Thomiſtarum, & Scotiſtarum, quos referunt, & ſequuntur Colleg. dicale. diſp. 1. quæſt. 6. num. 65. Mag. Ioann. à S. Tho. qu. 1. art. 4. Mag. Araujo lib. 2. metaph. quæſt. 3. art. 2. nu. 18. & 19. Inter quos Gallego cont. 6. ſingularis eſt aſſerens logicam eſſe ſpeculatiuam ſecundùm quid, & reductiuè, & refert pro ſe Hiſpalenſem, ſed hoc dicam poſtea. num 299.

§. 2.

Eligitur vera ſententia.

382. PRo reſolutione veritatis ſit con. 1. Logica non eſt ſimul ſpeculatiua, & practica ſimpliciter. Hæc con. defenditur ab authoribus ſecundæ, & tertiæ ſententiæ. Et probatur ratione à priori. Nam iſtę differentiæ practici, & ſpeculatiui ſecundùm ſe conſideratæ afferunt rationes oppoſitas, & quarum vna excludit aliam: ergo non compatiuntur reſpectu eiuſdem habitus. Patet cõa. Nam ex ipſis differentiis ſecundum ſe conſideratis colligitur euidenter an compatiantur reſpectu eiuſdem. Et antecedens probatur. Nam formalis ratio ſpeculatiui conſiſtit in eo, quod eius finis eſſentialis ſit ſpeculatio, ita vt hęc ſit principaliter intenta; ratio autem practici eſſentialiter conſtituitur per hoc quod eius finis eſſentialis, quem, vt principalem reſpicit, ſit operatio aliqua. At reſpicere ſpeculationem, vt finem eſſentialem, principaliter intentum, & reſpicere operationem, vt finem eſſentialem, & principaliter intentum ſunt rationes oppoſitæ ſecundùm ſe, & vna excludit alteram: ergo ita ſunt rationes

pra-

Digitized by Google

tamen eius intelligibilitas translata ad genus ſcibilis poteſt eſſe ſimpliciter. Videatur doctrina à nobis ibidem num. 101. tradita ne repetitio faſtidium generet. Ex quo patet ad ſecundam confirmationem. Et ad primam reſpondeo genus entis non eſſe ſuperius eſſentialiter ad genus ſcibilis, ſed tantum præſupponi eſſentialiter. Et tunc valet ille modus arguendi, quando fit inter ſuperius, & inferius eſſentialiter, non autem quando fit tranſitus de vno genere in aliud, v.g. non valet, accidens eſt ens ſecundum quid: ergo eſt ſcibile ſecundum quid, & ita argumentatur in confirmatione.

361. Arguitur 4. principaliter contra concluſionem 3. ex Colleg. diſcalc. complut. diſp. 1. quæſt 6. Nam D. Thomas 12. qu. 57. art. 3. ad 2. loquens de habitibus ſpeculatiuis, qui ordinantur ad aliquod opus conſtruendum, putà ſyllogiſmum, aut orationem, ait tales habitus dici per quandam ſimilitudinem artes: ſed logica eſt huiuſmodi, ergo non eſt ſimpliciter ars, ſed tantùm per quandam ſimilitudinem. Et ſuadet ratio. Nam ratio ſcientiæ, & artis inter ſe valde diſtinguuntur, tùm ex parte ſubiecti, nam ſcientia ſubiectatur in intellectu ſpeculatiuo, & ars in intellectu practico, vt conſtat ex dictis ſupra num. 237. tùm ex parte modi procedendi, quia ſcientia procedit modo reſolutiuo, & ars modo compoſitiuo, vt dicebamus ſupra num. 19. quę prædicata valde diuerſa ſunt, & vni habitui ſimul conuenire non poſſunt: ergo ſi logica, eſt ſimpliciter ſcientia, non poteſt eſſe ſimpliciter ars, ſed tantùm ſecundùm quid, & ſimilitudinariè, vt dicebat D. Thomas.

362. Ad hoc argumentum reſpondeo ex doctrina Mag. Ioann. à Sancto Thoma, & Magiſt. Soto, quòd ratio formalis artis in eo pręcisè conſiſtit, quòd tradat regulas, & præcepta ad conficiendum aliquid, quod ex ſe erat indifferens, vt ſic vel aliter fieret, ſiue hoc inueniatur in ipſis operationibus intellectus, ſiue in rebus ad extra, qua ratione etiam artes liberales ſunt ſimpliciter artes. Ad authoritatem D. Thomæ reſpondeo artes liberales, inter quas numerantur habitus illi ſpeculatiui, qui reſpiciunt illud opus rationis, vocari à D. Thoma artes ſimilitudinariæ ex parte materiæ, nam opus artis mechanicæ totaliter eſt ſeruile; & ideo magis ſubditur imperio, & directioni ipſius artis, at opus rationis, cum ſit minus ſeruile, minus ſubijcitur tali directioni. Et addo dici ſimilitudinariè artes, quia mechanicæ ſunt nobis magis notæ, & per ſimilitudinem ad illas, cognoſcitur ratio artis in illis habitibus ſpeculatiuis. In quibus ex parte rationis formalis ipſius artis nulla eſt ſimilitudo deficiens, ſeu analogia, ſed omnimoda conuenientia cum artibus mechanicis. Ad rationem reſpondeo ſcientiam, & artem abſolutè non diſtingui ex parte ſubiecti, nam ars ex ſua formali ratione poteſt pertinere ad intellectum ſpeculatiuum, dicitur autem eſſe in intellectu practico ratione applicationis rationis formalis ad opus, in qua applicatione eſt aliqua ſimilitudo cum intellectu practico, fieri tamen poteſt ab intellectu ſpeculatiuo, quando ratio formalis applicatur operi interno. Vel dicitur artem eſſe in intellectu prac-

practico propter artes mechanicas, quæ ibi ſubiectantur,& ſunt nobis notiores. Rurſus de ratione formali artis non eſt procedere modo compoſitiuo, ſed tantùm tradere regulas, & præcepta ad aliquid faciendum, vel operandum, ſiuè illa tradat modo compoſitiuo, ſiuè modo reſolutiuo. Et per hæc patet ad rationem adductam.

CONFERENTIA 4.

Vtrum logica docens, & vtens diſtinguantur realiter, & an uſus actiuus reperiatur in omni ſui parte.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

363. DVo in hac conferentia explicanda ſunt, alterũ circa diſtinctionẽ logicæ docentis,& vtentis,quæ, & qualis ſit. Alterũ circa vſum illius tàm in propria materia, quàm in materia aliarũ ſcientiarũ. Ad cuius intelligentiã nota. 1. ex dictis ſupra nu.9. quòd logica dicitur docẽs, quatenus tradit præcepta, & regulas ad cõficienda inſtrumẽta rationis,quę non ſolùm tradit ſimpliciter docendo præcepta,ſed ẽt illa probando, cõfirmando, & ſimul demonſtrando plures paſsiones logicales, vt dicebamus nu. 265. & totũ hoc vocatur doctrina, & idcirco dicitur logica a docẽs. Cumq; tradat doctrinã tũ ad cõficiendam demonſtrationẽ, tùm ſyllogiſmũ dialecticũ,tùm ſophiſticũ,cõſequens eſt,vt in omni ſua parte inueniatur doctrina, ac proinde reſpectu omnium dicatur docens.

364. Nota 2. quod logica vtens poteſt accipi dupliciter, vel ita vt ly, vtens,ſumatur merè paſsiuè.quatenus aliæ ſcientiæ vtuntur actiuè ipſa logica,vt explicui ex Mag.Soto ſup. nu. 9. idest,quatenus aliæ ſcientiæ applicãt ad opus regulas. & præcepta tradita à logica,illa exercẽdo in proprijs materijs. Vel poteſt ſumi ly,vtens,actiuè,quatenus ipſa logica elicit actiuè ipſũ vſũ,hoc eſt, quatenus ſua precepta applicat ad opus, exercẽdo illa tàm in propria materia,quã in materia aliarũ ſcientiarũ. Quo ſuppoſito certũ eſt quòd logica in propria materia habet vſũ actiuũ in omni ſua parte, tàm demõſtratiua,quã dialectica,&ſophyſtica, nã ad tradẽda præcepta ſua vtitur ẽt præceptis, & regulis à ſe traditis; ſiquidẽ ipſa conſtruit diffinitiones, ſyllogiſmos dialecticos, & ſophiſticos in propria materia,ſiquidẽ demonſtrat plura de ſuo obiecto, vt dicebamus ſup nu 264. & 265. & plura alia probabiliter concludit,& alia ſophyſticè, vt contingit in alijs ſciẽtiis,ac proinde in omni ſua parte reſpectu proprie materiæ habet doctrinã,& vſũ,diciturq; docens, vt tradens præcepta,& vtens, vt applicans illa ad propriam materiam, verùm tamen quòd reſpectu propriæ materiæ nõ dicitur logica propriè vtens Nã vſus,quo denominatur logica vtẽs,debet eſſe diſtinctus à doctrina, ita vt per ipſum vſum forma-

formaliter non doceat, ſed potius operetur iuxta illam, & ideo ſolet vocari logica vtens altero nomine logica rebus concreta, vt aduertit Collegium diſcalc. in loco citato num. 275. Relinquitur modo diſputandum, an reſpectu aliarú ſcientiarum habeat aliquem vſum actiuum, & qualis iſte ſit, & reſpectu cuius partis, ita vt ipſa logica actiuè applicet ſua præcepta, & regulas materijs aliarum ſcientiarum introducendo in illis formam ſyllogiſticam, & deinde videbimus diſtinctionem docentis, & vtentis, an ſit realis, vel formalis, vel rationis.

365. Circa primum eſt prima ſententia aſſerens vſum actiuum logicæ inueniri in omni ſua parte, ita vt actiuè concurrat ad formandum ſyllogiſmum dialecticum ad probandam aliquam veritatem in alijs ſcientijs, & etiam ad conficiendam quamlibet demonſtrationem, habeat ſuum influxum actiuum, quantum ad introducendam formam demonſtrationis in materia. Hanc ſententiam defendit P. Rubio in logica quæſt 3. quam ſequuntur M. Sanchez in log. qu. 5. & 8. Mag. Araujo lib. 2. metaph. quæſt. 3. art. 2. num. 23. Gallego in logica controu. 2 in principio. Secunda ſententia docet logicam habere vſum actiuum reſpectu partis topicæ, & ſophiſticæ, ita vt actiuè concurrat ad eliciendum quẽlibet ſyllogiſmum dialecticum, quo aliqua veritas probabiliter infertur in alijs ſcientijs, negat autem hunc actiuum influxum circa demonſtrationes factas in alijs ſcientijs, & conſequenter logicæ ſolùm tribuit influxum directiuum, & regulatiuum ad conficiendum demõſtrationem, quam effectiuè format quælibet ſcientia in ſua propria materia, ſuppoſita directione, & regulis traditis ab ipſa logica. Ita docent P. Fonſeca lib. 2. metaph. cap. 3. quæſt. 1. ſect. 6. Conimbricenſes in logic. qu 4. art. 2. Colleg. Complut. diſcalc. diſp. 1. quæſt. 4. num. 38. & elegantiſſimè docet nu. 42. quomodo vſus actiuus in parte topica tribuatur ipſi logicæ. Mag. Ioann. à Sancto Thoma quæſt. 1. artic. 5. P. Vallius in logic. Prologom. parte 2. quæſt. 4. capit. 12. Et in hanc ſententiam videtur inclinare Magiſt. Soto, dum quæſt. 2. loquens de logica vtente, ait: Accipitur enim hic logica vtens, paſſiuè, ideſt, qua vtuntur tractatores aliarum ſcientiarum, v. g. logica docet cõam de Barbara, eſſe euidentem, & quatenus Geometra vtitur illo principio, vt formet cõam in Barbara, eſt logica vtens. Ita docet Magiſt Soto, in quibus videtur docere hanc ſecundam ſententiam. Quam etiam defendunt in re Mag. Cab & P. Mer. qui dicunt habitus aliarum ſcientiarum producere ſuas illationes ordinatè, & hac ratione tales habitus vocant logicam vtentẽ, vt refertur à Mag. Ioann. à Sancto Thoma q. 1. art. 5. concl. vltima,

366. Circa ſecundam partem, nempè diſtinctionem logicæ docentis, & vtentis, eſt prima ſententia aſſerens eſſe duos habitus realiter diſtinctos. Pro hac ſententia ſolent referri P. Suarez in 2. tom. Metaph. diſp. 44. ſect. 1. & ſect. 13. num. 19. & P. Vazquez 1. par. diſp. 8. cap. 5. quatenus docet docentem eſſe ſpeculatiuam, & vtentem eſſe practicam, quod non poteſt verificari ſine diſtinctione reali.

reali. Nihilominus exiſtimo prædictos Doctores talem ſententiam non docuiſſe. Nam P. Suarez in ſect. 1. vt refertur à Mag. Arauio non meminit logicæ. Et in ſect. 13. vt refertur à Galleg. ait logicam eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam, quamuis ex parte ſit practica, eo quòd dirigit operationes intellectus, vt artificiosè fiant, vnde colligit rectè appellari artem liberalem, & addit quod ad hanc directionem multa, & ferè maiori ex parte contemplatur purè ſpeculatiuè, & ipſam directionem magis facit ſpeculando, quam practicè inſtruendo intellectum quomodo debeat operari, & refert Herbæum quodlib. 1. quæſt. 3. Hæc eſt doctrina Patris Suarez, ex qua potiùs colligitur eſſe vnũ realiter habitum, quam duos. Item P. Vazquez ſolum docet logicam eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam, cæterùm contendit explicare, & defendere poſſe vnum habitum ſimul eſſe practicum, & ſpeculatiuum, vt hoc etiam ſaluet in Theologia noſtra. Poterant referri pro hac ſententia authores illi, qui dicunt habitus aliarum ſcientiarum eſſe logicam vtentẽ in propria materia. At ſuppoſito quòd tales vſus actiuè ſolùm proueniant ab illis habitibus optimè dicunt, quidquid ſit an rectè dicantur logica vtens, non autem ad rem noſtram reſpondent, in qua ſolùm eſt difficultas an præter habitum logicæ docentis debeat poni alius realiter diſtinctus, qui ſit logica vtens, & diſtinguatur etiam ab habitibus aliarum ſcientiarum. Et in hoc ſenſu non inueni aliquem authorem aſſerentem partem affirmatiuam, audiui tamen aliquos modernos illam docuiſſe in manuſcriptis aſſerentes dari vnum habitum, qui ſit ars & vocetur logica vtens, & alium qui ſit ſcientia, & dicatur logica docens.

367. Secunda ſententia ait logicam docentem, & vtentem non diſtingui realiter, diſtinctione rei à re, benè autem diſtinctione reali formali, vt diſtinguitur albedo à ſimilitudine. Ita docet Mag. Sanchez lib. 1. qu. 6. concl. 2. in cuius fine docet hæc communiter doceri in noſtra ſchola. Tertia ſententia aſſerit logicam docentem, & vtentem diſtingui ſola ratione in ordine ad diuerſos actus ordinatos inter ſe ſub eadem ratione formali Et hanc defendunt communiter Thomiſtæ. Flandria lib. 2. metaph. quæſt. 5. art. 2. Soto in quæſt. 2. proœmiali. Nauarrete 1. par. contr. 10. Arauio lib 2. metaph. quæſt. 2. artic. 2. Maſsius ſect. 1. quæſt. 4. Sanchez, Gallego, Salablanca, Colleg. diſcalc. & Magiſt. Ioann. à Sancto Thoma in locis iam allegatis, quapropter fallitur Magiſt. Sanchez dum ait ſecundam ſententiam communiter defendi in noſtra ſchola.

§. 2.

Eligitur vera ſententia de vſu logicæ.

368. Pro reſolutione veritatis ſit concluſio. 1. Logica non habet vſum actiuum in parte demonſtratiua, benè autem in parte topica, & ſophiſtica. Ideſt, logica non concurrit effectiuè ad formandas demonſtrationes, quæ fiunt in aliis ſcientiis, concurrit

tamen

Digitized by Google

tamen actiuè ad ſyllogiſmos dialecticos, & ſophiſticos, qui fiunt ad probandas aliquas veritates probabiliter in alijs ſcientijs. Hæc concluſio defenditur ab authoribus relatis ſupra num. 275. pro ſecunda ſententia. Et ſanè meo videri eſt expreſſa mens D. Thomæ, qui lib 4. metaph. lect. 4. ſic ait. (Dialectica poteſt conſiderari ſecundum quod eſt docens, & ſecundum quod eſt vtens. Secundùm quidem quod eſt docens, habet conſiderationem de iſtis intentionibus, inſtituens modum, quo per eas procedi poſſit ad concluſiones in ſingulis ſcientijs probabiliter oſtendendas, & hoc demonſtratiuè facit, & ſecundùm hoc eſt ſcientia. Vtens verò eſt ſecundùm quod modo adiuncto vtitur ad concludendum aliquid probabiliter in ſingulis ſcientijs, & ſic recedit à modo ſcientiæ. Et ſimiliter dicendum eſt de ſophiſtica, quia prout eſt docens, tradit per neceſſarias, & demonſtratiuas rationes modum arguendi apparenter. Secundum verò quod eſt vtens, deficit à proceſſu veræ argumentationis. Sed in parte logicæ, quę dicitur demonſtratiua, ſolùm doctrina pertinet ad logicam, vſus verò ad phyloſophiam, & ad alias particulares ſcientias, quæ ſunt de rebus naturæ. Et hoc ideò, quia vſus demonſtratiuę conſiſtit in vtendo principijs rerum, de quibus fit demonſtratio, quæ ad ſcientias reales pertinet, non vtendo intentionibus logicis. Et ſic apparet quod quædam partes logicæ habent ipſam ſcientiam, & doctrinam, & vſum, ſicuti dialectica tentatiua, & ſophiſtica: quædam autem doctrinam, & non vſum.) Hæc D. Thomas. Ex quibus clarè conſtat mens D. Thomæ aſtruentis vſum non inueniri in parte demonſtratiua, ſed ſolam doctrinam, & in parte topica, & ſophiſtica inueniri doctrinam, & vſum. Quid Clarius?

369. Ad hæc reſpondet 1. Sanchez lib. 1. quæſt. 5. quod quando D. Thomas ait vſum demonſtrationis phyloſophicæ pertinere ad phyloſophiam, intelligitur ratione materiæ, quia ipſa præbet materiam, in qua à logica introducatur forma demonſtrationis, & differentiam aſſignatam à D. Thoma inter partem topicam, & demonſtratiuam in eo conſiſtere quod ratione partis topicæ aliquando procedit in alijs ſcientijs non ſolùm præbendo formam, ſed etiam aliquas præmiſſas proprij ſubiecti, ſecundùm quas probabiliter argumentetur in alijs ſcientijs, & tunc talis argumentatio, etiam ratione materię, pertinet ad logicam. At pars demonſtratiua ſolùm præbet formam, & reſpectu huius non negat D. Thomas vſum actiuum. Hanc ſolutionem ſequitur Gallego ex P. Rubio. Idem Sanchez ibidem quæſt. 8. con. 1. docet. 2. ideo D. Thomam præbere logicæ vſum quoad partem topicam, & non quoad demonſtratiuam, quia in illa magis clarè patet vſus logicæ, eo quòd dum probabiliter diſputamus in alijs ſcientijs, non interuenit aliquis actus ſcientificus, quando autem eſt vſus partis demonſtratiuę, inuenitur actus ſcientificus alterius ſcientiæ, & ideo non ita clarè conſtat vſus ipſius logicæ.

370. Neutra tamen ſolutio ſatisfacit; non prima. Nam licet

vera

vera ſit doctrina tradita in tali ſolutione, nempè quòd multoties ſyllogiſmi dialectici pertinent ad logicam non ſolum ratione formæ, ſed etiam ratione materiæ, quæ eſt propria logicæ, tamen ex hoc infert D. Thomas quod vſus pertineat ad logicam tunc, & non quando procedit demonſtratiuè, quia tunc, ait D. Tho. talis vſus pertinet ad alias ſcientias: ergo iuxta mentē D. Th. tunc ſolum inuenitur vſus actiuus logicæ quando non ſolùm forma, ſed etiam materia pertinet ad logicam. Et hoc eſt noſtrum intentum. Si n. D. Thom. agnoſceret alium vſum actiuum logicæ ad introducendam formam, ſanè illum explicaret maximè quando intendebat docere modum quem ſeruat logica reſpectu aliarum ſcientiarum, & quomodo diſtinguatur ipſa, vt docens, & vt vtens. Nec ſatisfacit ſecunda ſolutio. Nam ponit excluſiuam dicendo, quod in parte topica inuenitur doctrina, & vſus, & in parte demonſtratiua inuenitur ſola doctrina, & non vſus; ſi autem vſus in parte demonſtratiua inueniretur, licet nobis non eſſet ita notus, non poneret excluſiuam, ſed procederet exemplificando in parte topica, vt ex iſtius vſu nobis magis noto colligeremus vſum partis demonſtratiuæ nobis non ita notum.

Probatur ratione noſtra concluſio, quatenus docet logicam non concurrere actiuè ad demonſtrationem alterius ſcientiæ. Nam influxus logicæ reſpectu aliarum ſcientiarum eſt merè directiuus, ſeu regulatiuus: ergo ipsa logica actiuè non concurrit ad actus aliarum ſcientiarum. Probatur antecedens. Nam catenùs logica eſt neceſſaria ad alias ſcientias, quatenus præbet regulas, & præcepta, vt rectè, & diſpoſitè operemur, vt conſtat ex dictis ſupra à num. 238. at influxus iſte eſt merè regulatiuus, ſeu directiuus: ergo, &c. Pr. m. exemplis adductis à Magiſt. Ioann. à Sancto Thoma. Nam artes Architectonicæ dirigunt alias inferiores abſque eo quòd actiuè concurrant ad actus artium inferiorum. Et prudentia dirigit virtutes morales, in quarum actus non influit actiuè, ſed directiuè; ſeu regulatiuè, & ratio à priori eſt. Nam influunt ſufficienter per hoc quòd tradantur regulæ, & præcepta ab ipſis, quibus inferiores conformentur in elicientia actiua ſuorum actuum: ergo influxus ille, quo logica præbet præcepta, & regulas rectę operationis, eſt directiuus, ſeu regulatiuus, & non actiuus. Confirmatur, & explicatur. Nā demonſtratio. v. g. facta in Phyloſophia quoad ſubſtantiā actuum, quæ deſumitur ex obiecto pertinet ad Phyloſophiā, & ſola forma ſyllogiſtica pertinet ad logicā; ergo ſola Phyloſophia eſt ſufficiens principiū ad eliciendam actiuè illam demonſtrationem, quoad ſubſtantiam, ſeu ſpeciem actuum, quæ deſumitur ex obiecto. Tunc vltra. Sed forma illa ſyllogiſtica, quæ ad logicā pertinet, non ſit per ſe ab aliqua cauſa, ſed reſultat, ſeu ſequitur ad cognitionē obiecti; vt conſtat ex dictis ſupra num. 242. ergo ad illam non eſt neceſſarius influxus actiuus aliquis, ſed ſufficiet regulatiuus, ſeu directiuus, vt .ſ. conſtet an forma illa reſultans ſit cōformis ſuis regulis, & præceptis, ſeu ideę illi, quæ repræſētat formam rectę operationis, iuxta dicta ſupra nu. 244. & ſequentibus.

Ex dictis ſequitur quòd logica, quantum ad formam ſyllogiſticam, ſiue ſit in parte demonſtratiua, ſiue topica, aut ſophyſtica, habet ſolum influxum directiuum, nam ſicut forma demonſtrationis introducitur ſola directione, quæ fit per regulas, & præcepta, ita forma ſyllogiſmi dialectici, & ſophiſtici eodem modo introducitur, ad primum .n. ſufficit doctrina partis demonſtratiuæ, & ad ſecundum ſatis eſt doctrina partis topicæ, & ſophiſticæ.

371. Secunda pars concluſionis, nempè, logicam concurrere actiuè ad ſyllogiſmum dialecticum, pr. Et in primis expreſsè docetur à D. Tho. in verbis adductis nu. 279. ratione autem probatur. Nam ſyllogiſmus dialecticus, de quo hic loquimur, pertinet ad logicam non ſolùm ex parte formæ, ſed etiam ex parte materiæ: ergo talis ſyllogiſmus fit effectiuè, ſeù actiuè à logica, ſiquidem ſyllogiſmus fit effectiuè ab illo habitu de cuius ſphera eſt ſua propria materia. Probatur antecedens. Nam ſyllogiſmus dialecticus, de quo hic eſt ſermo, eſt ille, quo vtitur logica ad probandum aliquid in alijs ſcientijs, & procedit ex ſecundis intentionibus rationis, quæ explicantur in quampluribus locis dialecticis à nobis ſupra poſitis à num. 274. Quibus infert in alijs ſcientijs probabiliter aliquas veritates: ſed ſecundæ illæ intentiones ſunt propria materia logicæ; ergo talis ſyllogiſmus dialecticus, etiam ex parte materiæ pertinet ad logicam, ac proinde requiritur influxus actiuus ipſius logicæ. Conſulto dixi, [ſyllogiſmus dialecticus, de quo hic loquimur] nam ſunt alij ſyllogiſmi dialectici, quibus inferuntur plures veritates probabiles, qui procedunt ex principijs, & veritatibus non pertinentibus ad ipſam logicam, & reſpectu horum non concurrit logica actiuè; ſed tantùm regulatiuè, ſeu directiuè; præbendo ſcilicet regulas, & præcepta, quibus rectè fiant.

§. 3.

Reſoluitur alia pars de diſtinctione docentis, & vtentis.

372. SEcunda concluſio. Logica docens, & vtens eſt vnus realiter, & formaliter habitus, & ſola diſtinctio rationis interuenit. Hæc concluſio defenditur à Doctoribus relatis nu. 277. & eſt expreſſa D. Thomæ, qui quotieſcunque loquitur de logica docente, & vtente, vtitur reduplicatione, dicens. (Logica in quantùm docens, in quantum vtens, &c.) vt conſtat ex verbis allegatis numer. 279. & alibi ſæpè; ſi autem eſſent duo habitus diſtincti realiter, vel formaliter, abſque reduplicatione nominaret logicam docentem, & vtentem: ergo ſi vtitur reduplicatione, ſentit quod eſt ſola diſtinctio penes diuerſos conceptus, & conſequenter ſola diſtinctio rationis. Probatur ratione communi Thomiſtarum. Nam non ponitur diſtinctus habitus, niſi vbi eſt noua, aut diſtincta difficultas vincenda; ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem habitus ad hoc requiritur, vt vincatur difficultas, ſed vſus logicæ non dicit difficultatem diſtinctam à doctrina ipſius: ergo ad vſum non eſt ponendus diſtinctus habitus. Pr. mi. Nam media doctrina cognoſcit intellectus quomodo applicare debet regulas, & præcepta logicalia, & quomodo conſtruenda ſunt inſtrumenta ſciendi: ergo nulla difficultas remanet circa vſum, eò vel maximè, quia vſus executioni mandatur ab eadem potentia intellectiua, quæ habet doctrinam. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam quando duo actus continentur ſub eadem ratione formali, & inter ſe dicunt ordinem, poſſunt elici ab eodem principio proximo, & formali, ſed doctrina, & vſus logicæ continentur ſub eadem ratione formali logicæ, & inter ſe dicunt ordinem, nam doctrina antecedit vſum, & iſte præſupponit doctrinam: ergo propter iſtos actus non ſunt diſtinguendi duo habitus. Cæterum, quia actus iſti inter ſe diſtinguuntur, ex ordine ad illos reſultat in habitu duplex conſideratio, ita vt concipiatur vt docens, & vt vtens ab intellectu noſtro, & conſequenter reſultat diſtinctio rationis inter docentem, & vtentem.

373. Aduerte autem, vt conſequenter loquamur, quòd in noſtra ſententia tota doctrina contenta in principijs, & regulis logicæ attingitur à lumine naturali, quod eſt habitus principiorum, qui dicitur logica præceptiua, quatenus, ſuppoſitis ſpeciebus acquiſitis, tradit, & docet prædicta præcepta, & regulas, ac proinde ſicut dicitur logica præceptiua, ita debet dici logica docens naturam, & quidditatem cuiuſcunque inſtrumenti logici, & quomodo fieri debeat. Et idem habitus naturalis, qui docet, eſt ſufficiens ad vſum, & ratione iſtius vſus dicitur logica vtens, & tunc directio prouenit ab eodem habitu: Ita docuimus in ſummulis Conf. 1 nu. 29. Inſuper habitus logicæ, cum per demonſtrationem acquiratur, dicitur docens, quatenus docet veritates demonſtratas, & ideo docuit D. Thom. vbi ſupra, quod in tradendis ſecundis intentionibus, quibus proceditur in alijs ſcientijs, procedit ipſa logica demonſtratiuè, & idcirco dicitur docens, vt demonſtratiuè procedens, cui doctrinæ correſpondet alter vſus actiuus, quo logica procedit probabiliter in alijs ſcientijs ex proprijs principijs, vt dictum eſt.

§. 4.

Proponuntur argumenta, & ſoluuntur.

374. ARguitur 1. Ex Magiſt. Araujo vbi ſupra contra noſtram primam concluſionem. Nam vſus ille logicæ in alijs ſcientijs cauſatur à logica, & non imperatiuè, quia cum ſit ancilla, & famula aliarum ſcientiarum, nequit illis imperare: ergo fit à logica elicitiuè. Item vſus eſt applicatio alicuius ordinati ad operandum, & ideo (teſte D. Thom. 12. q. 16. art. 1.) proximè, & elicitiuè eſt actus proprius inſtrumenti, & inferioris agentis,

tis, reſpectu ſuperioris applicantis per imperium, ſed ſola logica eſt quæ habet ſe, vt inferior, & veluti quoddam reliquarum inſtrumentum: ergo vſus eſt actus proprius illius, à quo dicitur vtens. Rurſus. Nam hoc verſatur diſcrimen inter logicam, & metaphyſicam, quod hæc [teſte D. Thom. 1. metaph. lect. 1.] dirigit alias ſcientias applicans, & imperans illis, illa vero dirigit alias miniſterialiter, & inſtrumentaliter; ergo nullus actus procedit ab illa imperatiuè. Tandem. Nam actus logicæ vtentis, à quo dicitur vtens, eſt conſtructio inſtrumentorũ ſciendi, quibus reliquæ ſcientiæ diffiniunt, diuidunt, & argumentantur: at non ſolum diffiniunt, diuidunt, & argumentantur ex probabilibus, ſed etiam ex neceſſarijs, & euidentibus: ergo vſus logicæ non ſolùm eſt in probabilibus, ſed etiam in neceſſarijs. Et fauet experientia. Nam quando Theologus, aut Phyloſophus facit demonſtrationem aliquam in, Darij, conſtructio illius, quoad formalem diſpoſitionem, eſt actus logicæ vtentis, vel dicatur cuius eſt actus, maximè quia præcipuus tractatus logicæ eſt ille, qui demonſtratiuus vocatur: ergo reſpectu illius datur vſus.

375. Ad hoc argumentum ne vim faciamus in verbo, imperare, dico quod logica dirigit alias ſcientias per modum ancillæ famulæ, & inſtrumentaliter, vt in ipſo argumento ſupponitur ex doctrina D. Thomæ: & conſequenter prædictus influxus directiuus ſufficit, vt vſus ille tribuatur logicæ. Et per hæc patet ad omnes rationes adductas. Ad primam dico illum vſum non prouenire à logica imperatiuè, ſi ly, imperatiuè accipiatur rigoroſè, at prouenit directiuè, & non eliciciuè: dirigit .n. logica, vt ancilla, & famula, non autem imperat. Ad ſecundam reſpondeo logicam ſe habere, vt inſtrumentum aliarum ſcientiarum ratione influxus directiui, & iſte immediatè fit ab illa, elicientia autem fit ab habitu illo, qui vtitur tali directione. Ad 3. conſtat ex dictis, metaphyſica .n. vt ſuperior imperat, & logica, vt inferior dirigit, & ſicut imperium immediatè fit ab illa, ita directio immediatè fit ab iſta, non autem elicientia actus directi. Ad vltimam reſpondeo vſum inueniri tàm in probabilibus, quàm in neceſſarijs, at cum differentia, quod vſus partis demonſtratiuæ fit à logica directiuè, & vſus in parte topica fit aliquando elicitiuè, vt dictum eſt, exemplum autem idem oſtendit, nam illa formalis diſpoſitio demonſtrationis fit à logica directiuè, quatenus dedit præcepta, & regulas, quibus Theologia actiuè vſa fuit in elicientia talis demonſtrationis. Et ad hoc deſeruit doctrina tradita in illo tractatu, nimirum, vt directio aliarum ſcientiarum.

376. Arguitur ſecundo principaliter contra ſecundam concluſionem. Nam ab eodem habitu non fiunt duo actus diſtincti ſpecificè, habitus .n. ſpecificantur, & diſtinguuntur per actus: ſed actus logicæ docentis diſtinguitur ſpecie ab actu logicæ vtentis: ergo non eſt idem habitus. Pr. mi. Nam actus docentis eſt ſcientificus, quo ſcilicet demonſtrat paſſiones de ſuo obiecto, actus autem logicæ vtentis eſt opinatiuus, ſeu probabilis, quo, nimirum in alijs ſcientijs probabiliter

Digitized by Google

liter oſtendit aliquas veritates, vt ex dictis hic conſtat: ergo prædicti actus diſtinguuntur ſpecie. Et confirmatur. Nam logica, vt docens, eſt ſimpliciter ſcientia ſpeculatiua, vt dicemus poſtea, & vt vtens eſt ars practica, quatenus applicat ad opus regulas, & præcepta, ſed rationes ſcientiæ, & artis, ſpeculatiui, & practici ſunt pluſquam ſpecie diſtinctæ: ergo vni, & eidem habitui realiter conuenire non poſſunt, alias duo contradictoria de illo verificarentur.

377. Ad hoc argumentum reſpondeo ſolutione communi, nempè ab eodem habitu poſſe procedere diuerſos actus diſtinctos in ſpecie, ſi ordine quodam inter ſe procedant, ita vt vnus ſit primarius, & alter ſecundarius, exemplum eſt in fide, quæ eſt habitus eſſentialiter obſcurus, & inclinans ad actum eſſentialiter obſcurum, & tamẽ elicit actum euidentem ſ. iudicium illud euidens de credibilitate noſtræ fidei, vt docent multi Thomiſtæ, cũ D.Tho. 22. q. 1. art. 2. & ratio eſt. Nam actus iſte ſe habet, vt ſecundarius, & reſpicit diſtinctum obiectũ materiale, ſi quidem primarius obſcurè atringit veritatem reuelatam, & ſecundarius euidenter cognoſcit talem veritatem, quam credit, eſſe credibilem: ſic in præſenti actus primarius logicę eſt ſcientificus, & alter probabilis ſe habet, vt ſecundarius. De quo videatur Colleg. diſcalc. diſp. 1. q. 5. nu. 50. & Mag. Ioan. à S. Tho. qu. 1. art. 5. ad 2. Ad confirmationem conſtat ex dictis nu. 259. quomodo in eodem habitu compatiatur ratio ſcientiæ, & artis, & ex dicendis conferentia ſequenti conſtabit, quomodo inueniatur in logica ratio ſpeculatiui, & practici.

378. Arguitur 3. ad idem intentum. Nam logica vtens augetur, & non augetur logica docens, ergo non eſt idem realiter habitus. Patet cõa, quia implicat quòd vnus, & idem habitus augeatur realiter, & non augeatur. Et ãns prob. Nam ſi quis ſe exerceat in condiciendis inſtrumentis logicis, & in eliciendis ſyllogiſmis dialecticis, quibus probabiliter procedat in alijs ſciẽtijs, augetur logica vtens, nam habitus augentur per repetitionem, vel multiplicationem ſuorum actuum, & non augetur logica docens, cum nullus eius actus exerceatur; ergo logica vtens augetur, & non logica docens. Confirmatur hoc. Nam ex frequentatione actuum logicæ vtentis redditur intellectus facilior, & expeditior ad vſum logicæ, & non ad doctrinam, vt experientia manifeſtat; ergo ſignum eſt vtentem eſſe habitum diſtinctum à docente, ſiquidem facilitas, & expeditio ad actum prouenit ex habitu, & conſequenter ſi eſt maior facilitas in vſu, quàm in doctrina, habitus ad illum diſtinguitur ab habitu ordinato ad iſtam.

379. Ad hoc argumentum reſpondeo; quod ſi loquamur de vſu pertinente ad logicam præceptiuam, quæ eſt habitus principiorum, vt connotat ſpecies pertinentes ad principia logicæ, tunc dicendum eſt, quòd quantumcunque frequentetur intellectus in tali vſu, conficiendo inſtrumenta logicæ, non augetur realiter, ſicut nec augetur, quantùmcunque ſe exerceat in cognitione principiorum, ſed ſemper eſt eadem facilitas, vt conſtat ex doctrina tradita à Colleg. diſcalc. in logica diſp. 20. quæſt. 2. numero 9. de qua dice-

dicemus tract. vlt. Et quamvis videatur eſſe maior facilitas orta ex tali frequentatione, hoc tamē prouenit ex vſu ſpecierum, non autem ex augmento habitus ſicut etiam contingit in eo, qui ſe exercet in aſſenſibus circa principia, qui experitur maiorem facilitatem, quæ ex vſu ſpecierum deſeruientium habitui prouenit, ipſe autem in ſe non augetur, licet poſſit vti facilius ſpeciebus. Si autem loquamur de vſu, qui actiuè prouenit à logica, qui eſt in materia aliarum ſcientiarum probabiliter diſputare, dicendum eſt ipſum habitum logicæ in ſe non augeri, eo quod eſt actus ſecundarius vſus ille, producit tamen in intellectu quandam facilitatem reductiuè pertinentem ad habitum logicæ, & ratione illius redditur intellectus promptior, facilior, & expeditior ad ſimiles vſus. Et per hæc patet ad Confirmationem. De quo videatur Magiſt. Ioann. à Sancto Tho quæſt. 1. art. 9. in fine.

CONFERENTIA 5,

An logica ſit ſimpliciter ſpeculatiua, vel practica.

§. 1.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

38. ANte omnia explicandum eſt, quomodo differant practicum, & ſpeculatiuum ſecundùm ſe, vt deueniamus ad reſolutionem præſentis difficultatis; at, quia hoc altioris contemplationis eſt, breuiter tangetur. Præcipua autem differentia deſumitur ex ordine ad finem propriū, & eſſentialem vniuſcuiuſque. Nam finis ſpeculatiui eſt conſideratio, ſeu contemplatio veritatis. Et ex hoc ſequitur obiectum, vt ſpeculabile, ideſt in ordine ad contemplationem, & modo ſpeculabili, ideſt, conſiderando illius naturam, & proprietates, vt ſic tàm obiectum, quā modus proportionentur fini, quem eſſentialiter reſpicit. Finis autem practici eſt operatio, & ſic eius obiectum debet eſſe operabile, & modus etiam debet eſſe operabilis, vt hac ratione obiectum, & modus proportionentur fini eſſentiali. Ex quo ſequitur. 1. quod modus ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt reſolutiuus, id eſt, conſiderando vnam veritatem, vt cauſam alterius, ſeu vnam in alteram reſoluendo. Modus autem ſcientiæ practicæ eſt compoſitiuus, nam cum ordinetur ad operationē, & operatio tendat ad aliquid componendum, cōns eſt, vt modus procedendi debeat eſſe compoſitiuus, & hæc differentia in modo procedendi relucet in ipſis principijs, nam principia ſpeculatiua formaliter ſunt ad reſoluendum, & practica formaliter ad componendum, vt notauit Magiſt. Ioann. à Sancto Thom. quæſt. 1. artic. 4. con. 1. at tota hæc differentia oritur ex ordine ad diuerſos fines, vt aduertit M. F. xantes Mariales tom. 1. contr. 32. vbi elegantiſſimè rem hanc illuſtrauit, tùm ex modo loquendi Ariſtot. D. Thom. & ferè omnium Peripateticorum, à quo non licet recedere, nam ſi quis pro ſuo libito, & capite vtitur terminis, nulla veritas

Digitized by Google

veritas firma manebit : tum vrgentiſſimis rationibus, quas breuitatis cauſa omitto. Sequitur ſecundò quid ſit praxis, & an inueniatur in intellectu, ſi n. practicum denominatur à praxi, vtrumquè eodem modo explicandum eſt, alterum in concreto, & alterum in abſtracto, neutrum autem inuenitur in ipſo intellectu, ſi intra ſuam ſphęram perſiſtat, ſiquidem totum illius negotium eſt veritatis contemplatio, ſi autem accipiatur quatenus dicit ordinem ad aliam potentiam operatiuam, tunc in illo poteſt inueniri praxis, & hac ratione dicitur quod intellectus extenſione ſit practicus. De quo videantur noſtri Thomiſtæ iam adducendi.

381. Quo ſuppoſito eſt 1. ſententia aſſerens logicam eſſe ſimpliciter practicam, & ſimul ſimpliciter ſpeculatiuam. Pro hac ſententia referuntur Vazquez, Rubio, Hurtado, Capero, Martinez, & alij, inter quos eſt differentia; nam quidam dicunt vtramque rationem practici, & ſpeculatiui conuenire eidem habitui. Alij vero aſſerunt eſſe duos habitus, quorum alter eſt ſpeculatiuus, & practicus alter. Secunda ſententia docet logicam abſolutè, & ſimpliciter eſſe practicam, quam defendunt P. Fonſeca, Conimbricenſes, Murcia, & alij moderni, & antiqui, quos referunt Thomiſtæ iam referendi. Tertia ſententia affirmat logicam eſſe abſolutè, & ſimpliciter ſpeculatiuam. Hanc defendit vniuerſa ſchola Thomiſtarum, & Scotiſtarum, quos referunt, & ſequuntur Colleg. diſcalc. diſp. 1. quæſt. 6. num. 65. Mag. Ioann. à S. Tho. qu. 1. art. 4. Mag. Araujo lib. 1. metaph. quæſt. 3. art. 1. nu. 18. & 19. Inter quos Gallego cont. 6. ſingularis eſt aſſerens logicam eſſe ſpeculatiuam ſecundùm quid, & reductiuè, & refert pro ſe Hiſpalenſem, ſed hoc dicam poſtea. num 299.

§. 2.

Eligitur vera ſententia.

382. Pro reſolutione veritatis ſit con. 1. Logica non eſt ſimul ſpeculatiua, & practica ſimpliciter. Hæc con. defenditur ab authoribus ſecundæ, & tertiæ ſententiæ. Et probatur ratione à priori. Nam iſtę differentiæ practici, & ſpeculatiui ſecundùm ſe conſideratæ afferunt rationes oppoſitas, & quarum vna excludit aliam: ergo non compatiuntur reſpectu eiuſdem habitus. Patet cõa. Nam ex ipſis differentiis ſecundum ſe conſideratis colligitur euidenter an compatiantur reſpectu eiuſdem. Et antecedens probatur. Nam formalis ratio ſpeculatiui conſiſtit in eo, quod eius finis eſſentialis ſit ſpeculatio, ita vt hęc ſit principaliter intenta; ratio autem practici eſſentialiter conſtituitur per hoc quod eius finis eſſentialis, quem, vt principalem reſpicit, ſit operatio aliqua. At reſpicere ſpeculationem, vt finem eſſentialem, principaliter intentum, & reſpicere operationem, vt finem eſſentialem, & principaliter intentum ſunt rationes oppoſitæ ſecundum ſe, & vna excludit alteram: ergo ita ſunt rationes

Digitized by Google

practici, & ſpeculatiui. Ma. conſt. ex dictis num. 291. Et mi. Probat. Nam operatio, & ſpeculatio inter ſe ſunt valdè diſtinctæ, & oppoſitæ, vnaquè alteram excludit, & ideo requirunt modos inter ſe valde diſtinctos, & oppoſitos, quales ſunt reſolutiuus, & compoſitiuus; ergo reſpectus ad vnam, vt eſſentialiter, & principaliter intentam excludit reſpectum ad aliam, vt eſſentialiter, & principaliter intentam; & cõtra vterquè reſpectus non inuenitur ſimpliciter in eodem habitu. Ex qua ratione ſub hac forma propoſita impugnantur ſolutiones communes. Si .n. prædictæ differentiæ ſecundum ſe afferũt prædictam diſtinctionem, & oppoſitionem, reſpectu nullius erunt compoſſibiles. Quapropter inſtandum eſt in eo, quod illæ ſecũdum ſe dicũt rationes prædicto modo oppoſitas, & ex hoc clarè colligitur incompoſſibilitas illarum reſpectu cuiuſcunque ſubiecti, vel quaſi ſubiecti. Ad quam rationem reducuntur aliæ adductæ à Thomiſtis ex modo procedendi diſtincto, ex obiecto, & ex principijs, nam huiuſmodi diſtinctio clariùs apparet in finibus, quos eſſentialiter reſpiciunt, Conſultoquè dixi operationem principaliter reſpici à practico, & ſpeculationem ab ſpeculatiuo, nam reſpicere vnam principaliter, & alteram ſecundario non reputo inconueniens, cæterum tunc erit ſimpliciter ſpeculatiua, ſi ſpeculatio ſit intenta principaliter, & practica ſecundum quid, ſi operatio eſt ſecundario intenta, vt dicemus nu. 294. de quo videatur noſter M. F. xantes Mariales, qui optimè expendit hanc rationem tom. 1. contr. 8 ...

383. Secunda concluſio. Logica non eſt ſimpliciter practica, ſed ſimpliciter ſpeculatiua, quamuis aliquem modum practicæ induat ratione cuius poteſt dici practica ſecundum quid. Hæc con. defenditur ab authoribus tertiæ ſententiæ contra authores primæ, & ſecundæ. Probatur autem quantùm ad ſecundam partem, nempè quod ſit ſimpliciter ſpeculatiua, & probata manebit, quoad primam. Nam logica ordinatur vt ad finem eſſentialem principaliter intentum, ad contemplandam veritatem, quapropter procedit modo reſolutiuo explicando ſua principia, & præcepta, illaque probando, & ſimul demonſtrando plures paſſiones de ſuo obiecto, & hæc eſt eius principalis cura, vt conſtat ex dictis ſupra num. 257. & 261. ergo eſt ſcientia ſpeculatiua ſimpliciter, & abſolutè. Antecedens ſupponitur, & conſequẽtia probatur. Nam ratio eſſentialis ſcientiæ ſpeculatiuæ illa eſt, vt conſtat ex dictis num. 291. ergo ſi illa inuenitur in logica, erit ſimpliciter ſpeculatiua, & non ſimpliciter practica, hæc .n. ex ſe ordinatur ad operationem, vt ad finem eſſentialem principaliter intentum. Confirmatur, & ſimul probatur vltima pars concluſionis. Nam licet verum ſit, quòd ſunt aliqui actus in logica, quibus conſtruantur aliqua inſtrumenta logicalia, & ex hac parte videatur eſſe aliqua ratio practici, tamen tales actus ordinantur, vt ad finem, ad contemplationem veritatis. Tùm quia inſtrumenta logicalia ex ſe ad illum finem ordinantur: tum quia prædicti actus ſunt ſecundarij reſpectu logicæ, & conſequenter ex ſe ordinantur ad primarium, qui eſt verita-

Digitized by Google

veritatis contemplatio tàm in propria materia,quam in materia aliarum ſcientiarum: ergo logica ſimpliciter, & abſolutè eſt ſpeculatiua, etiam reſpectu illorum actuum: quamuis habeat aliquam ſimilitudinem cum habitibus practicis.

Quæ doctrina expreſſe traditur à D. Tho. 12. quæſt. 57. artic. 3. & 22. quæſt. 51. artic. 2. cuius verba referunt hic communiter Thomiſtæ, & à nobis ſunt adducta ſupra num. 271. Ex quo infertur non ſolum logicam docentem eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam, ſed etiam logicam vtentem, nam actus iſtius tandem ordinatur ad ſpeculationem, & de logica vtente verificatur quòd ſit ſecundùm quid practica, ideſt habeat aliquam ſimilitudinem cum practicis, quatenus actus eius immediatè tendit ad cõponendum aliquod totum, ſed quia hoc ex ſe ordinatur ad ſpeculationem, ideo eſt actus ille ſimpliciter ſpeculatiuus.

384. Arguitur primò contra 1. concluſionem. Nam logica reſpicit duos fines, ſcilicet contemplationem veritatis, & conſtructionem inſtrumenti logici, & duplici modo procedit, ſcilicet reſolutiuo, vt ſcientia eſt, & compoſitiuo, vt ars eſt. Etenim, vt docens tradit præcepta, & paſſiones demonſtrat, & vt vtens applicat talia præcepta, & introducit formam in materiam conſtruendo inſtrumenta logicalia: ergo ſimul eſt ſpeculatiua,& practica. Confirmatur quia logica tradit inſtrumenta non ſolum ad ſcientias ſpeculatiuas, ſed etiam ad practicas, ideoquè vocatur ianua ad omnes: ergo ex ſe ſimul ordinatur ad contemplationem, & ad operationem.

Ad hoc argumentum conſtat ex dictis finem principaliter intentum à logica eſſe contemplationem veritatis, ad quam ordinatur conſtructio illa inſtrumenti logici, qua propter ſolum eſt ſpeculatiua ſimpliciter, & practica ſecundùm quid, nam ratio ſpeculatiui ſimpliciter deſumitur ex fine principaliter intento, quod ſi alium reſpiciat minus principaliter, denominabitur ab illo ſecundum quid, & ſic contingit in præſenti. Ad Confirmationem dico logicam præbere inſtrumenta ſcientijs practicis, ea ratione qua ſcientiæ ſunt, & non ea ratione, qua ſunt practicæ, & ideò dicitur ianua ad omnes, non tamen ex hoc ſequitur denominari ipſam practicam.

385. Arguitur ſecundò contra eandem concluſionem. Nam nulla eſt contradictio in eo quod illa quæ in ſcientijs inferioribus ſunt diſperſa, aduneutur in aliquo ſuperiori, & vniuerſaliori: at logica eſt ſcientia vniuerſalis, cuius obiectum ad omnia ſe extendit: ergo quamuis practicum, & ſpeculatiuum in ſcientijs inferioribus diſtinguantur, poſſunt adunari in logica propter ſuam vniuerſalitatem. Ma. poteſt probari pluribus exemplis, ſufficiat vnum. Nam Theologia noſtra, quia eſt ſcientia ſuperior, in ſe continet rationem ſpeculatiui, & practici, vt eſt conſtans doctrina 1 par. quæſt. 1. art. 4. ergo maior eſt vera. Confirmatur, & vrgetur hoc. Nam ſi ratio, qua vtimur ad probandam noſtram concluſionem, eſſet efficax, conuinceret quod ratio ſpeculatiui, & practici in nulla ſcientia, quantùmuis ſuperiori inueniretur: hoc autem non eſt dicen-

T dum,

dum, ſi quidem illæ duæ rationes adunantur in theologia, in fide, & in alijs donis, vt fatetur D. Thom. quem ſequuntur communiter Thomiſtæ: ergo ratio illa nulla eſt. Ma. pr. Nam ratio illa fundatur in eo quo formalis ratio ſpeculatiui excludit rationem formalem practici: & illa, quæ ex ſe mutuo ſe excludunt, reſpectu nullius habent compoſſibilitatem: ergo ſi ratio illa eſt efficax multùm probat.

386. Ad hoc argumentum reſpondeo 1. Solutione communi, quòd practicum, & ſpeculatiuum ſunt differentiæ per ſe, & eſſentiales reſpectu habitus ordinis naturalis, & proinde cum logica ſit ordinis naturalis, non poſſunt in illa adunari illæ duæ rationes, bene autem in theologia, quæ eſt ordinis ſupernaturalis, & ſuperioris, in qno illæ non ſunt differentiæ eſſentiales, & huius afferuntur innumera exēpla. Ad confirmationem dico iuxta hæc quod illa ratio debet intelligi, quod vna excludat alteram in illo ordine, in quo ſunt differentiæ eſſentiales, non autem in alio ſuperiori, ad quem pertinent illi habitus ſupernaturales.

387. Secundò reſpondeo nullum habitum ſupernaturalem eſſe ſimpliciter practicum, & ſimpliciter ſpeculatiuum, & hoc nunquam dixiſſe D. Tho. quin potius quotieſcunq; de hac ſimultate ſpeculatiui, & practici loquitur, ſemper aſſignat aliquam inæqualitatem inter rationem ſpeculatiui, & practici, aliquādo enim ait eſſe magis ſpeculatiuū, quam practicum, aliquando eſſe principaliter ſpeculatiuum, & ſecundario, vel ſecundùm quid practicū. Qui modus loquendi eſt valde notandus in D. Th. vt aduertit M. Fr. Xantes Mariales tom. 1. cont. 33. c. 3. vbi latiſſimè oſtendit hanc eſſe mentem D. Tho. & adducit eius teſtimonia clara, & manifeſta. Qua propter iuxta hanc ſolutionem, facile reſpondetur ad argumentum, imo pro nobis eſt. Nam ſi theologia, quæ eſt ordinis ſupernaturalis, tantum adunat ſpeculatiuum ſimpliciter, & practicum ſecundum quid, quomodo logica, quæ eſt ordinis naturalis erit ſpeculatiua, & practica ſimpliciter? Ad confirmationem dico ita eſſe quod illa ratione conuincitur nullum habitum ſupernaturalem eſſe ſimul ſpeculatiuum, & practicum ſimpliciter, & de mente D. Thomæ conſtat.

388. Arguitur 3. contra ſecundam concluſionem ex D. Th. qui in opuſc. 70. q. 1 art. 1. ad 2. ſic ait [res autem de quibus eſt logica, nō quæruntur ad cognoſcendum propter ſe ipſas, ſed vt adminiculum, quoddam ad alias ſcientias, & ideo logica non continetur ſub phyloſophia ſpeculatiua, quaſi principalis pars, ſed quaſi quoddam reductum ad eam, prout miniſtrat ſpeculationi ſua inſtrumenta, quibus in ſpeculatiuis ſcientijs indigemus.] Hæc D. Thomas. In quibus clariſſimè docet logicam contineri ſub ſcientia ſpeculatiua, quaſi quoddam reductum, & ſecundùm quid, non autem abſolutè, & ſimpliciter, ſicut aliæ ſcientiæ reales.

Ad hoc argumentum reſpondeo logicam inter cæteras ſcientias infimum locum in perfectione habere, & ideo inter ſcientias ſpeculatiuas eſt imperfectior, & ideo docet D. Thomas reduci ad Philoſophiam ſpeculatiuam, quaſi imperfectum ad perfectum, quod non tollit ipſam eſſe ſimpliciter ſcientiam

Digitized by Google

tiam ſpeculatiuam ex fine, & modo procedendi, vt dictum eſt, & ſic eſt intelligendus D. Th. multis in locis. Quapropter debili fundamento motus fuit Gallego ad ſuam ſingularem ſententiam, quam non docuit Hiſpalenſis, ſed tantùm tradidit ipſam D. Thomæ doctrinam. Alia argumenta omitto, quia facillima, & ex dictis facillimè diſſoluentur.

SECVNDVS TRACTATVS

De natura, & cauſis entis rationis.

Proæmium.

389. NAturam, & cauſas entis rationis in ſua generalitate, prout diſtinguitur ab ente reali, conſiderare ſpectat ad metaphiſicam. Quapropter in præſenti tractatu reſtringemus ſermonem ad ens rationis logicum, vt falcem in alienam meſſem non mittamus, & hoc quantùm fieri poſſit, nam aliqua dicere de ente rationis in communi inexcuſabile eſt. In primis explicabimus eſſentiam, & exiſtentiam entis rationis logici, & deinde inueſtigabimus eius cauſas, præſertim efficientes, vel quaſi efficientes, nam de alijs parum aut nihil dicendum occurrit præter dicta ſupra num. 24. & ſequent. in quibus etiam explicuimus varias diuiſiones entis rationis, his ergo ſuppoſitis ad examinandas grauiores difficultates accedamus.

CONFERENTIA I.

Vtrum ens rationis logicum conſiſtat formaliter in aliqua entitate intrinſeca.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

590. SVppono varias acceptiones entis rationis nu. 24. relatas, dum explicuimus eius diffinitionem, & ago in præ-

 ſenti

ſenti de illo ente rationis, cuius totum ſuum eſſe eſt obijci intellectui, ita vt nullum aliud eſſe habet à parte rei, vt ibidem relinquitur explicatum, & magis in particulari tracto de illo ente rationis, quod deſeruire poteſt ad finem ipſius logicæ, quodque vocatur ens rationis directiuum operationum intellectus, & de hoc inquiro in quo ſita ſit eius formalis ratio conſtitutiua. In qua difficultate mirum eſt quanta ſit diuerſitas ſententiarum, & meo videri maior pars reducitur ad quæſtionem de nomine, nam vnuſquiſque exiſtimat ſignificari hoc nomine, ens rationis, illud quod ipſe imaginatur aliquomodo deviare ab eſſe à parte rei, quod conſtabit ex dicendis. Prima ſententia aſſerit omnem extrinſecam denominationem, quocunque modo, & à quacunque forma prouenientem eſſe ens rationis. Hæc refertur communiter à Doctoribus abſque Patrono, vt videre eſt in Rubio, quamuis aliqui referant Durandum illam aſſerentem, ſed immeritò nam, vel docuit ſententiam ſecundam, vel noſtram, & communem Thomiſtarum. Secunda ſententia docet ens rationis conſiſtere in illa denominatione extrinſeca prouenïente ab actu rationis, ſeu intellectus, quo obiectum dicitur cognitum, illud n. eſſe cognitum extrinſece, & obiectiuè eſt ens rationis. Pro hac ſententia referuntur Durandus. Soto, & alij Thomiſtæ. Et quod magis eſt, impugnatur à P. Arriaga in metaph. diſp. 6. ſect. 1. tanquam communis Thomiſtarum. Tertia ſententia docet ens rationis conſiſtere in compoſitione, ſeu vnione aliquorum incompoſſibilium, quia propter omne obiectum impoſſibile dicunt eſſe ens rationis, & omne obiectum propoſitionis falſæ, licet non ſit impoſſibile, & quidquid ex parte aliquius obiecti conſideratur, quòd à parte rei non ſit, vel quantum ad rem ipſam, vel quantum ad modum terminandi, dicunt eſſe ens rationis. Hæc ſententia refertur à P. Vallio abſque Patrono eam autem defendunt Hurtado, Arriaga vbi ſupra in tota illa diſputatione, & Serna Hiſpalenſis in logica diſputat. 1. lect. 4. art. 5. & 6. quarta ſententia affirmat ens rationis formaliter conſiſtere in quadam entitate metaphorica fabricata ab intellectu noſtro, quæ conſideratur ex parte ipſius obiecti. Hæc defenditur communiter à Thomiſtis Modernis ſequentibus antiquos, nempè Herbæum, & Soncinatem, quos pro hac ſententia adducit P. Vallius Prolog. par. 1. quæſt. 2. cap. 2. in fine.

§. 2.

Impugnantur duæ primæ ſententiæ.

391. PRo reſolutione veritatis ſit con. 1. Nulla extrinſeca denominatio eſt formaliter ens rationis. Hæc communiter accipitur à Thomiſtis. Et probatur ratione. Nam omnis extrinſeca denominatio proueniens à forma reali [de qua hic loquimur] eſt à parte rei independens

ab

ab operatione intellectus : ergo nulla formaliter eſt ens rationis. Probatur antecedens. Nam forma denominans eſt à parte rei, & id, quod denominatur, eſt à parte rei; ergo denominatio ipſa, quæ eſt quaſi effectus formæ, etiam eſt à parte rei. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam quando paries dicitur viſus à viſione reali potentiæ, & obiectum volitum à reali volitione voluntatis, & cognitum à reali cognitione intellectus, tunc formæ denominantes ſunt reales, & à parte rei exiſtentes, & obiecta denominata ſunt etiam à parte rei, ita vt ſit verum dicere intellectus realiter intelligit obiectum, & obiectum realiter terminat cognitionem, & ſic de alijs: ergo nulla ex his denominationibus extrinſecis eſt formaliter ens rationis. Quæ doctrina ita clara eſt, & mihi certa, vt iudicem à nullo fuiſſe negatam: quando vero aliqui Thomiſtæ dixerunt extrinſecas denominationes eſſe entia rationis, loquebantur fundamentaliter, & per ipſum fundamentum, quod clarius eſt, explicabant entitatem ſubſecutam. Quapropter aliqui diſtinguunt illud eſſe extrinſecum, dicentes poſſe accipi vel terminatiuè, vel relatiuè, & hoc ſecundo modo dicunt eſſe ens rationis formaliter, tunc enim iam conſideratur entitas aliqua in ipſo obiecto, & illa eſt formaliter ens rationis.

393. Probatur 2. con. Nam ens rationis debet conſiſtere in aliquo, quod formaliter, ſeu per modum formæ denominet obiecta cognita, ad quæ conſequitur, vt accidens illorum; ſed nulla forma extrinſecè denominans denominat formaliter, ſeu per modum formæ: ergo in nulla conſiſtit formaliter ens rationis. Ma. ſupponitur. Et mi. pr. & ſimul explicatur natura extrinſecæ denominationis, & claritatis gratia ſumamus hanc [Petrus eſt cognitus] tunc ſic formatur ratio. Nam cognitio illa, quæ eſt forma denominans, reſpicit Petrum, vt terminum, ſeu obiectum quod attingit, & conſequenter illum prout ſic debet denominare, ſiquidem denominatio ſequitur ad eſſe, ac proinde ſi in re obiectum comparatur, vt terminus, eodem modo actio denominat obiectum, & hoc eſt ab illa denominatum, ſed hæc non eſt denominatio formalis, ſeu per modum formæ ergo, &c. pr. mi. Nam in denominatione formali, ſeu per modum formæ id, quod denominatur, ſe habet vt ſubiectum, ſeu vt materia reſpectu denominationis, & reſpectu formæ. Forma .n. non præbet ſuum effectum formalem niſi illi, quod reſpectu illius ſe habet vt materia, ſeu vt recipiens talem effectum formalem, & ſimiliter denominatio formalis, quæ reſultat ex effectu formali, non eſt niſi reſpectu alicuius, quod ſe habet per modum ſubiecti; ergo ſi actio illa comparatur ad obiectum, vt ad terminum, quem attingit, & ipſa in re exercet munus actionis, & illud munus termini, ſeu obiecti attacti, ex tali comparatione non poteſt reſultare denominatio aliqua formalis, ſeu per modum formæ. Erit autem denominatio realis, cum à parte rei ſit forma denominans, licet non per modum formæ, & id quo denominatur reale ſit, & realiter exiſtens, & comparatio vtriuſquè ſit à parte rei. Ex qua ratione colligitur mens aliquorum Thomiſtarum dicentium

extrin-

extrinſecam denominationem eſſe ens rationis, non .n. loquebantur de illa comparatione reali formæ ad terminum, ſed de denominatione alia formali, quam præbet intellectus, conſiderando illud eſſe extrinſecum, ac ſi eſſet aliquid in obiecto, & tunc reſultat entitas quædam intrinſeca, ratione cuius obiectum denominatur formaliter tale: & hanc entitatem intrinſecam vocant nomine ſui fundamenti, quod eſt illa extrinſeca, & realis denominatio.

§. 3.

Impugnatur tertia ſententia.

393. SEcunda concluſio. Ens rationis non conſiſtit in illo obiecto impoſſibili, vt aſtruitur à tertia ſententia. Hæc concluſio eſt cõmunis Thomiſtarum, & defenditur à P. Vallio vbi ſupra cap. 5. Et probatur primo impugnando illos, qui abſolutè docent, ens rationis eſſe obiectum impoſſibile. Nam iſti non diſtinguunt inter ens rationis, quod habet fundamentum in re, & inter illud, quod nullum habet in re fundamentum iuxta dicta ſupra num. 25. & 26. at hoc dici non poteſt, ſiquidem ex communi ſenſu hominum, vt notat ibidem P. Vallius, iſta duo entia rationis diſtingui debent: manifeſtum eſt .n. plura entia rationis non poſſe pro libito formari, v. g. ens rationis, quod eſt genus, non poteſt formari ex cognitione naturæ humanæ in ordine ad ſua indiuidua, & ſic de omnibus alijs, quæ pertinent ad conſiderationem logicam, quæ ſequuntur ex diuerſis obiectis cognitis cum diuerſo modo: ergo prædicta ſententia docens ens rationis eſſe obiectum impoſſibile, omninò reijcienda eſt.

394. Secundò pr. con. contra illos, qui defendunt quòd tunc fit ens rationis, quando concipimus aliquid reale aduenire rei, quod tamen non aduenit, in quo conſiſtit impoſſibilitas obiecti. Nam quando intellectus cognoſcit aliquam rem, vt ordinatam ad aliud, ad quod in re non ordinatur, non concipit ibi relationem realem, quaſi referentem realiter rem ad illud, ad quod non refertur: ergo fundamentum illud falſum eſt. Probatur antecedens. Nam quando concipio ſubiectum, & prædicatum, v. g. in hac propoſitione (homo eſt animal) non apprehendo hominem dicere realem relationem ad animal, & ſimiliter quando concipio deum cum relatione ad creaturas non apprehendo ipſum realem relationem dicentem ad creaturas, quod manifeſtè conſtat, nam poſtea in ſecunda operatione formo hoc iudicium homo non ordinatvr realiter ad animal, & iſtud, Deus non dicit relationem realem ad creaturas: ergo in prima operatione non concipitur relatio realis ex parte obiecti. Aliud enim eſt quòd concipiatur ad modum relationis realis, quod verum eſt, aliud vero quòd concipiatur, vt realiter relatum obiectum, & hoc falſum eſt, ſit exemplum quando concipio Deum, & ſubſtantias ſpirituales, ſit ad modum rerum materia-

teria-

Digitized by Google

terialium; non tamen concipio Deum, aut ſubſtantia ſpirituales, vt res materiales, ſed potius diſtinguo, & ſeparo illas à rebus materialibus, & ex parte obiecti, ſeu conceptus obiectiui, non relucet formaliter natura materialis, ſed tantùm connotatiuè; ergo quamuis relatio rationis formetur ad modum relationis, non tamen ex hoc ſequitur quod talis relatio realis apprehendatur ex parte obiecti, ſed ſufficit quod connotetur, tanquam id, ad cuius ſimilitudinem fit altera relatio rationis. Et quidem ſic formatur relatio rationis, intellectus poteſt illa, quæ ſunt vnita diuideret & diuiſa adunare, & tunc ordinat vnum ad alterum ex modo cognoſcendi, & tunc reſultat ibi relatio rationis, quæ conſiſtit in ordine illo obiectiuo attacto per noſtros actus, ille autem ordo conſideratur à noſtro intellectu ad inſtar ordinis, ſeu relationis realis. Et clarius apparet in relatione dominij, quę eſt in Deo per rationem, conſiderat noſter intellectus creaturas realiter referri ad Deum, vt ad creatorem, & habentem ſupremam poteſtatem, & apprehendit ex parte dei ordinem ad creaturas, cum tamen in re non ordinetur, non tamen apprehendit illum realiter ordinatum, vt volunt authores, quos impugno, & poſſunt impugnari ex doctrina ſequenti, nam ſi non ponatur aliqua entitas intrinſeca in obiecto cognito, non relinquitur aliud, quod poſſit eſſe ens rationis.

395. Tertio pr. con. impugnando ſententiam Magiſt. Serna aſſerentis ens rationis conſiſtere in eo quod ex parte obiecti reluceat, vel aliquod impoſſibile, vel poſſibile quod in re non inueniatur in obiecto ſaltim quoad modum. Nam totum, quod numeratur in hac ſententia eſt aliquid reale, quod ſic oſtendo obiectum eſt aliquid reale, cognitio ipſa eſt aliquid reale, & quidquid ex parte obiecti relucet, reale totum eſt: ergo nihil aſſignat quod formaliter ſit ens rationis. Probatur antecedens, quando cognoſco deum, vt ordinatum ad creaturas, ad quas in re non eſt ordinatus, cognitio illa realis eſt, deus realis eſt, creaturæ ſimiliter habent eſſe reale, quid ergo eſt illud, quod formaliter eſt ens rationis? Reſpondet Serna eſſe illud eſſe obiectiuum Dei reſpectu noſtræ cognitionis, ita vt Deus ipſe in recto aſſeratur, & cognitio in obliquo, & cum illud eſſe obiectiuum non habeat Deus à parte rei, illud eſt formaliter ens rationis, & idem dicit de quolibet ente rationis, nempè conſiſtere in illo eſſe obiectiuo, ratione cuius obiectum eſt præſens intentionaliter potentiæ. Hęc autem doctrina impugnatur. Nam in tali eſſe obiectiuo totum quod inuenitur, eſt quid reale, quod ſic probo in exemplo allato, nam obiectum reale eſt, nempè, Deus, & cognitio eſt realis, & præſentia illa realis eſt, nam obiectum dupliciter trahitur ab intellectu, vel per ſpeciem impreſſam, vel per expreſſam, ſiue expreſſa realiter diſtinguatur ab actu, vt dicunt Thomiſtę, vel ſit idemmet actus, ſed obiectum habet eſſe realiter in vtraque ſpecie impreſſa, & expreſſa, ſiquidem ipſæ reales ſunt: ergo præſentia ipſa obiecti realis eſt. Nec

obſtat

Digitized by Google

obſtat quod ſit præſentia intentionalis, nam hæc realis eſt, vt conſtat de ſpecie impreſsa, in qua obiectum eſt præſens intentionaliter; & tamen eſt realiter præſens. Et tandem etiam ſi obiectum accipiatur in recto, & cognitio in obliquo, totum eſt reale, & hoc à parte rei inuenitur, quod obiectum ſit præſens potentiæ; & illius actum terminet: ergo totum, quod inuenitur ibi, eſt reale, & conſequenter non intelligitur tunc formaliter ens rationis. Alia enim quibus vtitur Serna ad explicandam illam præſentiam obiectiuam, facilè ex dictis impugnantur, nam quantùmuis diſcurrat, ſemper aſſignat prædicata realia, & niſi addat entitatem aliam, nunquam explicabit quidditatem entis rationis.

§. 4.

Eligitur, & probatur vera ſententia Thomiſtarum.

397 TErtia concluſio. Ens rationis conſiſtit formaliter in quadam entitate metaphorica, quæ reſultat in obiecto cognito, ratione cuius intrinsecè denominatur. Hæc concluſio admittitur communiter à Thomiſtis, vt videri poteſt in Colleg. diſcalc. in log. diſp. 2. quæſt. 2. Et fundatur in doctrina D. Thomæ opuſc. 52. cap. 1. vbi ait. [tunc effici ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non eſt, & ideo fingit illud, ac ſi eſſet ens] idem docuit in. c. diſp. 2. quæſt. 1. artic. 3. vbi dixit ens rationis eſſe illud, quod conſequitur ex cognitione, ſeu ex modo cognoſcendi. Ex cuius doctrina tam in his locis, quàm in alijs relatis à Thomiſtis, conſtat iuxta illius mentem reſultare aliquid in obiecto cognito, quod intrinſecum debet eſſe. Et probatur ratione à ſufficiente enumeratione. Nam ens rationis non poteſt conſiſtere in aliqua extrinſeca denominatione, non in aliquo obiecto impoſſibili iuxta modos impugnatos: ergo conſtitui debet entitas aliqua intrinſeca, in quo formaliter inueniatur ratio formalis entis rationis, cum ſine illa quidquid aſſignetur ſit reale, niſi quæſtio ad voces deuoluatur, an ſcilicet illud eſſe aſſignatum à contrarijs ſit dicendum, vel non, ens rationis, in quo parum eſt immorandum, ſiquidem conſtat illud habere eſſe reale, qualecunque illud ſit, vocetur autem, vel non vocetur ens rationis. Confirmatur ratio poſita, & eſt optima congruentia. Nam ens rationis eſt medium inter entitatem realem, & purum nihil, ſed illa entitas metaphorica hoc medium habet: ergo illa eſt formaliter ens rationis. Maior eſt certa, nam ens rationis aſſimilatur vtrique extremo, ſcilicet enti reali, & puro nihilo, & hac ratione dicitur eſſe medium. Et minor probatur. Nam illa entitas non eſt vera, & realis; ſed tantùm ficta, & apparens, & ideo dicitur metaphorica, ſitquè ab intel-

Digitized by Google

intellectu, & ideo eſt pluſquam nihil, cum aliquod eſſe habeat, licet diminutum: ergo medium eſt inter vtrumquè extremum, & aliàs omnino dependens ab intellectu, & reſultans in ipſo obiecto cognito, habenſquè tantùm illud eſſe obiectiuum, & conſequenter nihil illi deſſicit quominus ſit ens rationis, maximè cum ex nullo capite repugnet, vt conſtabit ex dicendis num 315.

§. 5.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

398. Arguitur. 1. ad probandum extrinſecas denominationes eſſe aliquid rationis. Nam prædictæ denominationes nihil in re ipſa ponunt, v. g. parietem eſſe viſum, obiectum eſſe cognitum, nihil reale ponunt in ipſis rebus denominatis, vt conſtat manifeſtè, & tamen aliquid eſt id, quod ſignificatur per illud eſſe viſum, eſſe amatum, & eſſe cognitum: ergo eſt aliquid rationis. Si n. non eſt purum nihil, neque ens reale, non reſtat quid ſit, niſi ens rationis. Confirmatur, & vrgetur hoc. Nam præciſè ex eo quod Deus terminet relationem realem creaturarum ad ipſum, dicitur, & denominatur formaliter dominus, ſed forma, qua denominatur dominus, eſt ens rationis: ergo hæc eſt extrinſeca denominatio. Patet cõq. Nam Deum terminare relationem creaturarum eſt denominatio extrinſeca tantum? ergo ſi ex vi præciſè huius terminationis, dicitur formaliter dominus, talis denominatio, quæ eſt ens rationis, & prouenit à forma rationis, erit illa extrinſeca denominatio.

399. Ad hoc argumentum reſpondeo nihil reale reſultare in ipſis rebus ex prædictis denominationibus ad hunc ſenſum, quod nihil reale recipiunt, at quia realiter terminant prædictas actiones, quæ illis ſunt extrinſecæ, ideo per illa concreta ſignificatur talis terminatio, & hoc ſignificant ly eſſe viſum, eſſe amatum, eſſe cognitum, ac proinde non ſunt nihil, non tamen ſunt entia rationis, cum in re ſit totum illud ſigniſicatum, vt conſtat ex dictis nu. 303. Ad confirm. reſpondeo Deum dici Dominum realiter ratione ſuæ potentiæ coercitiuæ reſpectu creaturarum, & ratione illius extrinſecæ terminationis dicitur dominus fundamentaliter, & hoc in re, cum in re ipſa terminet relationem creaturarum abſq; ſui mutatione. Cæterum formalitas rationis ab intellectu fabricata, dum Deum apprehendit non ſolùm, vt terminantem relationem, ſed etiam vt relatum ad ipſas creaturas, & hæc etiam denominatio relati in Deo, eſt formaliter ens rationis, & præſupponit illam extrinſecam denominationem, & ratione illius dicitur Deus formaliter Dominus.

400. Arg. 2. ad probandum ſaltem extrinſecam denominationem cogniti eſſe formaliter ens rationis. Nam obiectum eſſe cognitum eſt tantùm eſſe obiectiuè in intellectu, cum à parte rei non debet illud eſſe cognitum? ergo

ergo talis extrinſeca denominatio erit ens rationis. Et confirmatur hoc. Nam ſi obiectum cognoſcatur aliter ac eſt in re, vel quantum ad ſubſtantiam, vel quantùm ad aliquem modum, tunc illud eſſe obiectiuum non eſt à parte rei, ſiquidem in re habet modum oppoſitum, vel prædicata oppoſita: ergo ſaltem illud eſſe obiectiuum extrinſecè erit ens rationis formaliter.

401. Ad hoc argumentum reſpondeo ex dictis illud eſſe cognitum extrinſecè, verè dari à parte rei, ſiquidem nihil aliud eſt eſſe cognitum, quam obiectum terminare cognitionem, quod tantum in re eſt. Nam ſicut in re ita eſt, quod intellectus cognoſcit rem, ita etiam res dicitur cognita in re, ideſt, in re terminans cognitionem. Ad confirmationem dico illud eſſe cognitum aliter ac eſt in re, ſi præcisè ſiſtat in extrinſeca denominatione cogniti, eſſe aliquid reale, quandoquidem cognitio realis eſt, & id quod obijcitur aliquid reale, ad illud autem ſic cognitum ſequitur entitas alia, quæ formaliter eſt ens rationis, & fundatur ſupra illud eſſe cognitum extrinſecè, quod in omni obiecto reali, eſt quid reale.

402. Arguitur 3. contra 3. con. Nam quando formantur entia rationis, concipimus aliquod impoſſibile: ergo in illo obiecto impoſſibili cognito conſiſtit formaliter ens rationis. Probatur antecedens exemplis. Nam quando concipimus Deum relatum ad creaturas, apprehendimus Deo aduenire aliquam relationem realem, quæ in re impoſſibilis eſt Deo, & tunc formatur ens rationis, & quando apprehendimus naturam, vt vniuerſalem concipimus in ipſa vnitatem, & communitatem realem in pluribus, cum tamen in re talis vnitas, & communitas ſit quid impoſſibile in ipſa natura, & in natura prout ſic concepta eſt ens rationis, & ſic de alijs: ergo quando formantur entia rationis, concipimus aliquid impoſſibile. Et ratio omnium eſt. Nam intellectus noſter nihil poteſt intelligere, niſi medijs ſpeciebus, quas accepit à ſenſibus, qui non miniſtrant ſpecies niſi entium realium: ergo quando concipit relationem, concipit illam per ſpeciem relationis realis, & conſequenter concipit relationem realem: & tandem quãdo concipit aduenire alicuĩ obiecto relationem, tunc concipit aduenire relationem realem, quod eſt impoſſibile quoddam, ac proinde in hoc conſiſtet eſſentia, & quidditas entis rationis.

403. Ad hoc argumentum negatur antecedens. Ad probationem reſpondeo ex dictis falſum eſſe, quod quando intellectus format relationem illam rationis, fiat attribuendo relationem realem, non .n. alio modo fit niſi cognoſcendo obiectum in ordine ad aliud, vel comparatiuè ad aliud, vt infra dicemus, & quidem aliud eſt quod relatio rationis cognoſcatur per ſpeciem relationis realis, & ad inſtar illius; aliud vero quod concipiatur relatio realis, & attribuatur obiecto, vt reſultet relatio rationis, primum pro nunc admitto, & ſecundum nego. Eſtque manifeſta inſtantia. Nam non ens, & nihil concipio per ſpecies entis realis; & tamen quando concipio

non

Digitized by Google

non ens .l. nihil, non concipio aliquod impoſſibile. Item per ſpecies rerum ſenſibilium cognoſco Deum, & angelos, & tamen illos concipiendo non apprehendo aliquod impoſſibile, & ſic in noſtro caſu non ſequitur ex eo quod cognoſcatur relatio rationis per ſpeciem relationis realis, quod apprehendatur aliquod impoſſibile, quando concipitur relatio rationis. Et per hæc conſtat ſolutio ad exempla, & rationem.

404. Argumentum 4 contra 3. con. Nam illa entitas metaphorica nullam poteſt ſui cauſam habere: ergo non datur. Probatur antecedens. Nam intellectus ex ſe non habet poteſtatem ad efficiendum aliquod obiectum de nouo, neque quo ad totam ſubſtantiam, neque quoad aliquem modum, ſed tantùm poteſt elicere actus immanentes quibus attingat obiecta, & tantum eſt potentia elicitiua, talium actuum, & hoc conſtat etiam in alijs potentijs, & in ipſa voluntate: ergo talis entitas ab intellectu non poteſt produci. Inſuper ab actu illius non valet produci, nam iſte productiuus ſui obiecti non eſt, ſed ſolum eſt illius repræſentatiuus, & ab iſto actu obiectum non accipit niſi eſſe cognitum extrinſecè: ergo ab actu non producitur, & cum non remaneat alia cauſa, quæ poſsit aſſignari, vt productiua illius entitatis metaphoricæ, fit vt nullam habeat. Confirmatur hoc ex duplici principio Ariſt. ab omnibus admiſſo. Primum eſt ex lib. 1. poſt. c. 2. [quod non eſt, non ſcitur,] ideſt, quod nullum in ſe habet eſſe, non eſt repræſentabile: ergo intellectus non habet poteſtatem fingendi, ſeu repræſentandi ea, quæ in ſe nullum habent eſſe. Nec valet dicere quod habet eſſe obiectiuum. Nam in contra eſt, quod illud eſſe obiectiuum nihil aliud eſt, quam purè cognoſci .l. purè repræſentari per aliquam notitiam, & tunc redderetur ridicula propoſitio Ariſt. nam illius ſenſus eſſet iſte; quod non cognoſcitur, l. non eſt obiectiuè in intellectu, non cognoſcitur. Secundum principium traditur in lib. 3. de anima .l. [nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu:] ergo nihil eſt in intellectu humano, quod prius non fuerit cognitum à ſenſibus, ſed talis entitas metaphorica non fuit in ſenſibus: ergo non poteſt eſſe cognita ab intellectu.

405. Ad hoc argumentum, quo conuincitur M. Serna ad negandam illam entitatem, vt reſpondeatur, oportet explicare cauſam efficientem .l. quaſi efficientem illius entitatis metaphoricæ. Quam cauſam efficientem negat Magiſt. Sanchez lib. 2. quæſt. 4. ad 5. aſſerens ens rationis ſequi ad cognitionem, non verò fieri ab illâ, nam fieri non poteſt, & hæc eſt ſua natura, vt ſolum habeat eſſe cognitum, & non factum, & fundamentum eſt aliquid proximum, vt poſſit cognoſci, non fieri. Nam cum ens rationis incapax ſit, vt fiat, nulla eſt cauſa factiua illius. Nihilominus oppoſitum docetur à pluribus Thomiſtis aſſignantibus ſuo modo cauſam quaſi efficientem entis rationis, vt videri poteſt in Colleg. diſcalc. diſp. 2. quæſt. 1. nu. 6. vbi refert Didacum à Ieſu, aliàs Salablanca diſp. 3. quæſt. 1. logica. Subſcribit P. Suarez diſp. 54. Met. ſect. 2. quem refert, & ſequitus

tur Mag. Araujo lib. 5. met. quæſt. 1. art. 2. nu. 14. Et etiam refert Soncinatem. Qui omnes concedunt enti rationis ſuam cauſam efficientem, eo modo, quo habet eſſe, quod exiſtimo verum, & quidem negari non poteſt illud ens rationis habere aliquod eſſe de nouo, quod antea non habebat; & conſequenter cum à ſe non habeat eſſe, debet illud ab alio accipere, & ita concedit Magiſt. Sanchez conſequi ad cognitionem; illud enim conſequi, eſt fieri ſuo modo, niſi vim faciamus in verbis. Quo ſuppoſito reſpondeo entitatem illam metaphoricam fieri ſuo modo ab actu intellectus, qui licet ſit aliqua entitas realis, poteſt ſaltim ſecundario, & indirectè influere in illam entitatem; qui influxus, licet entitatiuè ſit realis, formaliter tamen tendit ad illud ens rationis per ſecundariam, & quaſi metaphoricam cauſalitatem. Quæ cauſalitas ſufficiens eſt ad entitatem illam metaphoricam. Ex quo patet ad argumentum, quomodo actus intellectus poſſit eſſe quaſi efficiens illius entitatis, & ſimul repræſentatiuus illius. Ad confirmationem reſpondeo actum intellectus ſimul dare ſuum eſſe metaphoricum tali entitati, & illam intelligere, ac proinde non intelligit quod non eſt. Poteſt tamen in actu illo prius conſiderari ratio quaſi productiui entitatis, & deinde cognoſcitiui, vt ſolet dici quod intellectio eſt dictio verbi, & contemplatio illius, ita vt formalitas dictionis prior ſit. Ad aliud principium reſpondeo ita eſſe intelligendum quod nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit in ſenſibus; vel per ſpeciem ſui, vel alterius, quando cognoſcitur ad alterius ſimilitudinem, cumquè entitas illa fiat, & cognoſcatur ad ſimilitudinem entis realis, huius ſpecies acceptæ à rebus ſufficiunt ad cognoſcendam illam entitatem.

CONFERENTIA 2.

Vtrum ens rationis fiat à ſolo intellectu, & per quem actum.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

406. INquirimus cauſam, quaſi efficientem entis rationis, & primò dubitatur de potentia factiua illius, an ſcilicet ſit ſolus intellectus; & ſecundò dubitatur per quos actus fieri poſſit, & quales ſint iſti. Et quantum ad vtrumq; eſt diuerſitas ſententiarum. Circa primum aſſerit prima ſententia omnē potentiam ſenſitiuam, ſiuè interiorem, ſiuè exteriorem, & vniuerſaliter omne illud, à quo prouenire poteſt aliqua extrinſeca denominatio, eſſe ſufficientem cauſam entis rationis. Ita docent illi, qui exiſtimant ens rationis conſiſtere in extrinſeca denominatione, quæcunq; illa ſit. Et fauet P. Vallius Prolog. part. 1. q. 4. c. 5. vbi docet ens rationis ſequi ex omni operatione cuiuſcunq; potentiæ,

Digitized by Google

tentiæ, dummodo ex illa non ſequatur relatio realis. Et cap. 6. aſſerit entia rationis ſequuta ad operationem intellectus eſſe magis propriè entia rationis, & hæc ſunt entia rationis logica. Secunda ſententia docet ſenſus internos, qui aliquod obiectum impoſſibile, vel illud aliter ac eſt in ſe, valent attingere poſſe formare entia rationis. Ita pater Arriaga in met. diſp. 6. Idem docet M. Serna in log. diſp. 1. ſect. 4 art. 2. confer. 2. quamuis ibi loquatur de ente rationis in ampliſſima ſignificatione. Tertia ſententia docet voluntatem, & intellectum poſſe formare entia rationis. Ita Scotus, quē ſequuntur eius diſcipuli. Quarta affirmat ſolum intellectum poſſe illa formare. Et hæc eſt communis Thomiſtarum, & videtur expreſſa D. Tho. vt conſtabit infra nu. 318.

407. Circa 2. Prima ſententia aſſerit entia rationis, quæ ſunt ſecundæ intentiones logicæ, & fundantur ſupra eſſe cognitum, fieri per actum reflexum, alia vero fieri poſſe per actum directum, quatenus quodammodo eſt reflexiuus. Ita Colleg. diſcalc. diſp. 2. q. 3. nu. 23. & nu. 18. explicauit modum reflexionis inuentum in actu directo. Idem docet infra 43. in fine. Secunda ſententia affirmat omnia entia rationis poſse fieri per actum directum comparatiuum, ita quod obiectum cognoſcatur in comparatione, & reſpectu ad aliud. Ita Mag. Ioan. à S. Tho. q. 2. art 4. & ens rationis iam formatum, ait, cognoſci, vt quod, per cognitionem reflexam. Tertia ſententia docet ens rationis fieri per quemlibet actum, ſiuè directum, ſiuè reflexum, ſiuè abſolutum, ſiuè comparatiuum. Exiſtimat .n. ens rationis reſultare ex ipſa terminatione cognitionis in obiecto cognito, ita vt cognitio directè tendat ad obiectum, quod cognoſcit, & indirectè ad ens rationis. Ita P. Vallius vbi ſupra, & Magiſt. Serna vbi ſupra q 2. art. 2. Quarta ſententia aſserit ens rationis fieri non poſse niſi per actum falſum. Ita P. Hurtado in met. diſp. 19. §. 11.

§. 2.

Eligitur vera ſententia Thomiſtarum.

408. Pro reſolutione veritatis ſit con. 1. Solus intellectus eſt potens ad formanda entia rationis. Hæc con. admittitur communiter à Thomiſtis, vt videre eſt in Colleg. diſcalc. Et Magiſt. Ioann. à Sancto Thom. Et prob. ratione à priori deſumpta ex D. Tho. relato ſupra nu. 307. vbi docuit quod tunc fit ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere id quod non eſt, ac ſi eſſet aliquid. Sed ſolus intellectus poteſt apprehendere id quod non eſt, ac ſi eſset aliquid: ergo ſolus intellectus poteſt formare entia rationis. Ma. ſupponitur. Et pr. mi. Nā potentia apprehendens id quod non eſt, ac ſi eſset ens, debet attingere ipſum non eſse, & illud ad modum entis habentis eſſe apprehendere, & in hoc conſiſtit fictio requiſita ad ens rationis: ſed ſolus intellectus poteſt attingere ipſum nō eſse, & illud ad modum entis apprehendere: ergo ſolus ille pōt apprehēdere id, quod nō eſt, ac ſi eſset ēs.

Pr. mi.

Digitized by Google

Probatur mi. Nam ipſum non eſſe non attingitur, niſi à potentia, cuius obiectum eſt ens vniuerſaliſſimum, à qua omne ens attingitur, & ipſum non eſſe per ordinem ad ens. Sed ſolus intellectus habet pro obiecto ens vniuerſaliſſimum, & attingit ipſum non eſſe, v. g. negationes, aut priuationes, per ordinem ad ens, ſiquidem aliæ potentiæ ſenſitiuæ habent determinata obiecta intra rationem entis vt ex ſe conſtat; ergo ſolus intellectus poteſt attingere ipſum nō eſſe, & illud ad modum entis apprehendere. Explicatur hoc: Nam potentia fingens, ſeu apprehendens vnum ad inſtar alterius, diſtinguit inter id quod apprehendit, & id, ad cuius inſtar apprehendit, hoc .n. eſt formaliter fingere: ſed ſolus intellectus diſtinguit inter entitatem fictam, & id, ad cuius ſimilitudinem fuit ficta, quod competit illi propter vniuerſalitatem ſui obiecti: ergo ſolus intellectus fingit illam entitatem, & vnum ad inſtar alterius apprehendit. Probatur mi. diſcurendo per potentias ſenſitiuas. Nam tàm exteriores, quàm interiores habent ſenſibilia determinata, quæ attingunt, ita vt nihil aliud attingere valeant, v. g. viſus attingit colorem, & non poteſt attingere non colorem ad modum coloris, & idem eſt de alijs ſenſibus exterioribus. Item ſenſus interiores ita determinantur ad ſua ſenſibilia, vt non eſſe alicuius non attingant, alias extraherentur à ſua propria ſphera; quod magis conſtabit ſoluendo argumenta: ergo ſolus intellectus, cuius obiectum vniuerſaliſſimum eſt, poteſt fingere, ſeu diſtinguere inter entitatem fictam, & id, ad cuius ſimilitudinem fuit ficta. Et accedit peculiaris ratio in voluntate, quæ non attingit niſi id, quod ab intellectu illi proponitur, & eo modo, quo proponitur, & conſequenter fingere non poteſt; ſed attingere id quod non eſt, ac ſi eſſet aliquid, ſiquidem præſupponit obiectum ſuum factum ab intellectu, ſicut omnes ſenſus exteriores ſupponunt ſua obiecta ad extra, & non poſſunt illa facere, & proinde ex hac parte repugnat voluntati, & alijs ſenſibus formare entia rationis.

409. Secunda con. ens rationis logicum fit per quemcunque actum intellectus, ſiuè directum, ſiuè reflexum, ſiuè abſolutum, ſiuè comparatiuum. Hæc con. defenditur à M. Herueo in tract. de ſecundis intent. c. 6. & quodlibet, 3. q. 1. & clarius à M. Soncin. lib. 2. met. quæſt. 18. vbi docet relationes rationis conſequi ad obiectum cognitum, & ideo dicuntur habere eſſe cognitum. Et in fine corporis ait. [Cum autem dixi, quod habent tantùm eſſe cognitum, non intendo per hoc dicere, quod non ſint, niſi dum intellectus ea apprehendit: hoc .n. falſum eſt, quia dum intellectus dicit quod homo eſt animal, relatio ſubiecti conuenit homini, dato quod intellectus non apprehendat illam relationem, nec hominem ſub ratione ſubiecti: ſed bene verum eſt, quod nunquam entia rationis ſunt, niſi intellectus ea apprehendat .l. ſaltem apprehendat obiectum, ad quod ipſa conſequuntur.] Hæc doctri. eſt ſapientiſs. Soncin. Ex qua pr. noſtra concl. Nam relationes rationis, quæ ſunt entia rationis logica, conſequuntur ex

Digitized by Google

eo præciſè quod aliquod obiectum cognoſcatur : ſed per omnem actum intellectus poteſt cognoſci obiectum : ergo ad omnem actum conſequuntur relationes rationis. Mi. eſt certa & ma. pr. exemplo adducto. Nam quando cognoſco quod homo eſt animal, neceſſe eſt quod homo ſit ſubiectum, & animal prædicatum, etiam ſi intellectus non apprehendat relationes ſubiecti, & prædicati : ergo tales relationes conſequuntur obiectum cognitum. Nec valet ſi dicas, quod tunc eſt ſubiectum, & prędicatum fundamentaliter, non autem formaliter. Non inquam, valet. Nam ipſamet relatio rationis conſequitur, vt dicebat Soncin. & ratione pr. Nam ibi ſunt omnia requiſita, vt reſultet, eſt n. fundamentum proximum & terminus, quibus poſitis reſultat relatio, & aliàs eſt actus intellectus attingens obiectum, ratione cuius verificatur, quod eſt relatio rationis, & quod totum ſuum eſse eſt illud eſse obiectiuum, præter quod nullum aliud eſse habet : ergo ſunt omnia requiſita, vt reſultet talis relatio rationis, qua poſita denominabit formaliter ſubiectum, & prædicatum. Explicatur hoc, & eſt ratio à priori noſtræ concluſionis. Nam relatio rationis, ea parte, qua eſt relatio petit fundamentum, & terminum, vt reſultet, & ea parte qua eſt ens rationis, exigit quod nullum aliud eſse habeat præter obijci intellectui : Sed totum hoc ſaluatur poſita cognitione obiecti, v. g. quando formatur illa propoſitio [homo eſt animal] etenim eſse ibi fundamentum, & terminum certum eſt, & nullus negabit, inſuper eſt actus intellectus cui obijcitur obiectum cognitum : ergo ratione illius relatio reſultans habebit eſse obiectiuum in intellectu, cum antea nullum aliud eſſe haberet, & conſequenter adſunt omnia, quæ deſiderari poterant, vt talis relatio rationis ſit actu in obiecto cognito, non ſolùm fundamentaliter, ſed etiam formaliter.

410. Fauet D. Thom opuſc. de natura generis cap 2 & 4. vbi ſic ait [ens autem rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus, ſicut eſt intentio generis, & ſpeciei, quæ nō inueniuntur in rerum natura, ſed ſequuntur actiones intellectus, & rationis,] hæc D. Tho. in quibus ponderanda ſunt duo, & quod tales intentiones adinuentæ ſunt ab intellectu, & quod ſequantur actiones intellectus, ex quibus conſtat quod mens D. Thom eſt has intentiones ſequi ad obiecta cognita, dum cognoſcuntur, & quia ſic ſequuntur, adinueniuntur poſtea ab intellectu dum illas per actū reflexum attingit. Similia verba D. Tho. in lib. 4. metaph. lec. 4. retulimus ſup. nu. 247. in quibus ait ſecundas intentiones conſequi conſiderationem intellectus. Et ſanè loquitur de actu intellectus tendente circa aliquod obiectum, ex cuius conſideratione ſequitur ſecunda intentio. Et hæc eſt noſtra ſententia. Ex qua conſtat non requiri actum falſum, vt ſequantur entia rationis, falſitas. n. ſolùm reperitur in ſecūda operatione intellectus. Et entia rationis, præcipuè logica, cōſequūtur ad omnes intellectus operationes, & ideo logica omnes dirigit, vt conſtat ex dictis ſupra nu. 242. quæ omnia magis confirmabūtur ex ſolutione argumentorum.

§. 3.

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

411. Arguitur. 1. ad probandum alias potentias ab intellectu poſſe formare entia rationis. Nam voluntas ordinat id, quod non eſt in re ordinatum, ad aliud, amat .n. multoties bonum ſuperius propter inferius, v.g. amat Deum in ordine ad creaturas, ordinando ipſam bonitatem diuinam in ordine ad creatam, cum in re ſit è conuerſo, ſcilicet bonitas creata ordinata ad diuinam. Item amat bonum apparens, vt verè bonum, cum in ſe bonum non ſit, quapropter eius obiectum abſtrahit à bono vero, vel apparenti, ſicut obiectum intellectus abſtrahit ab ente vero, & reali, & ab ente ficto: ergo voluntas format entia rationis, quæ conſiſtunt in illo ordine, qui in re non eſt, & in illa bonitate apparenti, quæ in re ipſa non eſt. Inſuper ſenſus internus attingit aliquid quod in re non eſt, & format ſpeciem repræſentantem illum, & tamen mons aureus in re non eſt, ſed ex ſpecie montis, & auri, componit, & fingit illud compoſitum montis aurei, quem attingit, ac ſi ita eſſet, & in hoc aſſimilatur noſtro intellectui, qui ex præconceptis ſpeciebus generis, & differentiæ format rationem ſpeciei, vt docet D. Thomas 1. par. q. 12. artic. 9. & præterea nam ſenſus internus format propoſitiones, & iudicia circa ſenſibilia, vt conſtat in animalibus: & in nobis etiam dormientibus in ſomnijs experimur plures imaginationes, & plures propoſitiones, & plura iudicia formari aliquando fictitia, & chymerica: ergo nihil deficit ſenſibus interioribus, quò minus poſſint formare plura entia rationis.

412. Ad hoc argumentum, quantum attinet ad voluntatem, reſpondeo iuxta doctrinam Thomiſticam voluntatem ita dirigi ab intellectu, vt proſequatur bonum eo modo, quo ab intellectu illi proponitur, & ideo quando intellectus proponit obiectum, vt ordinatum ad aliud, voluntas illud ſic amat, ipſa tamen non ordinat, ſed ſequitur ordinem ab intellectu propoſitum ex parte obiecti. Et eodem pacto ipſa non appetit, ſeu amat bonum apparens, ſed ſemper fertur in bonum verum, ſed dicitur apparens, quia ab intellectu tale bonum eſt applicatum alicui, in quo reuera non eſt, v. gr. intellectus proponit aurum verum applicatum monti, & practicè iudicat per iudicium falſum, aurum eſſe in monte, & voluntas amat montem aureum, non ita quod feratur in aurum apparens, ſed in aurum verum, quod falsò fuit applicatum monti, quapropter ipſa voluntas nec amat, nec facit apparentiam, ſed nec reſultat ex falſa applicatione intellectus. Et ita intelligitur quomodo voluntas feratur in bonum apparens, de quo alibi latius dicemus, & conſtat voluntatem non facere entia rationis.

413. Quantum ad ſenſus internos reſpondeo ex dictis num. 318. quod

quod ex parte obiecti quidquid attingunt, totum eſt quid reale, & ſenſibile, v. g. apprehendit montem aureum, & ex parte obiecti nihil aliud relucet à ſenſibus attingendum, niſi mons, & aurum, quæ ſenſibilia ſunt; non tamen poteſt ſenſus cognoſcere illud non eſſe ita in re, in quo conſiſtit formaliter ipſa fabricatio entis rationis, quæ talis debet eſſe, vt attingat illud in re non eſſe, fieri tamen ad modum alicuius exiſtentis in re, & hæc eſt formaliter fictio requiſita ad ens rationis. Comparatur autem ſenſus internus cum intellectu, quantum ad hoc, quod ſicut intellectus ex parte obiecti attingit ſpeciem compoſitam ex genere, & differentia, ita ſenſus attingit illud compoſitum ex illis partibus ſenſibilibus repræſentatis per varias ſpecies, ex quibus reſultauit tertia alia repræſentans totum. At in hoc nulla eſt formatio entis rationis, ſiquidem nulla eſt fictio formaliter. Quando vero format propoſitiones, & iudicia, tunc non reſultant entia rationis, quia ſenſus non valet intelligere ordinem inter obiecta cognita, quod requirebatur, vt entia rationis reſultarent. Quomodo autem iſta cohæreant cum doctrina ſecundæ concluſionis, conſtabit ex iam dicendis.

414. Arguitur 2. ad probandum requiri actum comparatiuum ad formanda entia rationis. Nam D. Thom. lib. 1. Perih. lect. 10 ſic ait, [quod huiuſmodi intentiones intellectus format, ſecundùm quod comparat eas ad res, quæ fiunt extra animam] & quæſt 7. de potentia artic. 11. loquens de relationibus, quas intellectus adinuenit, & attribuit rebus, ait, [has quidem relationes ratio adinuenit conſiderando ordinem eius, quod eſt in intellectu, ad res quæ ſunt extra; vel etiam ordinem intellectuum adinuicem. Aliæ vero conſequuntur ex eo quod intellectus intelligit vnum in ordine ad aliud] Hæc D. Thom. ex quibus colligitur prædicta entia rationis non poſſe fieri, niſi per aliquem actum, qui ſit comparatiuus aliquo modo. Idem probatur ratione. Quia omne ens rationis, vel eſt relatio, vel negatio, ſed neutra poteſt cognoſci ſine actu comparatiuo; ergo, &c. Probatur min. de negatione, nam debet concipi ad modum entis realis, non ſolum quia ex parte principij cognoſcendi, debet concipi per ſpeciem realem, ſed etiam quia ex parte termini cogniti debet accipi ad inſtar entis, verb. grat. quando concipio Romam ad inſtar Toleti, comparatiuè concipio Romam, & non abſolutè: ergo quando concipio negationem ad modum entis, illam cognoſco comparatiuè, & non abſolutè; ac proinde per actum comparatiuum. Item probatur minor de relatione. Nam ipſa relatio ordo quidam eſt ad terminum; & aliàs concipi debet ad inſtar relationis realis: ſed hoc totum requirit actum comparatiuum: ergo nullum ens rationis ſit per actum abſolutum. Confirmatur hoc. Nam ideo dicebamus ſenſus internos non poſſe formare entia rationis, quia non poterant attingere ipſum non eſſe, ac ſi eſſet ens, ſed huiuſmodi cognitio, attingens non eſſe, ac ſi eſſet, comparatiua eſt: ergo &c.

415. Ad hoc argumentum deſumptum ex Mag. Ioan. à Sancto Thom. quo conuincitur ad aſſerendum requiri ſemper actum comparatiuum ad formandum ens rationis, reſpondeo quòd ens rationis dupliciter poteſt formari ab intellectu, vno modo ita, vt conſequatur in ipſo obiecto cognito; alio modo, ita vt conſequatur, & ſimul per eundem actum attribuatur ipſi obiecto cognito. Ad primum modum non requiritur actus comparatiuus, ſed ſufficit actus abſolutuss tendens ad obiectum cognoſcendum, & talis actus indirectè cauſat relationem rationis. Ad alium modum, quo ſimul attribuitur requiritur actus ille comparatiuus, & de iſto ſecundo modo expreſſe loquitur D. Thom. Nam in 1. loco ita loquitur de vniuerſali ſecundum quòd eſt in intellectu. [Et ſic poteſt ei aliquid attribui tripliciter. Quandoque enim attribuitur ei aliquid conſiderato, quod pertinet ad ſolam operatione intellectus, vt ſ. dicatur quòd homo eſt prædicabile de multis, ſiuè vniuerſale, ſiuè ſpecies. Huiuſmodi enim intentiones format intellectus attribuens eas naturæ intellectæ, ſecundum quod comparat ipſas ad res, quæ ſunt extra animam, &c.] ex quibus conſtat clarè loqui D. Thom. de actu intellectus attribuente ſecundas intentiones rebus cognitis, qui actus non ſolùm eſt comparatiuus ſimplex, ſed compoſitus, imo & reflexus ſupponens naturam cognitam.

416. Idem docuit D. Tho. in 2. loco ſic enim ait loquens de relationibus rationis (ſicut relatio realis conſiſtit in ordine rei ad rem, ita relatio rationis conſiſtit in ordine intellectuum. Quod quidem dupliciter poteſt contingere. Vno modo ſecundùm quod iſte ordo eſt adinuentus per intellectum, & attributus ei, quod relatiuè dicitur, & huiuſmodi ſunt relationes, quæ attribuuntur ab intellectu rebus intellectis, prout ſunt intellectæ, ſicut relatio generis: & ſpeciei; has enim relationes ratio adinuenit conſiderando ordinem eius, quod eſt in intellectu ad res, quæ ſunt extra, vel etiam ordinem intellectuum adinuicem, &c.] ecce quomodo loquitur de illo actu, quo relatio rationis attribuitur rei cognitæ, prout cognitæ, & ad talem attributionem concedo requiri actum comparatiuum, & compoſitum, ideſt, comparationem compoſitam. Et ponit differentiam inter relationes rationis, quod prædictæ attribuuntur rebus, vt cognitis, aliæ verò attribuuntur rebus ſecundùm ſe, licet iſtæ etiam conſequantur modum intelligendi. Et hic eſt finis D. Thomæ in prædicto loco adducere huiuſmodi differentiam. Vbi aduertite quod quãdo D. Tho. ait quod prædictas relationes adinuenit intellectus conſiderando ordinem eius, &c. loquitur de adinuentione quæ fit per attributionem, quando enim intellectus format hanc propoſitionem homo eſt prædicabile, hac attributione conſiderat ordinem naturæ humanæ ad indiuidua, & ad hoc requiritur actus comparatiuus. Cæterum ad adinuentionem, quæ fit per quandam quaſi ſimplicem reſultantiam relationis ad naturam cognitam, de hac non loquitur, nec erat neceſ-

neceſſarium ad intentum illius articuli. Et hæc eſt mens D. Thomę lib. 5. metaph. lect. 9. vbi docet [quòd cęcitas, & quodlibet ens rationis dicitur eſſe ex hoc quòd vera eſt propoſitio, quia dicimus cęcitas eſt] intelligitur enim de ſecundo modo eſſendi, nempè per attributionem, non autem per ſimplicem quaſi reſultantiam in obiecto cognito. Quapropter ſicut hæc authoritas communiter explicatur, explico alia teſtimonia adducta. Nam omnia habent eandem explicationem.

417. Ad rationem adductam, quidquid ſit de ente rationis, quod eſt negatio, quantùm ad relationem, quæ præcipuè ad logicam pertinet, nego minorem. Et ad illius probationem dico quod licet relatio ipſa ſit quidam ordo, ex hoc tamen ſolùm ſequitur quod ipſa non poſſit cognoſci in actu ſignato, directè, & vt quòd, niſi per actum comparatiuum. At quod ipſa non ſequatur, quaſi per reſultantiam, & indirectè ex cognitione abſoluta alicuius obiecti non probatur ex eo quod ſit ordo. Quod autem fiat ad modum entis realis, non arguit actum illum, ad quem reſultat, eſſe comparatiuum, ſed quòd alius actus, per quem cognoſcitur directè, & vt, quod, debeat eſſe comparatiuus, in hoc ſenſu, quòd attingat talem relationem rationis ad ſimilitudinem relationis realis, at hæc cognitio præſupponit iam relationem ipſam ſecutam ad primum actum abſolutum: imò & tunc ſit etiam, ſeu reſultat ad ſimilitudinem relationis realis, nam ſicut hæc reſultat poſito fundamento, & termino, ita & illa, cum ſola differentia quantum ad eſſe; nam eſſe relationis rationis eſt tantùm obijci, ſiuè directè, ſiuè indirectè intellectui. Si autem opponas D. Thomam dicentem tunc fieri ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non eſt, ac ſi eſſet ens: ergo vt fiat ens rationis neceſſum eſt cognoſcere ipſum non eſſe in comparatione ad eſſe. Reſpondeo D. Thomam loqui de actu per quem attingitur directè ens rationis, & hoc modo fit, non autem de actu, quo fit conſequutiuè, & indirectè, vt dictum eſt.

418. Ad confirmationem argumenti principalis reſpondeo, quòd ſenſus interni non valent attingere ipſum non eſſe per modum entis, & ideo non faciunt ens rationis, vt dictum eſt, & quamuis intellectus non cognoſcat per actum directum ipſum ens rationis ſequutum, poteſt tamen illud cognoſcere ad modum entis, quod requiritur, vt reſultet ex ſuo actu abſoluto, & quia ſenſus interni non ſic poſſunt illud cognoſcere, non reſultat ex illorum actibus ens rationis.

419. Arguitur. 3. ad probandum non ſufficere actum abſolutum directum. Nam ens rationis ab intellectu fingitur, cognitioque factiua illius debet eſſe fictio: ſed actus directus, & abſolutus non poteſt eſſe fictio: ergo per illum non fit ens rationis. Probatur mi. actus directus abſolutus ſolum attingit ſuum obiectum, v.g. quando quis cognoſcit hominem, ex parte obiecti non relucet niſi natura humana; at in hoc nulla eſt fictio, quantùmvis ad illum actum aliquid ſequatur: ergo ille actus

415. Ad hoc argumentum deſumptum ex Mag. Ioan. à Sancto Thom. quo conuincitur ad aſſerendum requiri ſemper actum comparatiuum ad formandum ens rationis, reſpondeo quòd ens rationis dupliciter poteſt formari ab intellectu, vno modo ita, vt conſequatur in ipſo obiecto cognito; alio modo, ita vt conſequatur, & ſimul per eundem actum attribuatur ipſi obiecto cognito. Ad primum modum non requiritur actus comparatiuus, ſed ſufficit actus abſolutuſs tendens ad obiectum cognoſcendum, & talis actus indirectè cauſat relationem rationis. Ad alium modum, quo ſimul attribuitur requiritur actus ille comparatiuus; & de iſto ſecundo modo expreſſe loquitur D. Thom. Nam in 1. loco ita loquitur de vniuerſali ſecundum quòd eſt in intellectu. [Et ſic poteſt ei aliquid attribui tripliciter. Quandoque enim attribuitur ei aliquid conſiderato, quod pertinet ad ſolam operatione intellectus, vt. ſ. dicatur quòd homo eſt prædicabile de multis, ſiuè vniuerſale, ſiuè ſpecies. Huiuſmodi enim intentiones format intellectus attribuens eas naturæ intellectæ, ſecundum quod comparat ipſas ad res, quæ ſunt extra animam, &c.] ex quibus conſtat clarè loqui D. Thom. de actu intellectus attribuente ſecundas intentiones rebus cognitis, qui actus non ſolùm eſt comparatiuus ſimplex, ſed compoſitus, imo & reflexus ſupponens naturam cognitam.

416. Idem docuit D. Tho. in 2. loco ſic enim ait loquens de relationibus rationis (ſicut relatio realis conſiſtit in ordine rei ad rem, ita relatio rationis conſiſtit in ordine intellectuum. Quod quidem dupliciter poteſt contingere. Vno modo ſecundùm quod iſte ordo eſt adinuentus per intellectum, & attributus ei, quod relatiuè dicitur, & huiuſmodi ſunt relationes, quæ attribuuntur ab intellectu rebus intellectis, prout ſunt intellectæ, ſicut relatio generis: & ſpeciei; has enim relationes ratio adinuenit conſiderando ordinem eius, quod eſt in intellectu ad res, quæ ſunt extra, vel etiam ordinem intellectuum adinuicem, &c.] ecce quomodo loquitur de illo actu, quo relatio rationis attribuitur rei cognitæ, prout cognitæ, & ad talem attributionem concedo requiri actum comparatiuum, & compoſitum, ideſt, comparationem compoſitam. Et ponit differentiam inter relationes rationis, quod prædictæ attribuuntur rebus, vt cognitis, aliæ verò attribuuntur rebus ſecundùm ſe, licet iſtæ etiam conſequantur modum intelligendi. Et hic eſt finis D. Thomæ in prædicto loco adducere huiuſmodi differentiam. Vbi aduertite quod quãdo D. Tho. ait quod prædictas relationes adinuenit intellectus conſiderando ordinem eius, &c. loquitur de adinuentione quæ fit per attributionem, quando enim intellectus format hanc propoſitionem homo eſt prædicabile, hac attributione conſiderat ordinem naturæ humanæ ad indiuidua, & ad hoc requiritur actus comparatiuus. Cæterum ad adinuentionem, quæ fit per quandam quaſi ſimplicem reſultantiam relationis ad naturam cognitam, de hac non loquitur, nec erat neceſ-

Digitized by Google

neceſſarium ad intentum illius articuli. Et hæc eſt mens D. Thomę lib. 5. metaph. lect. 9. vbi docet [quod cęcitas, & quodlibet ens rationis dicitur eſſe ex hoc quod vera eſt propoſitio, quia dicimus cęcitas eſt] intelligitur enim de ſecundo modo eſſendi, nempè per attributionem, non autem per ſimplicem quaſi reſultantiam in obiecto cognito. Quapropter ſicut hæc authoritas communiter explicatur, explico alia teſtimonia adducta. Nam omnia habent eandem explicationem.

417. Ad rationem adductam, quidquid ſit de ente rationis, quod eſt negatio, quantùm ad relationem, quæ præcipuè ad logicam pertinet, nego minorem. Et ad illius probationem dico quod licet relatio ipſa ſit quidam ordo, ex hoc tamen ſolùm ſequitur quod ipſa non poſſit cognoſci in actu ſignato, directè, & vt quòd, niſi per actum comparatiuum. At quod ipſa non ſequatur, quaſi per reſultantiam, & indirectè ex cognitione abſoluta alicuius obiecti non probatur ex eo quod ſit ordo. Quod autem fiat ad modum entis realis, non arguit actum illum, ad quem reſultat, eſſe comparatiuum, ſed quòd alius actus, per quem cognoſcitur directè, & vt, quod, debeat eſſe comparatiuus, in hoc ſenſu, quòd attingat talem relationem rationis ad ſimilitudinem relationis realis, at hæc cognitio præſupponit iam relationem ipſam ſecutam ad primum actum abſolutum: imò & tunc ſit etiam, ſeu reſultat ad ſimilitudinem relationis realis, nam ſicut hæc reſultat poſito fundamento, & termino, ita & illa, cum ſola differentia quantum ad eſſe; nam eſſe relationis rationis eſt tantùm obijci, ſiuè directè, ſiuè indirectè intellectui. Si autem opponas D. Thomam dicentem tunc fieri ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non eſt, ac ſi eſſet ens: ergo vt fiat ens rationis neceſſum eſt cognoſcere ipſum non eſſe in comparatione ad eſſe. Reſpondeo D. Thomam loqui de actu per quem attingitur directè ens rationis, & hoc modo fit, non autem de actu, quo fit conſequutiuè, & indirectè, vt dictum eſt.

418. Ad confirmationem argumenti principalis reſpondeo, quòd ſenſus interni non valent attingere ipſum non eſſe per modum entis, & ideo non faciunt ens rationis, vt dictum eſt, & quamuis intellectus non cognoſcat per actum directum ipſum ens rationis ſequutum, poteſt tamen illud cognoſcere ad modum entis, quod requiritur, vt reſultet ex ſuo actu abſoluto, & quia ſenſus interni non ſic poſſunt illud cognoſcere, non reſultat ex illorum actibus ens rationis.

419. Arguitur. 3. ad probandum non ſufficere actum abſolutum directum. Nam ens rationis ab intellectu fingitur, cognitioque factiua illius debet eſſe fictio: ſed actus directus, & abſolutus non poteſt eſſe fictio: ergo per illum non fit ens rationis. Probatur mi. actus directus abſolutus ſolum attingit ſuum obiectum, v.g. quando quis cognoſcit hominem, ex parte obiecti non relucet niſi natura humana; at in hoc nulla eſt fictio, quantùmvis ad illum actum aliquid ſequatur: ergo ille actus

directus, & abſolutus non eſt fictio. Confirmatur hoc. Nam vt fiat ens rationis debet conſiderari obiectum aliter, ac eſt in ſe, ſi enim attingitur, vt eſt in ſe, totum erit reale, & nulla erit fictio: ergo non ſufficit quicunque actus, ſed requiritur actus falſus. Hic enim eſt, qui terminatur ad rem aliter, ac eſt in ſe.

420. Ad hoc argumentum reſpondeo, quòd ens rationis dupliciter poteſt fingi, vno modo indirectè, & per quandam reſultantiam, & ſic fingitur per actum directum abſolutum, qui virtualiter eſt fictio, quatenus terminatur indirectè, & ſecundariò ad illud ens rationis, quod in re nihil eſt. Fingitur 2. per actionem directè terminatam ad ipſum ens rationis, & hæc fictio non inuenitur in actu directo, benè autem alia, & ſufficit ad ponendum ens rationis. Ad confirmationem dico, quòd, vt reſultet ens rationis ſufficit cognoſcere obiectum ex parte modi cognoſcendi, aliter ac eſt in ſe, & in hoc nulla inuenitur falſitas, cum hæc ſolùm fit in compoſitione, vel diuiſione, quapropter etiam ad ſimplices apprehenſiones rerum ſequuntur ſua entia rationis, & tamen in ſimplicibus non inuenitur formaliter falſitas. Et hæc ſufficiant de hac difficultate. Nam plura circa hęc dicemus in ſequentibus, & præcipuè tract. 3. tractantes per quem actum fiat vniuerſale logicum.

CONFERENTIA 3.

Vtrùm intellectus diuinus poſſit formare entia rationis.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

421. SVppoſito quòd ſolus intellectus poſſit fabricare entia rationis, reſtat inquirendum an hoc poſſit intellectus diuinus, & licet hæc quæſtio videatur Theologica, nihilominus in gratiam recentiorum, vt ait Mag. Ioan. à S. Tho. qui in præſenti illam tractant, diſputabitur nunc, vt ex illius reſolutione magis confirmetur doctrina in præcedentibus tradita. Igitur variè sētiūt authores. Nam aliqui aſſerunt intellectum diuinum non ſolùm non facere entia rationis, ſed nec cognoſcere à nobis facta, & formata. Hæc ſententia tribuitur P. Vazquez, Alarcon, & alijs, qui exiſtimant neceſſariò ſequi ex eo quod Deus cognoſcat entia rationis, quod illa faciat, & ne hoc concedant, negant primum, vt refert Mag. Ioan. à S. Tho. 1. p. q. 14. diſp. 18. art. 4. §. ſed difficultatē. Secunda ſententia docet Deum cognoſcere omnia entia rationis à nobis facta, & tamen aliqua ex illis poſſe

poſſe facere,& alia non,nempè illa, quæ ad ſui productionem non requirunt imperfectionem ex parte cognitionis, à Deo fieri, non verò illa, quæ petunt imperfectionem in cognoſcente. Tertia ſententia docet omnia à nobis facta cognoſcere, & omnia ſe poſſe facere,nam exiſtimat nullam requiri imperfectionem ex parte cognitionis. Quarta ſententia affirmat omnia cognoſcere, & nullum poſſe formare propter imperfectionem inſeparabilem ex parte cognitionis factiuæ. Et hæc eſt communis Thomiſtarum.

§. 2.

Eligitur probabilior ſententia.

421. PRo reſolutione veritatis ſit con. 1. intellectus diuinus cognoſcit omnia entia rationis ab intellectu fabricata. Hæc con. communiter admittitur à logicis, & Theologis contra P. Vazquez, & alios paucos. Et pr. 1. authoritate D. Tho. 1. p. quæſt. 4. art. 9. vbi ſic ait, [quæcunque ſunt in pôa creaturæ, ſiuè actiua, ſiuè paſſiua, ſiuè in pôa opinandi, vel imaginandi, vel quocunque modo ſignificandi, Deus cognoſcit.] Sed entia rationis ſunt aliquomodo in pôa creaturæ, ſaltim in pôa illius, quatenus fictiua eſt: ergo illa à Deo cognoſcuntur. Probatur 2. ratione. Nam Deus perfectiſſimè comprehendit intellectum creatum, non ſolùm ea parte, qua dicit perfectionem, ſed etiam ea parte, qua habet aliquam imperfectionem, cognoſcit enim intellectum hominum propter ſuam imperfectionem multoties cognoſcere rem, aliter ac eſt in ſe, multaq; figmenta confingere, ſicut cognoſcit ipſum intelligere componendo, diuidendo, & diſcurrendo, quæ diuina cognitio, ex eo quod perfectiſſima eſt, totum quod eſt in intellectu attingit: ſed intellectus humanus ex ſuo imperfecto modo cognoſcendi plura entia rationis facit, quæ ad talem modum imperfectum cognoſcendi ſequuntur: ergo talia entia rationis ſequuta cognoſcit abſq; aliqua imperfectione ex parte ſua, imò propter maximã perfectionem ſuæ cognitionis. Quomodo autem ex hoc non ſequatur, quod faciat talia entia rationis, dicemus infra nu. ſequẽti.

423. Secunda concluſio. Nullum ens rationis fieri poteſt ab intellectu diuino. Hæc concluſio cõmuniter recipitur à Thomiſtis,& ab omnibus illis, qui iudicant requiri actũ falſum ad formandum ens rationis. Et potiſſimum fundamentum huius concluſionis reducitur ad hoc quod cognitio factiua entis rationis neceſſariò debeat eſſe imperfecta, & cum omnis imperfectio ſit à Deo excludenda, ideo Deus entia rationis facere non poteſt. At reſtat explicanda huiuſmodi imperfectio. Et quidem vt faciliora ſupponamus, ſi loquamur de entibus rationis, quę nullum habent fundamentum in re, ſed ſunt pura figmenta,& chimeræ noſtri intellectus, certum videtur in illius formatione interuenire imperfectionem repugnantem diuino intellectui: Si autem ſermo ſit de alijs entibus rationis, quæ ſequuntur ex noſtro imperfecto modo cognoſcendi, etiam clarè percipitur repugnantia, v. g. ex imperfectio-

fectione noſtri intellectus preuenit, quod vnũ ſine alio cognoſcat, quaſi vnum ſit aliud, quod præſtat per plures conceptus, quod totum imperfectionem arguit in cognoſcente, & talia ſunt quàmplura entia rationis logica. Quapropter non eſt dubium de his ſuppoſito quod prædictam imperfectionem ſupponant ex parte cognitionis, ad quam ipſa ſequuntur. Videndum tamen eſt an ens rationis, quodcunq; illud ſit, talem imperfectionem petat eſſentialiter ex parte cognitionis factiuæ. Et probatur ratione à priori illam petere. Nam dupliciter poteſt fieri ens rationis, vno modo ita, vt attribuatur rei cognitæ, vt prædicatum illius, alio modo conſequutiuè, ita vt ad rem cognitam ſequatur, quaſi indirectè iuxta ſupra nu. 319. ſed vtroq; modo claudit intrinſecè imperfectionem ipſum fieri entis rationis: ergo nullo modo poteſt fieri ab intellectu diuino. Probatur min. quoad 1. partem. Nam attribuere alicui id quod in re non habet, arguit imperfectionem cognitionis in attribuente, nam qui perfectiſſimè attingit rem, ſolùm attribuit ei, quæ ipſi in re competunt; v. g. ſi Deus qui ſe ipſum attingit, cognoſceret ſe ipſum, vt ordinatum ad creaturas, ita vt ſibi ipſi attribueret talem relationem rationis, non ſe cognoſceret vt eſt in ſe, ſed imperfecto modo, & idem eſt de quolibet alio obiecto ab ipſo Deo cognito: ergo illud fieri entis rationis per attributionem claudit eſſentialiter imperfectionem. Quoad 2. partem etiam pr. mi. Nam ens rationis ſolùm conſequitur ad obiectum imperfectè cognitũ, ad illud ſcilicet, quod ita cognoſcitur, vt ex modo cognoſcendi habeat aliquod eſſe, quod in ſe non habet, vt ſic verificetur quod illud eſſe eſt tantùm obiectiuè in intellectu, ſed totum hoc dicit imperfectionem in cognoſcente, ſaltem ex parte modi cognoſcendi: ergo ex diuina cognitione, quæ perfectiſſima eſt, non poteſt ſequi ens rationis, nec per reſultantiam, ſeu quaſi ſimplicem emanationem, nec per directam factionem illius. Et ſanè ſupra dicebamus nu. 330. illam cognitionem factiuam entis rationis per reſultantiam in obiecto, eſſe ſaltem virtualiter fictitiam, à Deo autem omnis fictio releganda eſt. Quapropter hac communi, & generali ratione ſufficienter conuincitur Deum nullum ens rationis quoquo modo poſſe formare, & conſtabit magis ex ſolutione argumentorum.

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

424. ARguitur 1. contra concluſionem 1. Nam ſi Deus cognoſceret entia rationis à nobis facta, etiam fierent ab intellectu diuino, ſed hoc dici non poteſt: ergo Deus illa non cognoſcit. Pr. ma. 1. Nam totum eſſe entis rationis eſt eſſe obiectiuè in intellectu; ergo fieri entis rationis eſt cognoſci, patet cõa quia quando factum eſſe eſt eſſe cognitum, neceſſario erit fieri ipſum

ipſum cognoſci : ergo ſi Deus cognoſcit ipſa entia rationis, ipſa habent eſſe obiectiuum ex vi cognitionis diuinæ, & conſequenter ab illa fiunt. Pr. 2. Nam ſi Deus cognoſcit entia rationis, quæ de facto ſunt in noſtro intellectu etiam cognoſcit poſſibilia : ergo illis dat actualiter eſſe : patet cōa. Nam illa actualiter non ſunt nec fiunt ab intellectu humano, & aliàs ſunt actualiter obiectiuè in intellectu diuino, qui illa actualiter cognoſcit : ergo illis dat eſſe actualiter, ac proinde cauſat illa, non enim videtur amplius requiri ad ponendam illam minimam, & imperfectiſſimam entitatem.

425. Ad argumentum reſpondeo Deum cognoſcere ens rationis, vt ſic dicamus, cognitione ſpeculatiua, qua ipſum attingit, vt quod cognitum, & illud præſupponitur factum ab alio intellectu, ſcilicet humano, non autem cognoſcit ens rationis cognitione factiua, ac proinde non valet hæc cōa. Cognoſcit ens rationis : ergo facit, quia arguitur à ſuperiori ad inferius affirmatiuè. Cognitio autem factiua entis rationis claudit intrinſecè imperfectionem iuxta ſupradicta. Ad probationem 1. illius maioris, dico quod eſſe entis rationis, cum ſit eſſe ita imperfectum, & diminutum, ſupponit imperfectionem in ipſo fieri, & ideo non accipit ſuum eſſe niſi à fieri imperfecto. Ad 2. probat. Reſpondeo quod illud eſſe obiectiuum poſſibile intrinſecè claudit reſpectum ad ſuam cauſam proximè efficientem, vel quaſi efficientem, & ex vi diuinæ cognitionis ſolùm habet illud ens rationis poſſibile, quod ſit quaſi ſpeculatiuè cognitum, imò & à Deo, vt poſſibile inordine ad ſuam cauſam imperfectam cognoſcitur, ac proinde non dat illi aliquod actuale eſſe in ſe, cum hoc pendeat à ſua cauſa proxima, & à Deo non poſſit fieri propter intrinſecam imperfectionem, quam claudit.

426. Arguitur. 2. contra con 2. Nam in eo quòd cognoſcat Deus aliquid eo modo, quo ipſum petit cognoſci, nulla eſt imperfectio, ſed maxima eius perfectio : ſed ens rationis ſic petit cognoſci, ſcilicet ad modum entis, & per comparationem ad ipſum : ergo in hoc nulla clauditur imperfectio. Confirmatur hoc. Nam ens rationis ſequitur ad obiectum cognitum à nobis, ea præciſè ratione, qua à nobis eſt cognitum : ergo ſi intellectus diuinus cognoſcat idemmet obiectum, ſequetur ad illud eſſe cognitum aliud ens rationis, in hoc enim videtur nullam interuenire imperfectionem, eo vel maximè, nam quando ſequitur tali modo ens rationis, tunc non cognoſcitur aliquod non eſſe ad modum entis, ſed ſolùm ad cognitionem obiecti ſequitur indirectè illud ens rationis iuxta doctrinam traditam : ergo licet concedamus ens rationis non poſſe fieri à Deo, quaſi directè cognoſcendo ipſum non eſſe ad modum entis, in quo eſt intrinſeca imperfectio, tamen non eſt ratio imperfectionis in illo modo indirectæ reſultantiæ illius entis rationis, ac proinde Deo non eſt denegandus prædictus modus faciendi entia rationis.

427. Ad hoc argumentum reſpondeo; quòd ſi obiectum petat cognoſci modo imperfecto, ita vt im-

imperfectio non ſolùm ſe teneat ex parte obiecti, ſed etiam ex parte ipſius cognitionis, tunc à Deo cognoſci non poteſt. Et ſic contingit in præſenti, nam ens rationis, vt fiat, petit imperfectum modum cognoſcendi ex parte cognoſcentis, vt dictum eſt, quando Deus cognoſcit ens rationis à nobis factum, tunc cognoſcit ipſum factum fuiſſe à nobis per imperfectum modum cognoſcendi, & hoc eſt cognoſcere ipſum, ſicuti petit cognoſci. Quo pacto cognoſcit Deus falſitates, & figmenta à nobis conficta, non tamen facit actus falſos, nec fingit, ſeu facit figmenta. Ad confirmationem reſpondeo, quòd etiam in illo modo faciendi entia rationis per reſultantiam illam ad obiectum cognitum, includitur imperfectio, nam ſequela illa ſupponit cognitionem obiecti aliquomodo imperfectam, & ita attingentem ipſum, vt poſtea per ſecundam operationem intellectus poſſit ad aliud comparari, ad quod ex ſe non comparatur, ſeu ordinatur; hoc autem modo Deus non attingit obiecta, nec attingere poteſt, & ideo ad obiectum cognitum à Deo non reſultat, ſeu ſequitur illud ens rationis, vt ſequitur ad obiectum cognitum à nobis, nam hic aliqua fictio, ſaltem virtualis intercedit, vt dicebamus.

428. Arguitur. 3. ad probandum intellectum diuinum poſſe ſaltem aliqua entia rationis formare. Et eſt celebris locus D. Thomæ 1. par. quæſt. 15. artic. 2. ad. 3. vbi ſic ait [reſpectus, quibus multiplicantur ideæ, non cauſantur à rebus, ſed ab intellectu diuino comparante eſſentiam ſuam ad res] & idem docet 1. contrag. cap. 54. cuius verba refert Mag. Gonzalez 1. q. 15. artic. 2. diſp. 48. ſect. 1. nu. 5. & reſpectus illi ideales, quibus multiplicantur ideæ, ſunt entia rationis: ergo ſi illi cauſantur à Deo, ab ipſo cauſantur entia rationis. Et idem probatur rationibus adductis à Mag. Gonzalez vbi ſupra ſectio. 2. num. 17. Primo, nam diuinus intellectus cognoſcit eſſentiam ſuam, vt imitabilem à creaturis: ſed eſſentiam eſſe ſic cognitam intrinſecè claudit, vel connotat reſpectum rationis, ergo. Probatur mi. Quia non poteſt eſſe ſic cognita niſi per ordinem ad creaturas, ſed iſte ordo eſt relatio rationis: ergo. Confirmatur hoc. Quia diſtinctio ipſa idearum cognoſcitur à diuino intellectu; ſed iſta diſtinctio eſt penes diuerſum reſpectum rationis: ergo diuinus intellectus cognoſcit diſtinctionem rationis.

429. Si autem dicas quod cognoſcit illam per ordinem ad noſtrum intellectum. Contra, diſtinctio idearum nun competit Deo ex imperfectione cognoſcentis, ſed potius ex infinita perfectione: ergo reſpectus idearum, & pluralitas earum conſequitur ad actum diuini intellectus: patet conſequentia, quia nullus alius cognoſcit illam infinitè perfectè. Antecedens pr. 1. ex verbis D. Thom. quia diuinus intellectus cognoſcit eſſentiam ſuam omni modo, quo cognoſcibilis eſt, ergo cognoſcit illam, vt diuerſimodè imitabilem à creaturis. Secundo, quia quantò aliquis intellectus perfectiùs cognoſcit eſſentiam diuinam, tantò plures reſpectus cognoſcit in illa ad creaturas poſſibiles; quia

quanto

quanto aliquis perfectius cognoſcit cauſam, tanto plures reſpectus cognoſcit ad effectus, vt conſtat ex 1. p. q. 12. artic. 8. ergo: Tertiò, quia ex infinita ſua perfectione conuenit Deo, quod poſſit cognoſcere diſtinctè, & operari omnia, ſed idea eſt principium cognoſcendi, & operandi: ergo &c.

430. Confirmat, & explicat totum hoc Magiſt. Gonzalez ibidem nu. 18. Nam aliqui ſunt reſpectus rationis, qui competunt Deo ex ſua infinitate, & imperfectione noſtri intellectus, qui non poteſt vnico conceptu omnia concipere, qualis eſt diſtinctio eſsentiæ ab attributis, & relationum ab eſsentia, & tales reſpectus non poſsunt ſequi ad actum diuini intellectus, ſed ad actum intellectus noſtri, alia autem eſt diſtinctio, vel habitudo rationis, quæ non fundatur in imperfectione noſtri intellectus, neque illam requirit, ſed potius in ipſa eminentia diuini eſse, quæ ad plura ſe extendit, & hoc modo multiplicantur reſpectus ideales in Deo: ergo ſi prædicti reſpectus non exigunt imperfectionem ex parte cognitionis, ſed potius ſummam perfectionem, nulla eſt ratio ad denegandum Deo quod illa immediatè faciat.

431. Propter hoc arg. M. Gonzalez, quem alij Thomiſtæ ſequuntur, exiſtimat talia entia rationis poſse fieri ab intellectu diuino, eo quòd nulla requiratur imperfectio ex parte cognitionis factiuæ illorũ. Alij verò iudicant omne ens rationis imperfectam cognitionem exigere, ac proinde dicunt nullum poſſe fieri à Deo formaliter, licet illos reſpectus rationis cauſet fundamentaliter. Ita reſpondet M. Petronius in logica lib 2 q. 4 art. 2 quæſtiunc. vnica. Quem ſequitur Mag. Ioan. à S. Tho. & vterq; explicat authoritatem D. Thomæ eodem modo, nẽpè de cauſalitate fundamenti reſpectuum rationis, qui fundantur in illa cognitione Dei, qua comparat ſuam eſsentiam creaturis. Ex qua explicatione facilè poteſt reſponderi ad omnes rationes propoſitas à Magiſt. Gonzalez dicendo probare per illã perfectiſsimam cognitionem ſolùm poni fundamentum illius pluritatis, ſeu diſtinctionis, non autem poni ipſos formales reſpectus, niſi intellectus humanus conſideret in eſsentia diuina varios ordines, & reſpectus ad creaturas.

432. Fateor vtramq; ſententiam eſse probabiliſſimã, & quod D. Tho. maximè inclinet in illam quę aſserit prædictos reſpectus formaliter cauſari à Deo, & in eandem maximè propendunt Caiet. & Capreolus relati à M. Gonzalez, & eandẽ defẽdit M. Nazarius 1. p. q. 15. art. 2. cõtr. 2. Nihilominus iudico probabiliorem alterã ſententiã docentẽ tales reſpectus rationis non cauſari formaliter à Deo, quã defendũt alij Thomiſtę, quos ſequitur Mag. Mauhin. 1. p 15. artic. 2. diſp. 38 ſect. 1. Et conuincor quia eadem ratio militat in omni ente rationis, nam omne ſequitur ad cognitionem imperfectam obiecti. Nam ſi obiectum perfectiſſimè cognoſcitur, nullum ens rationis poteſt ad illud ſequi. Quod ſic probo ad intentum præſens. Nam reſpectus illi ideales conſequi debent ad illam cognitionem, per qoam diuina eſsentia cognoſcatur, vt ordinata ad creaturas .l. ita attingatur, vt ex modo cognoſcendi poſ-

ſit ad illas ordinari: at cognitio diuina attingit diuinam eſſentiam, vt independentē à creaturis, imò illam attingit, tanquàm id, à quo omnes creaturę dependent, quamquè omnes imitantur: ergo non attingit illam vt ordinatam, imò ex modo cognoſcendi repugnat illi ordinari. Explicatur hoc. Nam Deus cognoſcit eſſentiam ſuam, eo modo, quo eſt in ſe, & in comparatione ad creaturas; ſed eſſentia diuina comparatur ad creaturas, vt terminus dependentię earum: ergo ita cognoſcit, & comparat diuinam eſſentiam ad creaturas: ergo non cognoſcit illam, vt ordinatam. Patet hæc cõa. Nam eſſe terminum dependentiæ, & ordinis non præbet fundamentum perfectiſſimo intelligenti, vt cognoſcet ordinem illius ad aliud, licet præbeat occaſionem intelligenti imperfecto: ergo ſi Deus in ſe eſt terminus ordinis, & dependentiæ creaturarum, non poteſt cognoſci, vt ordinatus ad illas. Vbi notetur quòd D. Thomas non ſine miſterio dixit intellectum diuinum comparare eſſentiam ſuam ad creaturas, non ordinare, nam ſuperius comparatur ad inferius, non verò ordinatur, & ſic quando perfectiſſimè cognoſcitur, attingitur per comparationem, & non per ordinem, illam autem cõparationem, quaſi ordinem attingit intelligens imperfectè, & ideo format reſpectum rationis.

435. *Si autem inquiras quomodo ab æterno fuit multiplicitas formalis idearum, cum non fuerit multitudo illa reſpectuum rationis?* Reſpondeo ſufficere ad verificandam multitudinem idearum quod ab æterno fuerit cognitio diuina, quæ eſt fundamentum reſpectuum, & hoc eſt proprium relationis rationis, vt antequam actù ſit, per ſolam poſitionem fundamenti, dicatur abſolutè talis, licet non ſit poſita relatio. Quomodo autem hoc ſit intelligendum, diximus in ſummulis tract. 2. num. 93. Nec refert quod verificetur ibi eſſe pluralitas formaliter, vel fundamentaliter, dùm abſolutè dicatur eſſe tunc pluralitatem. Ex qua doctrina ſufficienter ſatisfactum eſt rationibus allatis in arg. 3.

CONFERENTIA 4.

Vtrũ ens rationis habeat ſpeciem impreſſam, vel expreſſam propriam.

§. I.

Explicatur difficultas, & proponuntur ſententiæ.

434. DVæ ſpecies requiruntur ad cognitionem alicuius obiecti; altera impreſſa, quæ eſt ſimilitudo obiecti ſe tenens ex parte potentiæ, & illam conſtituens in actu primo ad intelligendum. Altera eſt expreſſa, quæ dicitur conceptus, ſeu verbum, in quo intellectus attingit obiectum, vt dicebamus in ſummulis tract. 2. nu. 106. & latius dicetur in libris de anima.

anima. Nunc autem inquirimus an ens rationis habeat ſpeciem propriam, ſiue impreſſam, ſiue expreſſã, quibus ipſum immediatè repræſentetur, & ſupponimus non poſſe dari ſpeciem entis rationis, quæ ab ipſo ſit cauſata, hoc enim impoſſibile eſſe iudicant omnes, eſt autem difficultas an ab intellectu aliquomodo poſſit cauſari ſpecies aliqua impreſſa propria ipſius entis rationis. In qua difficultate. Sententia 1. docet ens rationis non habere ſpeciẽ propriam impreſſam, vel expreſſam, ſed cognoſci per ſpeciem impreſſam, & expreſſam entis realis. Ita aliqui Thomiſtæ. Sententia 2. aſſerit habere ſpeciem expreſſam propriam, non vero impreſſam. Ita Sanchez lib. 1. q. 19. Mag. Petronius in log. lib. 2. q 3 artic. 1. & 2. qui aſſerunt ens rationis cognoſci per ſpeciem impreſſam entis realis, & per expreſſam propriam. Tertia ſententia affirmat vtramquè ſpeciem dari propriam entis rationis. Hanc referunt, vt probabilem Colleg diſc. diſp. 2. q. 3. nu. 19. & Mag. Sanchez ibid. con. 6. illam probat, & defendit.

§. 2.

Reſoluitur difficultas.

435. PRo reſolutione veritatis ſit 1. con. Species impreſſa entis realis ſufficit, vt ens rationis cognoſcatur. Probatur con. Nam per ſpeciem impreſſam alicuius rei poteſt cognoſci altera res, quæ eſt ei ſimilis. Sed ens rationis eſt ſimilitudo quædã entis realis: ergo per ſpeciem impreſſam entis realis poteſt cognoſci ens rationis. Mi. eſt certa. Et pr. ma. ex doctrina D. Thomæ 1. p. q 12. art. 9. vbi ſic ait, [ſic n. cognoſcitur vnum quodquè, ſecundùm quod ſimilitudo eius eſt in cognoſcente, ſed contingit dupliciter. Vno modo ſecundum ſe, quando directè eius ſimilitudine informatur. Et tunc cognoſcitur illud ſecundũ ſe. Alio modo ſecũdũ quod informatur ſpecie alicuius, quod eſt ei ſimile, & tunc nõ dicitur res cognoſci in ſe ipſa, ſed in ſuo ſimili.] Hęc D. Tho. Ex quibus clare conſtat ſufficere ſpeciem impreſſam ſimilis, vt cognoſcatur ſimile. Et ratio D. Th eſt efficax. Nam in tãtùm aliquid cognoſcitur, in quantũ illius ſimilitudo eſt in intellectu, ſed hæc ſimilitudo poteſt eſſe dupliciter, vel per ſimilitudinem directam rei, vel per ſpeciem alterius ſibi ſimilis, ſi n. hæc ſpecies, & ſimilitudo ipſius rei, cui altera eſt ſimilis poteſt deſeruire ad vtriuſq; cognitionem: ergo vtroq; modo poteſt res cognoſci. Cum igitur ens rationis ſit vmbra quædam, & ſimilitudo deficiens entis realis, & vt relinquitur dictum, cognoſcatur ad inſtar entis realis, ſpecies impreſſa iſtius erit ſufficiẽs ad cognitionem entis rationis. Et aduerte quòd hic loquor nõ de illa cognitione, ad quã ſequitur per reſultantiam ipſum ens rationis, nam per illam ſolùm indirectè attingitur, & reſpectu illius ſufficit ſpecies impreſſa repræſentans obiectum illud, ad cuius cognitionem reſultat iuxta dicta ſupra nu. 319. Eſt igitur ſermo de qualibet alia cognitione ad ens rationis terminata, tùm vt fiat, tùm vt cognoſcatur, & ad quamlibet ſufficere ſpeciem entis realis probatur.

436. Si autem inquiras cuius entis realis ſpecies deſeruit ad cognitionem entis rationis. Reſpondeo ſpeciem illius entis realis, ad cuius ſimilitudinem fit ens rationis, ſeu cognoſcitur, deſeruire ad illius cognitionem. Et ratio deſumitur ex dictis. Nam in tantum ſpecies entis realis poteſt deſeruire, in quantum ens rationis eſt ſimile enti reali, cui eſt ſimilis ſpecies impreſſa; ſed ens rationis ſolùm eſt ſimile illi enti reali, ad cuius inſtar vel ſimilitudinem fit, & cognoſcitur: ergo ſpecies illius eſt quæ deſeruit, v. g. relationem rationis cognoſcimus ad modum relationis realis, nam illa ex ſe eſt ſimilitudo iſtius, ac proinde ſpecies impreſsa, qua cognoſcitur relatio realis, deſeruit ad cognitionem relationis rationis, nō autem ſpecies fundamenti, ſeu ſubiecti denominati ab illo ente rationis, ſiquidem iſtud non eſt ad cuius ſimilitudinem fit, & cognoſcitur ens rationis.

437. Secunda concluſio. Ad cognoſcendum ens rationis non requiritur ſpecies expreſſa propria illius, ſed ſufficit expreſſa entis realis; poteſt tamen intellectus elicere ſpeciem expreſsam propriam illius. Hæc con. probatur quantum ad primam partem. Nam eadem ſpecies expreſsa poteſt repræſentare vnum immediatè, & directè, & aliud mediatè, & indirectè, maximè quando vnum conſequitur ad aliud: ſed ens rationis conſequitur ad naturam, vt cognitam: ergo vnus conceptus, ſeù ſpecies expreſsa, qua attingitur immediatè, & directè natura, vt cognita, poteſt repræſentare mediatè, & indirectè ens rationis ſequutum. Quod ita videtur contingere, nam quando cognoſco naturam iam cognitam, & comparo illam ad ſua indiuidua, tunc cognitio illa comparatiua immediatè, & directè attingit naturam, & mediatè, & indirectè relationem rationis, quam dicit natura ad ſua indiuidua. Et ſicut hoc conceditur in ſpecie impreſsa, non videtur ratio quare non concedatur in ſpecie expreſsa: ergo ad cognoſcendū ens rationis, nō exigitur ſpecies expreſſa propria illius.

438. Secunda pars concluſionis. ſ. quod poſſit intellectus illam producere, pr. Nā intellectus poteſt immediatè, & directè attingere ens rōis, ita vt ſit obiectū, quod, cognitū, hoc .n. nullū inconueniens eſt, quin potius ita eſse de facto experimur, dū in entibus rationis formamus plures propoſitiones, v. g. ſi dicamus prædicabilitas eſt paſſio vniuerſalitatis, genereitas nō eſt ſpecieitas, tūc iſta entia rationis immediatè, & directè cognoſcuntur, licet cum connotatione ad entia realia: ergo intellectus elicit conceptum, ſeu expreſsam ſpeciem entis rationis propriam, qua immediatè, & directè repræsētetur. Antecedens ſupponitur. Et cōa pr. Nam per conceptum proprium entis realis immediatè, & directè repræſentatur ens reale; & conſequenter immediatè, & directè cognoſcitur: ergo ſi ens rationis immediatè, & directè cognoſcitur ab intellectu, fit per conceptum immediatè, & directè repræſentantem ipſum. Quod probabilius erit ſuppoſita ſententia defendenda in con. ſequenti.

439 Tertia concluſ. Intellectus pōt formare ſpeciē impreſsā propriā entis rōis, qua ipſum immediatè, & directè repræſentetur. Hæc con. pr. authoritate D. Tho. 1. p q 12. art. 9. ad 2. vbi ſic ait [aliquę pōę cognoſcitiuæ ſunt, quæ ex ſpeciebus primò

con-

conceptis alias formare poſſunt. Sicut imaginatio ex præconceptis ſpeciebus montis,& auri, format ſpeciem montis aurei: & intellectus ex præconceptis ſpeciebus generis, & differentiæ format rationem ſpeciei, & ſimiliter, ex ſimilitudine imaginis formare poſſumus in nobis ſimilitudinem eius cuius eſt imago. Et ſic Paulus.l quicunq; videns Deum ex ipſa viſione diuinæ eſſentiæ poteſt formare in ſe ſimilitudines rerum, quæ in eſſentia diuina videntur.[Quæ remanſerunt in Paulo etiam poſt quam deſiit Deum videre.]Hæc D. Tho In quibui ad explicandum quomodo D.Paulus recordabatur eorum,quæ vidit in Raptu, recurrit ad poteſtatem noſtri intellectus potentis producere in ſe ſpecies impreſſas,quæ durent,& remanẽat in intellectu;poſſe autem intellectum tales ſpecies producere fatentur Thomiſtæ,& ſupponit Mag. Io. à Sancto Thom. in libris de anima q. 10. artic. 4. con 3. quo ſuppoſito ſic formatur ratio pro noſtra concluſione. Nam intellectus noſter poteſt ex alijs præconceptis ſpeciebus aliam formare repræſentatiuam alterius obiecti, cuius non habebat ſpeciem impreſsam,vt conſtat in exmplis D. Thomæ, ergo concipiendo fundamentum entis rationis, & ſimul ens reale, ad cuius ſimilitudinem eſt ens rationis, poteſt formare ſpeciem impreſsam repræſentatiuam directè,& immediatè ipſius entis rationis, cuius intellectus non habebat ſpeciem. Antecedens ſupponitur ex D. Tho. Et cõa pr. Nam ſi ſemel conceditur intellectui potentia ad ſic formandas ſpecies aliarum rerum, non eſt ratio, cur negetur hoc de ente rationis. Et hoc idem teſtatur experientia. Nam multoties concipimus entia rationis, & non concipimus entia realia, vt dicebamus num. 348.: ergo vtimur ſpeciebus impreſſis directè repræſentantibus illa, aliàs non cognoſceremus illa, niſi cognitis entibus realibus directè repræſentatis per ſpecies. Verum autem eſt quod tàm ſpecies impreſsa, quàm expreſsa ſemper connotant alias entis realis, ex quibus formata fuit ſpecies impreſsa entis rationis. Qua ratione conciliamus vtramq; ſententiam, nam ſententiæ neganti ſpeciem impreſsam, & expreſſam propriam entis rationis, concedimus quod ſine iſtis poteſt cognoſci, ac proinde non eſse neceſſarias ad illius cognitionem: ſententiæ autem concedenti illas ſpecies dari concedimus ita eſse, ſed non propter neceſſitatem, vt dictum eſt.

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

440. ARguitur 1.contra con.1. Nam ſpecies impreſsa entis realis eſt naturalis ſimilitudo illius, v. g. ſpecies impreſsa relationis realis eſt naturalis ſimilitndo illius, & cum illa adæquatur: ergo non poteſt repræſentare relationem rationis, ita, vt hæc per illam ſpeciem cognoſcatur. Antecedens eſt certum. Et cõa pr. Nam ſimilitudo naturalis vnius obiecti ita cum illo adæquatur,

quatur,

quatur, vt ſolum illud repreſentet; verbi gratia, ſimilitudo naturalis hominis non poteſt repræſentare equum, nec Angelum, ac proinde per ſpeciem impreſſam hominis non poteſt cognoſci equus, aut Angelus, ſed ſolus homo cognoſcitur: ergo ſi ſpecies impreſſa entis realis eſt naturalis ſimilitudo illius, & cum illo adæquatur, non poteſt repræſentare ens rationis. Confirmatur hoc multipliciter. 1. Nam magis conueniunt inter ſe homo, & equus, homo, & Angelus, quam ens reale, & ens rationis, ſed per ſpeciem hominis non poteſt cognoſci equus, aut Angelus: ergo multo minus per ſpeciem entis realis poteſt cognoſci ens rationis. 2. Nam ens reale non eſt ſimile enti rationis, entis enim ad non ens nulla ſimilitudo datur: ergo ſpecies entis realis non eſt ſimilis enti rationis. 3. quia magis diſtant inter ſe ens reale, & rationis, quàm Deus, & creatura, cum Deus, & creatura contineantur intra obiectum ſpecificatiuum noſtri intellectus, non autem ens rationis, ſed nulla ſpecies dabilis eſt, quæ ſimul deſeruire poſſit ad cognoſcendum Deum, & creaturam, ergo multò minus dabitur ſpecies vna, qua cognoſcatur reale, & ens rationis.

441. Ad hoc argumentum reſpondeo quòd vt vnum cognoſcatur per ſpeciem alterius ſufficit, vel inter ſe habere aliquem ordinem, aut habitudinem, vel habere ſimilitudinem, & tunc ſpecies illa per ſe, & directè erit naturalis repræſentatio vnius, & ſecundario, & indirectè erit ſimilitudo alterius. Cuius exempla ſunt manifeſta in omni cognitione noſtra, qua vnum ad ſimilitudinem alterius cognoſcimus. Et in præſenti ens rationis ordinatur ad ens reale, ad quod cognitum conſequitur, & rurſus ens rationis eſſentialiter eſt ſimilitudo maximè imperfecta entis realis, &, vt ita dicam, relatio rationis eſt apparens relatio realis, & hoc ſufficit vt cognoſcatur vtraquè per eandem ſpeciem, vna vt primariò, & directè repræſentata, & altera ſecundario, & indirectè. Ex quo patet ad exempla allata; nam homo, & Angelus diſtinguntur ſpecie, non tamen vnus eſt ſimilitudo alterius, aut ad illum ordinatur, ideo què ſpecies repræſentans vnum non repræſentat álium, niſi fortè aliqua imperfecta repræſentatione, vt contingit quando Angelus cognoſcitur ad ſimilitudinem iuuenis formoſi. Deus autem etiam aliquomodo conoſcitur per ſpecies creaturarum, quatenus iſtæ ad illum ordinantur. Hoc autem eſt ſpeciale enti rationis quòd ſit quædam apparentia entis realis, ideoq; poteſt quidditatiuè cognoſci per ſpeciem entis realis Et ſic manet ſolutum argumentum cum tribus confirmationibus.

442. Arg. 2. contra 1 partem con. 2. Nam non poteſt ens rationis cognoſci per ſpeciem expreſſam, ſeu conceptum entis realis: ergo vt cognoſcatur, debet habere conceptum Pr. antecedens 1. quia aliàs daretur æquiuocatio in mente vltimata. Et probatur quia ille conceptus repræſentaret plura, vt plura, verbi gratia, repræſentaret ens reale, & ens rationis, hoc autem eſt æquiuocatio: ergo daretur æquiuocatio in mente, quod eſt contra doctrinam ſummuliſtarum. 2. quia conceptus hominis viui non repræſentat hominem pictum, licet homo pictus habeat aliquam ſimilitudinem cum vi-

viuo : ergo conceptus entis realis non poteſt repræſentare ens rationis. 3. nam alius eſt conceptus fundamenti à conceptu relationis rationis, ille enim eſt prior, & dicitur prima intentio formalis, iſte verò eſt poſterior, & ſecunda intentio formalis : ergo vnus, & idem conceptus non repræsentat vtrumquè.

443. Ad hoc argumentum reſpondeo habere eandem vim contra ſpeciem impreſſam alienam entis rationis. Nam tàm expreſſa, quàm impreſſa eſt ſimilitudo naturalis obiecti, & hac ratione dicitur quòd non poteſt dari æquiuocatio in mente ſcilicet quia repræſentatio naturalis vnius non poteſt eſſe ſimilitudo naturalis alterius qua propter ſicut in ſententia M. Sanchez argumentum non habet vim contra ſpeciem impreſſam alienam, ita non habet vim contra expreſſam alienam, & vt magis hæc conſtet, ad argumentum reſpondeo negando ans. Ad 1. pr. nego ſequelam, ad cuius probationem dico quòd æquiuocatio tunc contingit quando æquè primò repræſentantur plura, vt plura, non autem quando repræſentatur vnum directè, & per ſe, & aliud repræſentatur indirectè, & ſecundariò, & per ſimilitudinem ad primarium, & ſic contingit in præſenti, nam ſpecies expreſſa entis realis repræſentat illud primò, & directè, & ipſum ens rationis indirectè, & ſecundariò : Ad.2.prob. dico quòd homo pictus ſolùm habet ſimilitudinem cum homine in figura propria ſpeciei, vt dicitur in ſum.t.2.n.77. & ideo per ſpeciem repræſentantem quidditatem hominis non cognoſcitur imago illius ſcilicet homo pictus : at ens rationis eſt ſimile enti reali in ſua ſpecifica ratione, & ideo ſimilitudo directa, & per ſe hominis eſt indirecta ſimilitudo entis rationis.

Ad.3. reſpondeo quod ad illum primum conceptum naturæ, quæ eſt fundamentum, ſequitur relatio, & tunc ibi quaſi indirectè, ſeu in exercitio attingitur, poſtea verò poteſt dupliciter attingi illa relatio rõis .l. ſecundario, & indirectè per conceptum, qui directè attingat relationem realem, ad cuius ſimilitudinem fit, & cognoſcitur, vel poteſt attingi directè, & per ſe, & ad hoc requiritur ſpecies expreſſa, & conceptus proprius ipſius entis rationis. Ex quo infertur quod argumentum cõuincit requiri ſpeciem expreſſam, vt ens rationis directè, & per ſe cognoſcatur, non autem vt cognoſcatur, vtcunquè, ac proinde hæc eſt differentia inter ſpeciem impreſſam, & expreſſam, quòd ſine propria ſpecie impreſſa entis rationis poteſt cognoſci non ſolùm indirectè, ſed etiam directè, ſi intellectus producat ſpeciem propriam expreſſam, cognoſcetur directè; indirectè autem ſi illam non eliciat : at ſine ſpecie expreſſa propria non poteſt cognoſci directè, benè autem indirectè, vt dictum eſt.

444. Arguitur.3 ad probandum impoſſibilem eſſe ſpeciem, ſiuè impreſſam, ſiuè expreſſam propriam entis rationis. Nam omnis ſpecies propria alicuius obiecti eſt naturalis ſimilitudo illius primò, & per ſe, repræſentans illud : ſed nulla ſpecies, quæ ſit ens reale poteſt eſſe ſimilitudo naturalis primò, & per ſe repræſentans ens rationis : ergo, &c. Ma. eſt certa. Et pr.mi, tùm quia aliàs aliquod ens reale per ſe, & eſſentialiter ordinaretur ad ens ratio-

nis:

nis : tùm quia conceptus eſt idem cum re concepta, ens autem reale non poteſt eſſe idem cum ente rationis : ergo nulla ſpecies realis poteſt eſſe ſimilitudo entis rationis primò, & per ſe illud repreſentans.

445. Reſpondent aliqui, quos, tacito nomine, refert M. Petronius li. 2. q. 3. art. 2. quæſtla. vnica concedendo ſpeciem expreſſam entis rationis eſſe ens rationis. At hoc admittendum non eſt. Nam ſpecies expreſſa ponitur vt terminus intellectionis, in quo, vt in imagine cognoſcatur obiectum, & hoc non poteſt præſtare vnum ens rationis reſpectu alterius. Et quidem in re tàm clara immorandum non eſt. Quo relicto reſpondet M. Petronius, illam ſpeciem expreſſam eſſe ens reale in eſſe entis, & eſſe ens rationis in eſſe intelligibili. Sed hęc eſt difficultas quomodo id quod in eſſe entis eſt ens reale, ſit ens rationis in eſſe intelligibili. Et vrgetur. Nam ſi eſſe intelligibile ſit idem quod eſſe intentionale, qnod eſt ipſum proprium eſſe cuiuſcumquè ſpeciei, vt dicebamus in ſummulis tract 2 n. 112. non diſtinguitur in ſpecie eſſe entis ab eſſe intelligibili; ſeu intentionali, ſed potius eſſe ſpeciei eſt eſſe intentionale: ergo non ſtat quod illa ſpecies ſit in eſſe entis ens reale, & in eſſe intelligibili ſit ens rationis.

Nihilominus hęc ſolutio bene intellecta optima eſt. Nam, vt dicebamus in ſum: nu. 112. eſſe ſpeciei eſt eſſe intentionale, ideſt, deſeruire, & ſubſtitui loco alterius, ac proinde eſt eſſe imperfectum in linea intelligibili, & ſicut non eſt inconueniens quod aliquis actus realis per ſe tendat ad attingendum ens rationis, imo, & habitus realis logicæ ſpecificetur ab illo, ita nullum eſt inconueniens, quod detur aliqua ſpecies realis, quæ deſeruiat intellectui vt cognoſcat directè, & per ſe tale ens rationis, ſitquè ſimilitudo naturalis illius. Ad. 1 pr. reſpondeo ens reale, quod ex natura ſua deſeruit loco alterius, habet què eſſe intentionale, non eſt inconueniens ordinari ad aliud inferius in eſſe entis, nam in genere intelligibili, cum ens rationis accipiatur, vt obiectum, quod dicit perfectionem, & menſuram in illa linea, conſideratur, vt magis perfectum in tali linea, ſi comparetur cum ſpecie, quatenus habet eſſe intentionale, & ſecundùm hanc rationem ordinatur ad ens rationis, ex quo patet ad. 2. probat.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

De vniuerſalibus in communi, & in particulari.

Proœmium.

446. PLVRES difficultates ſolent tractari à Logicis, & Metaphiſicis circa vniuerſalia in communi, eligam in præſenti aliquas, quibus ſufficienter relinquatur cognita natura vniuerſalis, omiſſis alijs. Et in primis vt explicetur proprium fundamentum vniuerſalitatis, inquiram de vnitate, & aptitudine requiſitis, an inueniantur à parte rei, vel in ſolo intellectu, & poſtea diſputabo de actu intellectus, per quem fit formaliter vniuerſale. Deinde deſcendam in particulari ad ſpecies vniuerſalium, ſeu prædicabilium, & de vnoquoquè diſputabo id, quod communius diſputari ſolet.

CONFERENTIA I.

An detur à parte rei vnitas, & aptitudo requiſita ad vniuerſale?

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

447. CONſtat ex dictis ſupra à nu. 32. quid ſit vniuerſale, quid ſit vnitas requiſita, & quid aptitudo ex parte fundamenti, & ne eadem repetamus, illis ſuppoſitis, in præſenti inqui-

inquirimus de vnitate,& aptitudine prædictis an dentur à parte rei ante omnem actum intellectus. Supponimus enim relationem rationis, per quam conſtituitur formaliter vniuerſale,non dari à parte rei,de quo nullus dubitat. Ad intelligentiam præſentis difficultatis notandum eſt, quòd natura quælibet poteſt conſiderari in triplici ſtatu. Primò accipitur ſecundum ſe, id eſt, ſecundum ſua prædicata eſſentialia, ſecluſo quocunque alio accidenti. Secundò accipitur prout eſt coniuncta à parte rei cum ſingulari, vel ſingularibus ſuis. Tertiò conſideratur prout eſt in intellectu, v. gratia, Natura humana quatenus præciſe dicit animal, & rationale, dicitur natura ſecundùm ſe. Ipſa autem prout eſt in Petro, & Paulo,& alijs,habet ſtatum concretionis, & quatenus ab intellectu concipitur ſine ſingularibus, cum quibus in re eſt coniuncta, habet ſtatum abſtractionis uel præciſſionis. Videndum eſt igitur an naturæ in aliquo ex prædictis ſtatibus conueniat vnitas, & aptitudo vniuerſalis. Et priùs dicemus de vnitate, & deinde de aptitudine.

448. Prima ſententia docet dari à parte rei quandam vnitatem competentem naturæ ſecundum ſe, quæ vnitas non multiplicatur in indiuiduis. Ita ſubtilis Scotus, quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, & Lichetus doctiſſimus Scotiſta ſic hanc ſententiam explicat, quòd natura prior eſt omni ſingularitate, & in illo priori eſt indifferens ex ſe ad hanc vel illam ſingularitatem, etiam quando eſt coniuncta vni ſingularitati, ipſa eſt indifferens ad hanc vel ad illam, quę indifferentia competit naturæ ſecundum ſe,& ad illam ſequitur quædam vnitas communis omnibus ſingularibus, nam ſicut natura ipſa communicatur omnibus, ita, & prædicta vnitas illius communicatur. Ita explicat Lichetus in 2. ſent.d.3.q.1.§. adhuc. Et hanc vnitatem vocant Scotiſtæ vniuerſalitatem aliquam in re. Secunda ſententia aſſerit prędictam vnitatem Scoticam dari in natura ſecundum ſe, illam verò non deſcendere cum natura ad ſua inferiora. Ita P.Fonſeca lib.5. metaph. c.28. q.3 ſect.2.3.& 4.quæ vnitas, vt diſtincta à formali, & numerali aſtruitur ab ipſo,& refert pro ſua ſententia aliquos antiquos Thomiſtas, & ipſum D.Thomam ſed hoc eſſe falſum conſtabit infra. Tertia ſententia prædictam vnitatem communem multis negat,& præter vnitatem numericam,ſolùm addit vnitatem formalem, quæ in vnoquoque indiuiduo multiplicatur. Hanc defendunt omnes Thomiſtę, & ferè omnes alij præter doctiſſimos Scotiſtas.

449. De aptitudine docuit ſententia 1 Scoti,& Scotiſtarum dari à parte rei aptitudinem in natura ad eſſendum in pluribus, & quòd licet de facto non ſit in pluribus,hoc prouenit ab extrinſeco ſcilicet ab illa ſingularitate, cum qua coniungitur natura, & ſicut illa vnitas naturæ comitatur illam in quocunquè ſtatu, ita,& aptitudo iſta.Secunda ſententia aſſerit talem vnitatem,& aptitudinem competere naturę ſecundùm ſe, nec deſcendere ad alios ſtatus quos habet natura. Ita P. Fonſeca iam citatus. Tertia ſententia affirmat nullam talem aptitudinem darì in natura à parte rei.Ita Thomiſtæ, & reliqui omnes, qui negant unitatem Scoticam.

Expli-

Digitized by Google

§. 2.

Explicatur vnitas cõpetens naturæ extra intellectum exiſtenti.

450 PRO reſolutione veritatis ſit. 1. con. Natura exiſtens à parte rei in indiuiduis habet duas vnitates ſcilicet formalem, & numericam. Hæc concertiſſima eſt apud Thomiſtas. Probatur ratione. Nam natura à parte rei in Petro verbi gratia, habet principia formalia, ſeu eſſentialia, per quæ conſtituitur formaliter, & eſſentialiter in ſua ſpecie, & habet principia materialia, & indiuiduantia illam, ergo habet vnitatem formalem, & numericam. Añs eſt certum Et conſequentia pr. Nam ad quodlibet eſſe ſequitur ſua vnitas, eſt.n. vnitas paſſio entis: ergo ſi in quolibet indiuiduo eſt duplex eſſe, alterum formale, & alterum indiuiduale: erit duplex vnitas, altera formalis, & materialis ſeu numerica altera. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam à parte rei Petrus eſt vnum in natura cum Paulo, & illi ſimilis, vterque.n. habet prædicata eſſentialia naturę, & à parte rei diſtingnitur ab eodem Paulo diſtinctione numerica: ergo datur vnitas formalis ratione naturæ, & unitas indiuidualis ratione materię, & aliarum conditionum indiuiduantium.

451. Secunda concluſio. A parte rei ſunt tot vnitates formales naturæ, quot ſunt indiuidua, Hæc con. etiam admittitur ab omnibus Thomiſtis. Et probatur ratione. Nam à parte rei natura quæ eſt in Petro diſtinguitur realiter à natura, quæ eſt in Paulo, & ſic de alijs indiuiduis, q̃ inter ſe realiter diſtinguuntur, & conſequenter natura, quæ eſt in vno, realiter diſtinguitur à natura quæ eſt in alio: ergo vnitas formalis, quę eſt in vno, diſtinguitur realiter ab vnitate formali, quę eſt in alio, ac proinde erunt tot vnitates realiter diſtinctæ, quot ſunt indiuidua. Antecedens eſt certum Cum ſolum in diuinis vna numero natura identificetur realiter cum tribus perſonis: & conſequentia probatur. Nam vnitas formalis ſequitur ad naturã: ergo ſi in quolibet indiuiduo eſt natura realiter diſtincta à natura, quę eſt in alio, etiam vnitas ſequta erit realiter diſtincta. Et quidem huiuſmodi vnitas formalis nihil aliud eſt quàm carentia diuiſionis per principia formalia naturę: ſi enim principia ipſa formalia, ſicut, & natura realiter multiplicantur, neceſſum eſt quod talis carentia ſequuta ad talia principia multiplicetur realiter: ac proinde Petrus habet ſuam naturam, & ſuam carentiam diuiſionis, & ſimiliter Paulus & ſic de alijs indiuiduis, & ſic quot ſunt indiuidua, tot ſunt naturæ realiter diſtinctæ, & vnitates, ſeu carentiæ diuiſionis formalis, & iſtæ etiam realiter diſtinctæ.

452. Tertia con. Natura ſecundùm ſe non habet aliquam vnitatem communem pluribus. Hæc con. eſt contra ſcotum, Scotiſtas, & Patrem Fonſecam. Et eſt expreſsa D. Thomæ pluribus in locis, quem referunt, & ſequuntur omnes Thomiſtæ, & P. Suarez diſp. 6. ſect. 2. n 9. Et antequam probetur. aduerto

inquirimus de vnitate,& aptitudine prædictis an dentur à parte rei ante omnem actum intellectus. Supponimus enim relationem rationis, per quam conſtituitur formaliter vniuerſale,non dari à parte rei,de quo nullus dubitat. Ad intelligentiam præſentis difficultatis notandum eſt, quòd natura quælibet poteſt conſiderari in triplici ſtatu. Primò accipitur ſecundum ſe, id eſt, ſecundum ſua prædicata eſſentialia, ſecluſo quocunque alio accidenti. Secundò accipitur prout eſt coniuncta à parte rei cum ſingulari, vel ſingularibus ſuis. Tertiò conſideratur prout eſt in intellectu, v. gratia, Natura humana quatenus præciſe dicit animal,& rationale, dicitur natura ſecundùm ſe. Ipſa autem prout eſt in Petro, & Paulo,& alijs,habet ſtatum concretionis, & quatenus ab intellectu concipitur ſine ſingularibus, cum quibus in re eſt coniuncta, habet ſtatum abſtractionis uel præciſſionis. Videndum eſt igitur an naturæ in aliquo ex prædictis ſtatibus conueniat vnitas, & aptitudo vniuerſalis. Et priùs dicemus de vnitate, & deinde de aptitudine.

448. Prima ſententia docet dari à parte rei quandam vnitatem competentem naturæ ſecundum ſe, quæ vnitas non multiplicatur in indiuiduis. Ita ſubtilis Scotus, quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, & Lichetus doctiſſimus Scotiſta ſic hanc ſententiam explicat, quòd natura prior eſt omnis ſingularitate, & in illo priori eſt indifferens ex ſe ad hanc vel illam ſingularitatem, etiam quando eſt coniuncta vni ſingularitati, ipſa eſt indifferens ad hanc vel ad illam, quę indifferentia competit naturæ ſecundum ſe,& ad illam ſequitur quædam vnitas communis omnibus ſingularibus, nam ſicut natura ipſa communicatur omnibus, ita, & prædicta vnitas illius communicatur. Ita explicat Lichetus in 2. ſent.d.3.q.1.§. adhuc. Et hanc vnitatem vocant Scotiſtæ vniuerſalitatem aliquam in re. Secunda ſententia aſſerit prædictam vnitatem Scoticam dari in natura ſecundum ſe, illam verò non deſcendere cum natura ad ſua inferiora. Ita P.Fonſeca lib.5. metaph. c.28. q.3 ſect.2.3.& 4.quæ vnitas, vt diſtincta à formali, & numerali aſtruitur ab ipſo,& refert pro ſua ſententia aliquos antiquos Thomiſtas, & ipſum D.Thomam ſed hoc eſse falſum conſtabit infra. Tertia ſententia prædictam vnitatem communem multis negat,& præter vnitatem numericam,ſolùm addit vnitatem formalem, quæ in vnoquoque indiuiduo multiplicatur. Hanc defendunt omnes Thomiſtę, & ferè omnes alij præter doctiſſimos Scotiſtas.

449. De aptitudine docuit ſententia 1 Scoti,& Scotiſtarum dari à parte rei aptitudinem in natura ad eſſendum in pluribus, & quòd licet de facto non ſit in pluribus,hoc prouenit ab extrinſeco ſcilicet ab illa ſingularitate, cum qua coniungitur natura, & ſicut illa vnitas naturæ comitatur illam in quocunquè ſtatu, ita,& aptitudo iſta.Secunda ſententia aſſerit talem vnitatem,& aptitudinem competere naturę ſecundùm ſe, nec deſcendere ad alios ſtatus quos habet natura. Ita P. Fonſeca iam citatus. Tertia ſententia affirmat nullam talem aptitudinem darì in natura à parte rei.Ita Thomiſtæ, & reliqui omnes, qui negant unitatem Scoticam.

Expli-

Digitized by Google

§. 2.

Explicatur vnitas cõpetens naturæ extra intellectum exiſtenti.

450 PRO reſolutione veritatis ſit. 1. con. Natura exiſtens à parte rei in indiuiduis habet duas vnitates ſcilicet formalem, & numericam. Hæc concertiſſima eſt apud Thomiſtas. Probatur ratione. Nam natura à parte rei in Petro verbi gratia, habet principia formalia, ſeu eſſentialia, per quæ conſtituitur formaliter, & eſſentialiter in ſua ſpecie, & habet principia materialia, & indiuiduantia illam, ergo habet vnitatem formalem, & numericam. Añs eſt certum Et conſequentia pr. Nam ad quodlibet eſſe ſequitur ſua vnitas, eſt.n. vnitas paſſio entis: ergo ſi in quolibet indiuiduo eſt duplex eſſe, alterum formale, & alterum indiuiduale: erit duplex vnitas, altera formalis, & materialis ſeu numerica altera. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam à parte rei Petrus eſt vnum in natura cum Paulo, & illi ſimilis, vterque.n. habet prædicata eſſentialia naturę, & à parte rei diſtingnitur ab eodem Paulo diſtinctione numerica: ergo datur vnitas formalis ratione naturæ, & unitas indiuidualis ratione materię, & aliarum conditionum indiuiduantium.

451. Secunda concluſio. A parte rei ſunt tot vnitates formales naturæ, quot ſunt indiuidua, Hæc con. etiam admittitur ab omnibus Thomiſtis. Et probatur ratione. Nam à parte rei natura quæ eſt in Petro diſtinguitur realiter à natura, quæ eſt in Paulo, & ſic de alijs indiuiduis, q̃ inter ſe realiter diſtinguuntur, & conſequenter natura, quæ eſt in vno, realiter diſtinguitur à natura quæ eſt in alio: ergo vnitas formalis, quę eſt in vno, diſtinguitur realiter ab vnitate formali, quę eſt in alio, ac proinde erunt tot vnitates realiter diſtinctæ, quot ſunt indiuidua. Antecedens eſt certum Cum ſolum in diuinis vna numero natura identificetur realiter cum tribus perſonis: & conſequentia probatur. Nam vnitas formalis ſequitur ad naturã: ergo ſi in quolibet indiuiduo eſt natura realiter diſtincta à natura, quę eſt in alio, etiam vnitas ſequta erit realiter diſtincta. Et quidem huiuſmodi vnitas formalis nihil aliud eſt quàm carentia diuiſionis per principia formalia naturę: ſi enim principia ipſa formalia, ſicut, & natura realiter multiplicantur, neceſſum eſt quod talis carentia ſequuta ad talia principia multiplicetur realiter: ac proinde Petrus habet ſuam naturam, & ſuam carentiam diuiſionis, & ſimiliter Paulus & ſic de alijs indiuiduis, & ſic quot ſunt indiuidua, tot ſunt naturæ realiter diſtinctæ, & vnitates, ſeu carentiæ diuiſionis formalis, & iſtæ etiam realiter diſtinctæ.

452. Tertia con. Natura ſecundùm ſe non habet aliquam vnitatem communem pluribus. Hæc con. eſt contra ſcotum, Scotiſtas, & Patrem Fonſecam. Et eſt expreſsa D. Thomæ pluribus in locis, quem referunt, & ſequuntur omnes Thomiſtæ, & P. Suarez diſp. 6. ſect. 2. n 9. Et antequam probetur. aduerto

Digitized by Google

quòd natura ſecundum ſe dicitur, prout ſolùm affert prædicata eſſentialia, quæ reperiuntur in omni alio ſtatu naturæ, ac proinde ly [ſecundum ſe] idem eſt quòd ſolitariè accepta abſque aliquo accidentali prædicato. Quo ſuppoſito probatur ratione D. Thomæ. Nam natura ſecundum ſe eſt indifferens, vt ſit vna, vel plures: ergo ſecundum ſe non habet aliquam vnitatem communem pluribus. Probat. antecedens. Nam prout ſic tantum affert prædicata eſſentialia, ſed hæc poſſunt inueniri in vno, vel in pluribus, ſeu hæc poſſunt accipi cum vnitate, vel pluralitate, nam per intellectum accipiuntur cum vnitate, & à parte rei ſunt multiplicata: ergo ſecundum ſe, ſi ita ipſa ſola, & quaſi nuda prædicata accipiantur, eſt indifferens ad vnitatem, & pluralitatem. Et hæc eſt ratio D. Thomæ cap. 4. de ente, & eſſentia, qua communiter vtuntur Thomiſtæ.

453. Si autem dicas quòd ad naturam ſecundum ſe, & prout præexiſtit ante ſingularitatem omnem, ſequitur quaſi paſſio vnitas quædam communis omnibus indiuiduis, In contra eſt ratio adducta. Nam natura in illo ſtatu indifferens eſt ex ſe ad vnitatem, vel pluralitatem: ergo ad illam, prout ſic præexiſtentem non ſequitur talis vnitas. Et vrgetur hoc. Nam quando natura coniungitur cum ſua ſingularitate, nulla eſt ibi realitas, quæ ſit realiter in alio indiuiduo: ergo nulla eſt vnitas communis pluribus. Patet cõa. Nam vt eſſet vnitas communis, neceſſum erat dari aliquam realitatem communem realiter illis, quibus realiter eſt communis. Et antecedens probatur. Nam in Petro, v. g. nulla eſt realitas, quæ realiter ſit communis Paulo, vt conſtat diſcurrendo per ſingula prædicata: natura enim Petri in re diſtinguitur à natura Pauli, & indiuiduatio ab indiuiduatione. Quæ ergo realitas imaginari poteſt communis realiter vtriquè? ergo quando natura coniungitur cum ſua ſingularitate, nulla eſt ibi realitas, quæ realiter ſit in alio indiuiduo.

454. Dices cum Licheto, & alijs Scotiſtis quod licet nulla ſit realitas communis, hoc prouenit ab extrinſeco impedimento ſingularitatis coniunctæ cum natura, at ipſa natura ex ſe non magis petit hanc ſingularitatem, quam aliam, & hoc ſufficit, vt detur talis vnitas. In contra eſt. Nam ſingularitas impedit naturam ne alijs communicetur; ſed natura in re ſemper coniungitur cum aliqua ſingularitate: ergo ſemper in re eſt impedita ad talem communitatem: ergo in re talis communitas non datur. Cõa. 1. eſt euidens. Et pr. 2. Nam implicatorium videtur, dari in re communitatem, & ad illam in re ſemper dari impedimentum: ergo ſi ſemper natura in re eſt impedita ad talem communitatem, hæc in re non datur, & conſequenter, nec datur vnitas illa communis pluribus, ſed ad ſummum ſequeretur ex dicta ſolutione quòd ſi in re natura non coniungeretur cum ſingularitate eſſet communis pluribus, & nec hoc ſequeretur, ſiquidem ſi vni communicaretur, iam eadem eſſet impedita vt alteri communicaretur. Conſultò abſtinui pro nunc ab alia ratione deſumpta ex reali identificatione naturæ cum ſua ſingularitate, ne tractaremus diſtinctionem

Digitized by Google

nem mediam, ſeu ex natura rei, quam aſſignauit Scotus, & ſequuntur Scotiſtæ, de qua alibi dicemus. Et hac admiſſa noſtra ratio habet vim.

455. Quarta concluſio. Natura ſecundum ſe non habet aliquam vnitatem, quæ illi conueniat in illo ſtatu, & non deſcendat cum illa ad inferiora. Hæc concluſio aſtruitur contra P. Fonſeca, qui conatur in hoc ſenſu defendere ſententiam Scoti, & illam optimè impugnat P. Suarez in metaph. diſp. 6. ſect. 3. num. 3. & pr. 1. noſtra concluſio. Nam ſi talis vnitas conuenit naturæ à parte rei; erit vnitas realis: ergo aliquando poteſt in re naturæ ipſi conuenire. Antecedens eſt certum: & cõa pr. quia illud eſt prædicatum reale alicuius, quod ipſi in re aliquando conuenit: ergo ſi illa vnitas eſt prædicatum reale naturæ, debet illi aliquando in re conuenire. Tunc vltra. Sed ſi non conuenit naturæ exiſtenti in aliquo indiuiduo ſaltem, non poteſt illi in re conuenire: ergo talis vnitas non datur. Pr. mi. Nullum prædicatum reale conuenit naturæ, niſi dum exiſtit realiter, at natura in re non exiſtit realiter: niſi indiuiduata in aliquo indiuiduo: ergo ſi talis vnitas non conuenit naturæ exiſtenti in aliquo indiuiduo, non poteſt illi realiter conuenire. Nec valet ſi dicas talem vnitatem competere naturæ ſecundùm eſſe eſſentiæ, & non ſecundùm eſſe exiſtentiæ. Non, inquam, valet. Nam nihil competit rei ſecundum eſſe eſſentiæ, quod non ſit in ordine ad exiſtentiam, omnia enim prædicata realia pertinentia ad eſſe eſſentiæ, in actu debent poni per exiſtentiam: ergo ſi in ordine ad exiſtentiam, quæ exercetur in ſingularibus, repugnat prædicta vnitas, vt fatetur Fonſeca, abſolutè repugnat etiam in ordine ad eſſe eſſentiæ.

456. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam nullum prædicatum reale competit naturæ ſecundùm ſe, niſi ſit prædicatum eſſentiale naturæ, & quod poſſit competere alicui indiuiduo, vel ſit prædicatum competens naturæ ratione indiuiduorum, hoc conſtabit diſcurrendo per omnia prædicata ſiue poſitiua, ſiue negatiua; & de poſitiuis non poteſt dubitari, vt aduertit Suarez, & de negatiuis conſtat. Nam [non eſſe album] v. g. in tantùm conuenit naturæ, vt ſic, in quantum in aliquo indiuiduo poteſt inueniri: at illa vnitas non poteſt conuenire ratione indiuidui, cum potiùs ex hac parte repugnet, neque eſt prædicatum eſſentiale naturæ, aliàs non repugnaret indiuiduis, neq; reſultans ex prædicatis eſſentialibus, nam cui iſta conuenirent, etiam conueniret talis vnitas: ergo prædicta vnitas, vt à Fonſeca ponitur, impoſſibilis eſt, nec in mentem Scoti venit, & multo minus in mentem Sancti Thomæ, aut alicuius Thomiſtæ.

§. 3.

Explicatur vnitas requiſita ad vniuerſale.

457. QVinta concluſio. Vnitas competens naturæ in intellectu exiſtenti requiritur ad vniuerſale. Hæc con admit-

admittitur ab omnibus Thomiſtis, & traditur expreſsè à D. Thoma. Et probatur ratione communi. Nam vnitas requiſita ad vniuerſale eſt illa, qua natura in ſe eſt indiuiſibilis formaliter, & diuiſibilis materialiter, actû tamen non diuiſa: ſed hæc vnitas competit naturę exiſtenti in intellectu: ergo illa requiritur ad vniuerſale. Mi. eſt certa. Nam natura humana, v. g. exiſtens in intellectu ſeparata à ſuis indiuiduis, eſt indiuiſibilis per principia formalia, & actû per principia materialia non diuiditur, eſt tamen potens diuidi per illa. Et ma pr. tùm ex ipſa diffinitione vniuerſalis, nempè eſt vnum aptum eſſe in multis, vel, vt Ariſtoteles dixit, eſt vnum præter multa: ergo eius vnitas excludit actualem diuiſionem per multa indiuidua, & admittit potentiam ad talem diuiſionem. Tum quia vnitas vniuerſalis debet diſtingui ab vnitate numerali, ſed vnitas hęc non excludit vnitatem formalem, licet illam diuidat, cum tot ſint vnitates formales, quot numericæ, & ſingulares, vt dicebamus num. 361. ergo vnitas vniuerſalis prętcr vnitatem formalem, debet dicere actualem indiuiſionem per principia materialia, vt ſic non ſolùm diſtinguatur, ſed etiam opponatur vnitati numericæ, ſeu ſingulari. Itaque vnitas formalis, prout præcisè dicit negationem diuiſionis pęnes principia formalia, inuenitur in natura in quocunquè ſtatu exiſtenti, nam ſecundùm ſe caret tali diuiſione, & tunc eſt indifferens ad alios duos ſtatus, & quãdo exiſtit in ſingulari, tunc etiam caret illa diuiſione, tamen eſt actualiter diuiſa per principia indiuiduantia, ſeu materialia, in intellectu autem præter dictam carentiam diuiſionis formalis, eſt actualis indiuiſio pęnes principia materialia cum ibi ſit ſeparata ab omni indiuiduo, pòns tamen diuidi, & conſequenter tunc habet vnitatem vniuerſalitatis.

458. Dices hac ratione probari vnitatem, quæ eſt fundamentum proximum ſecundæ intentionis vniuerſalis, reperiri in intellectu, quod non negauit ſubtilis doctor, nec negant Scotiſtæ, at dicunt à parte rei dari aliquam vnitatem, quæ ſaltem ſit fundamentum remotum vniuerſalitatis, licet hæc vnitas coniuncta ſit cum ſingularitate. Sed contra replicatur, & magis explicatur ratio Thomiſtarum. Nam iuxta ſententiam D. Thomæ non negatur dari à parte rei in natura fundamentum remotum ad vniuerſalitatem, hoc enim eſt conformitas, quam habent plura indiuidua in prædicatis eſſentialibus, & de hoc nulla eſt dubitatio. At quòd detur à parte rei aliqua vnitas communis pluribus, quæ in quolibet indiuiduo inueniatur hoc à nobis negatur cum communi Thomiſtarum, & probatum eſt illam non dari, vt conſtat ex num. 362. & modò dicimus quod vnitas vniuerſalis debet eſſe communis pluribus modo explicato, & cum hæc inueniatur in ſolo intellectu, hinc eſt quod in ſolo illo inueniatur vnitas requiſita ad vniuerſalitatem, quamuis à parte rei ſit fundamentum remotum. Quæ autem ſit talis conformitas, quæ ab alijs dicitur vnitas negatiua, dicemus ſoluendo argumenta infra num. 378.

Expli-

Digitized by Google

§ 4.

Explicatur aptitudo requiſita ad vniuerſale, & probatur non dari à parte rei.

459. SExta con. Aptitudo ad eſſendum in multis non cõuenit naturę ſecundùm ſe, neque ipſi exiſtenti in indiuiduis. Hæc con. admittitur ab omnibus, qui negant vnitatem naturæ à parte rei, & expreſsè traditur à D.Tho. opuſc. 56. & cap. 4. de ente, & eſſentia, cuius verba hic, & in alijs locis referunt Thomiſtæ. Et quantum ad primam partem prob. Nam natura ſecundum ſe, nihil aliud eſt, quàm natura ſolitariè ſũpta, ita vt ſola prædicata eſſentialia afferantur, vt ſępè dictum eſt: ſed talis aptitudo non poteſt numerari inter prædicata eſſentialia naturæ: ergo non conuenit naturę ſecundùm ſe. Probatur mi. Nam ſi eſſet prædicatum eſſentiale, conueniret omni indiuiduo habenti illam naturam, & idem dico ſi eſſet prædicatũ aliquomodo cõns naturam in illo ſtatu. Nam, vt dicebamus nu. 365. de vnitate, nullum eſt prædicatum reale naturæ, quod non conueniat alicui ſaltem indiuiduo: ſed talis aptitudo nullatenus conuenit naturæ in aliquo indiuiduo, ſed potius illi repugnat, vt iam dicetur num. 370. ergo talis aptitudo ad eſſendum in multis non conuenit naturæ ſecundùm ſe. Itaq; natura in illo ſtatu ſolitudinis negatiuè ſe habet, & ſolùm affert prædicata eſſentialia, quibus poſtea accidit inueniri in hoc, vel in illo indiuiduo, vel in intellectu.

460. Secunda pars concluſionis, nempe illam aptitudinem non inueniri in indiuiduis, prob. Nam natura exiſtens in indiuiduis habet repugnantiam ad eſſendũ in multis, v. g. Natura exiſtens in Petro repugnantiam habet ad eſſendum in Paulo, tanta.n. repugnãtia eſt, quòd natura exiſtens in Petro ſit in Paulo, quãta eſt, vt Petrus ſit idem realiter cum Paulo. Et ratio eſt. Nã natura Petri eſt in Petro per identitatẽ realem, ſaltèm entitatiuam, [quidquid ſit de diſtinctione media, ſeu ex natura rei:] ſed implicat quòd vnum identificetur realiter entitatiuè cũ alio, & nõ identificetur omne illud, quod eſt realiter identificatum cum illo: ergo ſi natura Petri eſt realiter entitatiuè idem cum ſua ſingularitate, tanta repugnantia eſt, quod identificetur Petrus cum Paulo, quanta eſt quod natura Petri identificetur cũ Paulo, vel è conuerſo: ergo natura exiſtens in indiuiduis nõ habet aptitudinem ad eſſendum in multis. Ad id enim ad quod eſt intrinſeca, & eſſentialis repugnantia, nõ poteſt dari in re aptitudo, ſiuè poſitiua, ſiuè negatiua, aliàs eſſet, & non eſſet repugnantia in re. Eſſet quidẽ, vt probatũ eſt, & nõ eſſet cũ ſuponatur dari aptitudinem ſaltèm negatiuã, quę conſiſtit in quadam non repugnãtia.

461. Nec valet ſi dicatur nullum eſſe inconueniens quod ex vna parte ſit repugnantia in natura ad eſſendum in multis, nempè ea parte, qua eſt ſingularis, & ex alia ſit non repugnantia, .ſ. ex parte ipſius naturæ. Non, inquam, valet. Nam ſi ex parte ſingularitatis eſt repugnantia, & natura in re ſemper eſt coniuncta cum aliqua ſingularitate, ſemper

in re

in re erit talis repugnantia. Explico hoc. Natura ex ſe indifferens eſt, vt ſit in vno, vel in pluribus, ſed ſemper in re eſt coniuncta cum aliquo indiuiduo: ergo ſemper in re eſt ſine tali indifferentia: patet hæc cōa. Nam indifferentia ad vnum, vel plura tollitur per coniunctionem cum vno, v. g. indifferentia potentię ad operandum, vel non operandum tollitur per hoc quod coniungatur cum operatione: ergo ſi natura ſemper in re coniungitur cum aliquo ſingulari, ſemper eſt ſine tali indifferentia, & conſequenter ſemper eſt repugnantia ad eſſendum in multis. Et quidem, vt dicebamus nu. 304. de vnitate, ſi per ſingularitatem tollitur indifferentia, ſi de facto non poneretur ſingularitas, ſequeretur quod natura maneret indifferens, ſi autem ſemper ponitur, quomodo poteſt in re, ſaltem aliquando verificari eſſe indifferentiam? ſed de hoc iterum dicetur num. 376.

462. Septima concluſio. Aptitudo ad eſſendum in multis, qualis requiritur, vt fundamentum vniuerſalis, reperitur in natura exiſtenti in intellectu. Hæc concluſio admittitur ab omnibus Thomiſtis ſequentibus D. Thomam in locis præallegatis. Ad cuius intelligentiam nota id quod ſupra diximus num. 39. quod aptitudo, quæ eſt fundamentum proximum vniuerſalitatis non eſt aliquis reſpectus poſitiuus, ſed quædam non repugnantia ad eſſendum in multis. Et hanc inueniri in ſolo intellectu aſſerimus. Et probatur 1. Nam talis aptitudo non conuenit naturæ ſecundum ſe, neque illi in ſuis ſingularibus exiſtenti: ergo conuenit illi exiſtenti in intellectu. Antecedens ſupponitur ex dictis, & conſequentia probatur. Nam talis aptitudo debet inueniri aliquando in natura, ſed natura habet ſolùm triplicem ſtatum, & non inuenitur in duobus, nempè, ſecundùm ſe, aut in ſingularibus: ergo debet inueniri in alio, qui reſtat, ſcilicet in intellectu.

463. Secundò probatur con. Nam aptitudo, quæ eſt fundamentum vniuerſalis, eſt quædam non repugnantia, vt natura vna exiſtens ſit in pluribus per identificationem cum illis: actus enim correſpondens tali aptitudini eſt ipſum eſſe actualiter in pluribus per identificationem iuxtà ſupra dicta num. 42. ſed huiuſmodi non repugnantia in ſolo intellectu inuenitur: ergo &c. probatur mi. Nam actus prædictus identificationis naturæ cum pluribus in ſolo intellectu inuenitur, qui coniungit naturam cum pluribus indiuiduis, vel intelligit illam eſſe in pluribus abſque diuiſione actuali: ergo non repugnantia illa inuenitur in ſolo intellectu: probatur conſequentia. Nam in illo ſtatu inuenitur non repugnantia ad aliquem actum, in quo poſſibile eſt inueniri talem actum, aliàs daretur non repugnantia ad impoſſibile, ergo ſi actus ille identificationis cum pluribus reperitur in ſolo intellectu, in hoc ſolo inuenietur prædicta non repugnantia.

Digitized by Google

§. 5.

Proponuntur argumenta, & ſoluuntur.

464. ARguitur primo ad probandum dari vnitatem aliquam communē pluribus à parte rei. Nam à parte rei natura prior eſt qualibet ſingularitate, & ex ſe indifferens, vt coniungatur cum iſta, vel cum alia, licet determinetur ab illa ſingularitate cum qua coniungitur: ergo à parte rei natura habet ſuam vnitatem communem pluribus: antecedens eſt certum. Nam in illo priori, quo natura præcedit ſuam ſingularitatem, cum qua eſt in re coniuncta, non habet aliquid, à quo determinetur ad hanc potiùs, quàm ad aliā ſingularitatem, & conſequenter, tunc eſt indifferens ad quamlibet. Et conſequentia probatur. Nam ad quamlibet entitatem ſequitur ſua vnitas proportionata, cum vnitas ſit paſſio entis: ergo ſi in illo priori natura ex ſe eſt indifferens ad plura, ſequitur aliqua vnitas ſic proportionata, & ſicut omni indiuiduo communicatur talis natura indifferens ex ſe, etiam communicatur talis vnitas concomitans naturam vbicunquè eſt. Confirmatur 1. & explicatur. Nam ex eo quòd natura ſit coniuncta cum aliqua ſingularitate, tantum ſeqùitur quod ſit actu determinata ex vi illius ſingularitatis, & conſequenter impedita ne ſit in alio, non autem ſequitur, quòd ſit ſublata indifferentia competens ipſi ex ſe, prout antecedit ſingularitatem: actus enim determinat indifferentiam pōę, non tamen tollit quòd ipſa pōa ex ſe ſit indifferens: & eſt exemplum commune. Nam materia prima quando recipit vnam formam, determinatur per illam, & tamen abſolutè dicimus materiam eſſe indifferentem ad omnem formam: ergo licet natura ſit coniuncta, & determinata per vnam ſingularitatem non tollitur eius vnitas, ſeu indifferentia, ſed potius hæc cōmunicatur omni habēti talē naturā.

465. Confirmat 2. Nam à parte rei omnia indiuidua conueniunt in natura, & in illa ſunt vnum, v. g. Petrus, & Paulus à parte rei conueniunt in natura humana, & in illa ſunt vnum, ſeu ſunt ſimiles: ergo datur à parte rei aliquid, quod ſit vnum in illis. Nec valet ſi dicas, quòd ſunt vnum negatiuè, ſeu per conformitatem, non autem vnum poſitiuè. Non, inquam, valet. Nam omnis vnitas eſt carentia diuiſionis, ac proinde vnitas non poteſt conuenire poſitiuè. Et vrgetur ad noſtrum intentum. Nam à parte rei datur carentia diuiſionis in natura humana inter Petrum, & Paulum: ergo à parte rei datur vnitas in natura: antecedens eſt certum nam vterq; habet naturam humanam, & cōa pr. Nam vnitas eſt carentia diuiſionis: ergo vnitas in natura humana eſt carentia diuiſionis in natura humana, & ſupra hanc carentiam fundatur illa conformitas. Et quidem nulla vnitas dicit aliquid poſitiuum præter entitatem, ſupra quam addit ſolam negationem, ac proinde vnitas eſt entitas carens diuiſione: ergo ſi à parte rei eſt natura in Petro, & in Paulo cum carentia diuiſionis, datur à parte rei vnitas communis Petro, & Paulo.

Digitized by Google

466. Ad hòc argumentum reſpondeo illam prioritatem naturæ reſpectu ſuæ ſingularitatis non eſſe in re, ſed per noſtros conceptus, maximè in ſententia Thomiſtarum aſſerentium naturam diſtingui à ſua ſingularitate ſola ratione ratiocinata, & iuxta hanc ſententiam argumentum nullam vim habet, cum in re non detur natura ſine ſingularitate, cum qua identificatur realiter. Nihilominus admittamus ſententiam Scoti ponentis diſtinctionem mediam, ſeu ex natura rei inter naturã, & ſingularitatem, & adhuc argumentum ſoluitur dicendo, quòd natura ex ſe ſolùm dicit carentiam diuiſionis formalis, ideſt, penes prædicata formalia, & eſſentialia, quæ carentia communicatur omni indiuiduo, non tamen communicatur aliqua vna carentia, quæ realiter ſit in omnibus, ſed ſicut cuilibet indiuiduo communicatur natura, quæ realiter entitatiuè diſtinguitur à natura, quæ eſt in alio indiuiduo, ita pariter communicatur illi ſua vnitas, ſeu carentia realiter diſtincta ab vnitate, ſeu carentia, quæ eſt in alio indiuiduo, vt dicebamus ſupra num. 361. quapropter non verificatur quòd ſit aliqua vnitas, realiter communis pluribus, ſed quod plures vnitates, & carentia inter ſe conformes ſint, vt dicemus de naturis ipſis.

467. Ad Confer. 1. reſp. quod natura ex ſe eſt indifferens, vt communicetur pluribus, ita vt realiter diuidatur in illis, eſt enim in Petro natura humana, & in Paulo natura humana, non autem eadem realiter, ſed multiplex realiter, & communiter quidquid ſequitur naturam, eſt realiter multiplicatum, ac proinde non poteſt verificari, quòd aliqua vnitas ſit realiter eadem, & communis pluribus. Et talis indifferentia, vt ſit in pluribus partita, & diuiſa non tollitur per ſingularitatem. Nec eſt exemplum ad rem, nam eadem realiter materia inuenitur ſub qualibet forma, & eſt communis multis indiuiduis ſucceſſiuè, non autem eadem natura realiter poteſt eſſe in pluribus, nec ſucceſſiuè, nec ſimul.

468. Ad Confir. 2. reſpondeo quod omnia indiuidua eiuſdem naturæ ſunt vnum inter ſe per conformitatem, quæ conformitas in eo fundatur, quod prædicata formalia, & eſſentialia naturæ in illis omnibus inuenitur, licet cum diuiſione, & diſtinctione reali: & & ex hoc oritur quod ex parte naturæ non diſtinguantur, & hac ratione dicuntur vnũ negatiuè ideſt, non plura, ſeu diſtincta ex illa parte, quamuis abſolutè ſint plura, & diſtincta. Explico hoc, vnitas dicit carentiam, & hæc poteſt conuenire naturæ, ſeu indiuiduis illius dupliciter, & negatiuè, & poſitiuè, non dico quod eſt duplex vnitas, altera negatiua, & poſitiua altera, in quo aliqui æquiuocantur, ſed quod vnitas poteſt conuenire, & negatiuè, & poſitiuè. Et in præſenti vnitas illa formalis dicitur conuenire naturæ negatiuè, hoc eſt, quod ex illa parte non eſt diſtinctio formalis, non autem cõuenit illi poſitiuè, nam ad hoc erat neceſſarium, quòd ex nulla alia parte diſtingueretur, quod in re non poteſt inueniri, vbi coniuncta eſt cum ſingularibus diſtinctis: & in prædicta vnitate negatiua fundatur illa conformitas realis, &

realis

realis ſimilitudo, quæ inueniuntur inter Petrum, & Paulum a parte rei. Et ad hoc non requiritur quod ſit aliqua vnitas realiter communis pluribus, vt videntur docere Scotiſtæ, ſed ſufficit eſſe illas plures vnitates, ſeu carentias inter ſe conformes, & ſimiles, & nihil aliud inuenitur a parte rei.

469. Argumentum 2. principaliter contra con. 4. Nam natura ſecundum ſe, ideſt, ſolitariè ſumpta habet aliquam vnitatem illi poſitiuè conueniente: ergo falſa eſt illa concluſio. Probatur antecedens. Nam natura ſecundum ſe dicit aliquam entitatem, hoc eſt, ipſa prædicata formalia, & eſſentialia non diuiſa, ſeu diſtincta: ergo in illo ſtatu habet aliquam vnitatem poſitiuè illi conuenientem. Probatur cõa. Nam ad omnem entitatem ſequitur ſua vnitas proportionata, ſed in illo ſtatu eſt entitas naturæ abſq; diuiſione aliqua: ergo in illo ſtatu eſt vnitas poſitiuè illi conueniens. Confirm. hoc. Nam ideò natura a parte rei in ſingularibus non habet aliquam vnitatem ſibi poſitiuè conuenientem, quia licet ex parte naturæ non ſit diuiſio, tamen ex alia parte eſt abſolutè diuiſa, & diſtincta, & communiter non conuenit illi poſitiuè aliqua vnitas: ſed in ſtatu ſolitudinis non eſt diſtinctio ex parte naturæ, nec ex alio capite eſt diuiſio, ſeu diſtinctio: ergo nihil deficit, vt in illo ſtatu conueniat poſitiuè naturæ aliqua vnitas.

470. Ad hoc argumentum reſpondeo, quod ſtatus ille naturæ in ſua ſolitudine præter prædicata eſſentialia naturæ, nihil aliud habet poſitiuè, ac proinde tunc eſt indifferens, vt multiplicetur poſitiuè per ſingularia, vel fiat vna poſitiuè per intellectum. Quapropter vnitas ſequuta ad naturam in illo ſtatu merè negatiue conuenit illi, ad hunc ſenſum, quòd ex parte naturæ non eſt diſtinctio, & hæc vnitas proportionata eſt cum natura in illo ſtatu. Nam vt reſultaret vnitas poſitiuè illi conueniens neceſſum erat, quòd in nullo ſtatu eſſet diuiſibilis poſitiuè, & vt ſupra dicebamus num. 365. talis vnitas ſi poſitiuè conueniret naturæ ſecundum ſe, neceſſariò conueniret alicui indiuiduo, cum autem hoc ſit impoſſibile, ita & aliud. Ad confirmationem reſpondeo, quòd naturæ ex ſtenti in indiuiduis non conuenit poſitiuè talis vnitas, quia licet tunc non ſit diuiſio, eſt tamen omnimoda indifferentia, vt diuidatur actualiter, vel vt ſit vna poſitiuè per intellectum, quæ indifferentia tollit, ſeu impedit vnitatem poſitiuè conuenire naturæ in illo ſtatu.

471. Si autem objjcias argumentum illud commune. Nam à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato pęnes finitum, & infinitum eſt bona conſequentia, v. g. benè valet homo non eſt albus: ergo eſt non albus: ſed natura ſecundum ſe non eſt communicabilis, ſeu multiplex: ergo ſecundum ſe eſt incommunicabilis, & vna. Reſpondeo, quòd addita illa particula [ſecundum ſe] non valet ille modus arguendi, nam ratione illius particulæ deſignatur modus quidam exiſtendi cum indifferentia, ſeu ſe habendi negatiuè, & ita illi non conuenit determinatè aliquod ex illis prædicatis, ſicut non valet homo ſecundum ſe non eſt albus? ergo ſecundum ſe eſt non albus, nam

ſecundum ſe negatiuè ſe habet ad vtrumquè, & quamuis in re non detur medium inter albedinem, & non albedinem, quæ contradictoriæ opponuntur, ac proinde vna debet in re conuenire cuilibet ſubiecto, tamen reſpectu ſubiecti accepti in ſtatu indifferentiæ datur medium ſcilicet negatiuè ſe habere, ita dicendum eſt in noſtro caſu de natura ſecundum ſe, reſpectu cuius ille modus arguendi non valet.

472. Arg. 3. principaliter contra con. 6. Nam aptitudo ad eſſendum in pluribus eſt quædam non repugnantia in natura ad eſſendum in pluribus; ſed prædicta non repugnantia inuenitur in natura ſecundùm ſe, & etiam in illa exiſtenti in ſuis indiuiduis: ergo prædicta aptitudo etiam ibidem inuenitur. Ma. eſt certa. Et pr. min. quoad primam partem. Nam natura ſecundum ſe eſt indifferens, & negatiuè ſe habens in ordine ad ſua indiuidua: ergo ſecundum ſe habet non repugnantiam ad eſſendum in illis. Si enim ex ſe non habet non repugnantiam ad eſſendum in illis. Si .n. ex ſe non habet aliquid cum quo repugnet talis exiſtentia in multis: ergo ex ſe eſt non repugnans. Quoad 2. partem, pr. mi. Nam natura in re ipſa coniungitur, & identificatur cum pluribus indiuiduis: ergo in re ipſa non repugnat illi talis multiplicatio, & communiter quando eſt in multis, ipſa ex ſe dicit non repugnantiam.

473. Confirmatur hoc. Nam in illo priori, quo in re ipſa antecedit natura ſuam ſingularitatem, imò & omnem ſingularitatem, eſt non repugnans ad omnem, ſiquidem tunc non habet aliquid, ratione cuius repugnet: ergo tunc eſt omnimoda indifferentia, & conſequenter non repugnantia. Tunc vltra ſed ſingularitas determinans naturam, non tollit ab illa quod ex ſe habet: ergo ſemper relinquitur talis non repugnantia, ita vt in re ex parte naturæ ſit non repugnantia, & ex parte ſingularitatis ſit repugnantia. Dari autem in re in aliquo ſubiecto repugnantiam, & non repugnantiam ad idem, dummodo oriatur ex diuerſis capitibus non eſt inconueniens. Et poteſt vrgeri hoc idem. Nam ſaltim conceditur vnitatem aliquam negatiuè conuenire naturæ ex ſe, & illi negatiuè conuenire pluralitatem: ergo ex ſe dicit non repugnantiam ad vtrumquè, & cõſequenter aptitudinem illam negatiuam conſiſtentem in tali non repugnantia ad eſſendũ in pluribus.

474. Ad hoc argumentum reſpondeo quòd aptitudo, ſeu non repugnantia, quæ à nobis negatur, conſiſtit in eo, quòd natura exiſtens vna, ideſt, abſquè diuiſione aliqua, poſſit eſſe in pluribus. Cum igitur natura ſecundum ſe in illo ſtatu ſolitudinis negatiuè ſe habeat ad vnitatem, vel pluralitatem hinc eſt quòd illa, prout ſolitariè accepta, non poſſit habere non repugnantiam, vt vna exiſtens ſit in pluribus, ibi enim nulla talis vnitas reperitur, vt dictum eſt. In ſuper ipſa natura in re exiſtens in ſingularibus eſt actualiter diuiſa, & partita, ac proinde dicit repugnantiam, vt vna exiſtens ſit in pluribus. Ex quo patet ad argumentum. Et ad confirmationem reſpondeo, vt ſupra, quod illa prioritas non eſt in re, ſed in intellectu. Et adhuc in illo priori, ſi accipiatur in re, eſt diuiſa, & partita, licet

cet

Digitized by Google

cet non ex ſe, tamen ratione ſingularitatis, ſine qua nunquam eſt in re natura aliqua, & ideo habet repugnantiam, vt vna exiſtens ſit in pluribus. Et ſanè ſi à parte rei repugnat naturæ aliqua vnitas, quę ſit realiter in pluribus, vt probatum eſt, ſine dubio repugnat illi, vt vna exiſtens ſit in pluribus, & tandem ſequitur non eſſe aptitudinem negatiuam ad aſſendum in multis abſolutè, & ſimpliciter, ita vt non ſolùm repugnet ex parte ſingularitatis, ſed etiam ex parte naturæ, quæ in illo ſtatu petit eſſe cum diuiſione indiuiduali. Quod autem additur de vnitate, quæ negatiuæ conuenit natura ex ſe, non verificatur de natura in ſingularibus, in quibus eſt poſitiuè diuiſa, ſed de natura in ſtatu ſolitudinis, & quia tunc non eſt vna, vel plures, ſed negatiuè ſe habens ad vtrunquè ideo ibi non eſt aptitudo negatiua, vt vna exiſtens ſit in pluribus.

CONFERENTIA 2.

Vtrum uniuerſale fiat per abſtractionem intellectus, vel per comparationem.

§. 1.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

475. EX dictis proximè conſtat non dari à parte rei, ſed in ſolo intellectu vnitatem, & aptitudinem requiſitã ad vniuerſale, & communiter ſequitur vniuerſale fieri à ſolo intellectu, in præſenti autem inquirimus per quẽ actum intellectus fiat. Ad cuius intelligentiã nota primò quod vniuerſale aliud eſt metaphyſicũ, & eſt natura ipſa abſq; indiuiduis accepta quomodo pertinet ad conſiderationẽ metaphyſicà, & aliud eſt vniuerſale logicum, illud .ſ. quod pertinet ad cõſiderationẽ logicæ, & cõſtituitur formaliter per ſecundã intẽtionẽ, qua reſpicit ſua indiuidua. Nota 2. quod in vniuerſali debent diſtingui hæc tria .ſ. materiale, ſeu ſubiectũ, quod denominatur tale, & fundamentũ, ſeu ratio fundandi, & tandẽ ipſa forma cõſtitutiua illius, materiale ſemper eſt natura, quæ denominatur, & hæc aliquando eſt realis, & aliquando rationis. Fundamentum eſt id, medio quo talis natura redditur capax ſuſcipiendi formam denominantem. Qua propter in duobus conſiſtit difficultas, primum eſt per quem actum ponitur fundamentũ vtriuſq; vniuerſalis logici, & metaphyſici, ſecundum eſt per quem actum ponitur forma denominans. Nota 3. quod quantum ad præſens, in intellectu inuenitur duplex abſtractio, altera intellectus agentis, qui producit ſpeciem repręſentantem naturam abſq; conditionibus indiuiduantibus, vt modo ſuppono, qua ratione dicitur abſtrahere, & natura ſic repræſentata dicitur abſtracta à ſuis indiuiduis. Altera eſt abſtractio intellectus poſſibilis, & eſt cognitio illa attingens naturã, & nõ attingẽs indiuidua, & hæc adhuc eſt duplex, altera negatiua, quando cognoſcitur natura, non cognitis indiuiduis, & altera poſitiua, quando cognoſcitur natura, vt abſtracta, & ſeparata ab illis,

ita vt

Digitized by Google

ita vt indiuidua cognoſcantur, vt terminus à quo abſtrahitur natura. Rurſus eſt alia actio intellectus poſſibilis, quæ dicitur comparatio, qua intellectus cognoſcit naturam in ordine ad ſua indiuidua, in quibus poteſt eſſe, & de quibus poteſt prædicari, & hæc dicitur ſimplex comparatio. Alia enim eſt comparatio compoſita, vt quando intellectus actualiter coniungit, & componit, & prædicat naturam de indiuiduis. Quo ſuppoſito videndum eſt per quem actum iſtorum ponatur fundamentum proximum vniuerſalis, & per quem forma ipſa, nam iuxta diuerſitatem actuum eſt diuerſitas ſententiarum.

476. Prima ſententia affirmat, quod per abſtractionem intellectus agentis non fit natura vniuerſalis, nec metaphiſicè, & hanc defendunt duplici via, vel quia exiſtimant ſpeciem productam non ſolum repræſentare naturam, ſed etiã ſingulare, vel quia iudicant, quod licet repræſentetur natura ſola, non tamen vniuerſalitas, atque adeo natura ipſa tunc eſt in ſtatu ſolitudinis, & non vniuerſalitatis. Secunda ſententia aſſerit per talem ſpeciem repræſentari naturam in ſtatu vniuerſalitatis, ita vt vniuerſalitas tunc repræſentetur, licet non cognoſcatur. Et de hac duplici ſententia videatur Magiſt. Ioann. à Sancti Thoma quæſt. 4. artic. 1. Tertia ſententia affirmat vniuerſale metaphyſicum fieri, tàm fundamentaliter proximè, quàm formaliter per abſtractionem intellectus poſſibilis, ſiuè ſit abſtractio negatiua, ſiuè poſitiua; ita communiter Thomiſt.. Quarta ſententia affirmat, etiam per talem abſtractionem poni vniuerſale logicum. At authores huius ſententiæ ſunt diuiſi, nam aliqui iudicant tunc per abſtractionem poni ſolum fundamentum proximum, & quia poſito fundamento proximo, eſt denominatio formalis, etiam ſi non reſultet forma rationis, ideo dicunt vniuerſale formaliter fieri per talem abſtractionem, etiam ſi relatio ipſa vniuerſalis fiat per aliam actionem comparatiuam. Quinta ſententia docet per talem abſtractionem poni non ſolùm fundamentum proximum ad vniuerſale logicum, ſed etiam ipſa forma, quæ eſt relatio rationis. Sexta ſententia aſſerit fundamentum proximum poni per abſtractionem, & per comparationem ſimplicem poni relationem rationis conſtituentem formaliter vniuerſale logicum, & tandem refertur altera ſententia docens poni talem relationem per comparationem compoſitam. Et ſanè tanta eſt diuerſitas ſententiarum, & tàm diuerſimodè referuntur ſententiæ à Doctoribus, vt vix percipere poſſim mentem aliquorum, meam autem explicabo iuxta doctrinam magis conformem D. Thomæ, & antiquis Thomiſtis.

§. 2.

Reſoluitur difficultas de vniuerſali metaphiſico.

477. PRo reſolutione veritatis ſit prima concluſio. Natura, vt repræſentata per ſpeciem productam ab intellectu agente, eſt vniuerſale metaphyſicum.

Hanc

Hanc concluſionem defendit Mag. Ioan. a Sáĉti Thoma contra aliquos authores, quos refert quæſt. 4. art. 1. aſſerentes naturam ſic repræſentatam eſſe in ſtatu ſolitudinis. Et probari poteſt concluſio ex doctrina D. Tho. afferenda infra nu. 400. vbi docet naturam fieri vniuerſalem per actum intellectus deputantem illam à conditionibus indiuiduantibus, quod ſaltem debet intelligi de vniuerſali metaphyſico. Probatur autem ratione. Nam vniuerſale metaphyſicum dicitur natura ſeparata ab indiuiduis, & cum vnitate, diſtinguiturq; ab vniuerſali logico in eo quòd iſtud reſpicit indiuidua, vt terminum ad quem, & illud reſpicit iſta, vt terminum à quo: ſed natura per illam ſpeciem repræſentatur, vt ſeparata ab indiuiduis, & vt vna: ergo repræſentatur, vt vniuerſale metaphyſicum. Ma. eſt certa. Et mi. probatur. Nam iuxta ſententiam D. Thomæ, & Thomiſtarum, quam modo ſupponimus, ſpecies illa repræſentat naturam, & non ſingulare aliquod, & conſequenter repræſentat illam, vt ſeparatam ab indiuiduis: quod autem repræſentetur, vt vna, probatur ſic. Nam natura eo modo repræſentatur per illam ſpeciem, quo cognoſcitur ab intellectu, cognitio enim fit ab intellectu media ſpecie repræſentante obiectum: ſed ab intellectu informato tali ſpecie cognoſcitur natura, vt vna; vt conſtat ex dictis ſupra: ergo per ſpeciem repræſentatur, vt vna, ac proinde ſicut ſpecies dicitur vniuerſale in repræſentando, ita & natura dicitur vniuerſale non in eſſendo, ſed quia vt talis repræſentatur, & conſequenter non eſt in ſtatu ſolitudinis, ſed in ſtatu vniuerſalitatis repræſentatæ.

478. Secunda concluſio. Vniuerſale metaphyſicum fit formaliter per abſtractionem tàm negatiuam, quàm poſitiuam intellectus poſſibilis. Itaquè per hoc quod cognoſcatur natura abſque ſuis indiuiduis dicitur formaliter vniuerſale metaphyſicum. Hæc concluſio, meo videri, à nemine negabitur. Et probatur ratione. Nam illud dicitur vniuerſale metaphyſicum, quod eſt abſquè indiuiduis, ita vt ea reſpiciat; ſeu connotet, vt terminum à quo; hac enim ratione natura quælibet pertinet ad metaphyſicam, quæ conſiderat naturas rerum, & non ſingularia; ſed per quamcunque cognitionem abſtractiuam attingitur natura, & non attinguuntur indiuidua: ergo ex vi illius ponitur natura capax, vt conſideretur à metaphyſico, ac proinde ſit vniuerſale metaphyſicum. Res enim mihi certiſſima videtur.

§. 3.

Reſoluitur difficultas de vniuerſali logico.

479. TErtia concluſio. Per abſtractionem intellectus agentis non ponitur vniuerſale logicum farmaliter, aut fundamentaliter proximè, ſed tantùm remotè. Hæc concluſio admittitur communiter à Thomiſtis, & à pluribus alijs. Et probatur ratione, quo ad primam partem. Nam vniuerſale formaliter eſt aliquid rationis, eſt enim relatio

tio

tio rationis, qua reſpicit inferiora: ergo non poteſt fieri per abſtractionem intellectus agentis. Antecedens eſt certum. Et conſequentia probatur. Nam omne ens rationis fit, ſeu reſultat ex aliqua cognitione, & maximè ens rationis logicum, qualis eſt relatio illa rationis, illius enim totum eſſe eſt obijci intellectui iuxta dicta ſupra nu. 319. ſed intellectus agens non eſt cognoſcitiuus, nec illius abſtractio eſt cognitio, ſed ſolùm productio cuiuſdam ſpeciei repræſentantis naturam ſine conditionibus indiuiduantibus: ergo ſi vniuerſale formaliter eſt ens rationis, non fit per illam abſtractionem. Item pr. 2. pars concluſionis. Nam omnis relatio rationis, quæ eſt ſecunda intentio, fundatur proximè ſupra eſſe cognitum, & conuenit naturæ, vt cognitæ, vt eſt expreſſa doctrina D. Thomæ, & communis Thomiſtarum, ideoquè ſecundæ intentiones ſopponunt primas, & ſuper iſtas fundantur; ſed per illam abſtractionem natura non denominatur cognita, ſed tantùm abſtracta modo dicto: ergo per talem abſtractionem non ponitur vniuerſale fundamentaliter proximè. Tertia pars concluſionis probatur, ſeu potiùs explicatur. Nam natura à parte rei exiſtens in indiuiduis propter conformitatem, quam habet in omnibus, præbet fundamentum, vt ipſa ſola ſine illis concipiatur, & illa conformitas dicitur fundamentum remotiſſimum ad vniuerſale logicum, quando vero repræſentatur abſtracta ab indiuiduis, aliquantulum recedit à ſingulari, & tunc incipit denominari vniuerſalis, ſed quia ſecunda intentio logica petit illud eſſe cognitum, quod mediat inter illud eſſe abſtractum naturæ, & ipſam ſecundam intentionem, ideò per abſtractionem illam ponitur fundamentum remotum vniuerſalis logici. Ex quo formatur ratio. Nam natura abſtracta, & in ſpecie repræſentata recedit à ſingulari: ergo præbet fundamentum ad vniuerſalitatem logicam; ſed non præbet fundamentum proximum, vt dictum eſt: ergo præbet fundamentum remotum.

480. Quarta concluſio. Vniuerſale logicum fit fundamentaliter proximè per abſtractionem intellectus poſſibilis, ſiuè ſit abſtractio negatiua, ſiuè poſitiua. Itaquè natura cognita ab intellectu ſine conditionibus indiuiduantibus, eſt fundamentum proximum vniuerſalitatis logicæ. Hæc concluſio defenditur ab omnibus ferè modernis Thomiſtis, eam docent Collegium diſcalc. Magiſt. Petronius, Magiſt. Araujo, Mag. Ioan. à S. Thoma, & plures alij, quamuis Magiſt. Petronius aſſerat eſſe aliquos docentes etiam fundamentum proximum fieri per actionem comparatiuam, quos etiam refert Mag. Araujo, tacito nomine. Hoc autem expreſsè defendit Gallego Contr. 10. ad 3. aſſerens per comparationem poni fundamentum proximum. Probatur autem noſtra con. Nam tunc natura habet fundamentum proximum vniuerſalitatis, quando eſt proximè capax ſuſcipiendi illam, ita vt inter illam, & vniuerſalitatem nihil mediet per modum formæ diſponentis ad vniuerſalitatem; hoc enim dicitur fundamentum proximum: ſed quando natura eſt cognita ſine indiuiduis eſt proximè capax ſuſcipiendi vniuerſalitatem modo dicto: ergo tunc habet fundamentum

pro-

proximum. Ma. eſt certa. Et probat. min. quia ſi aliquid mediaret, maximè actio illa comparans naturam ad indiuidua, ſed illa actio, etiam ſi gratis admittatur, deſeruit ad ponendam relationem rationis, & ſe habet veluti effectio, ſeu cauſatio talis relationis: ergò non ſe habet per modum fundamenti proximi; nam hoc præſupponitur, ad illam quaſi effectionem, vel cauſalitatem relationis: conſtat hoc in relationibus realibus, quæ reſultant poſito fundamento proximo, & termino, reſultantia enim illa eſt quaſi effectio, vel cauſalitas relationis, & præſupponit fundamentum proximum: ergo eodem pacto cognitio illa comparatiua, quæ à contrarijs aſtruitur, vt effectio, vel cauſalitas relationis rationis, præſupponit totum fundamentum proximum; præter quam quòd, vt ſtatim videbimus talis comparatio non deſeruit, vt reſultet relatio rationis, & conſequenter multò minùs erit neceſſaria ad ponendum fundamentũ proximũ.

481. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam fundamentum proximum, vniuerſalitatis eſt natura, vt vna, & apta ad eſſendum in pluribus, vt dicebamus ſupra num. 40. & ideo diffinitio illa vniuerſalis, nempè, vnum aptum eſſe in multis, &c. explicat fundamentum proximum vniuerſalitatis: ſed natura cognita per abſtractionem illam eſt vna, & apta ad eſſendum in multis: ergo habet fundamentum proximũ. Probatur mi. quia natura, vt ſic cognita, accipitur, vt vna, & eſt obiectum vnius cognitionis, & tunc non relucet aliqua actualis diuiſio, & aliàs tunc non eſt determinata ad aliquod indiuiduum, & ex modo aſſendi eſt indifferens, vt ſit in pluribus, & illis non repugnans: ergo habet vnitatem, & aptitudinem illam negatiuam, quæ eſt fundamentum proximum vniuerſalitatis iuxta dicta num. 40.

482. Quinta concluſio. Vniuerſale formaliter fit per abſtractionẽ intellectus poſſibilis, ita vt ante aliquam comparationem, ſit ipſa forma, ſeu relatio ipſa rationis. Hanc concluſionem, quantum ad primam partem defendit M. Petronius lib. 4. logicæ q. 1. art. 6. aſſerens vniuerſale formaliter fieri per notitiam abſtractiuam. Vocat autem vniuerſale formaliter, quod nos in concluſione præcedenti diximus eſſe fundamentum proximum. Et addit quod antequàm reſultet relatio rationis, quę ſe habet, vt complementum vniuerſalis logici, per ſolam poſitionem fundamenti proximi denominatur natura formaliter vniuerſalis. Quæ doctrina falſa eſt, quatenus aſſerit relationem rationis eſſe complementum vniuerſalis logici, eſt enim forma ipſa conſtitutiua, ſi quidem ratione illius formaliter pertinet ad logicam, cuius obiectum eſt ſecunda intentio rationis iuxta ſupra dicta nu. 247. in ſuper falſum eſt id quod dixit, nempè ex ſola poſitione fundamenti proximi naturam denominari vniuerſalẽ formaliter. Nam implicat contradictionem inueniri formalem denominationem ante aduentum formę, ſiquidem denominatio formalis ſupponit effectum formalem, & iſte eſt ipſa forma communicata ſubiecto, ſed hoc, & de vera eius intelligentia dixi in ſumm. tract. 2 nu. 93. & idcirco iſte modus dicendi relinquitur. Eandem concluſionem defendit Mag. Soto, qui abſq; dubio loquitur de abſtractione intel-

lectus poſſibilis, & per illam fieri vniuerſale formaliter docet iuxta mentem Ariſtot. & D. Thomæ. Quamuis eius fundamentum non videatur vndequaquè verum, exiſtimat enim relationem rationis conſtitui per extrinſecam denominationem, qua natura dicitur cognita, ita vt nihil reſultet in obiecto cognito. Quæ doctrina à nobis fuit impugnata ſupra nu. 302. Dixi vndequaquè verum non eſſe hoc fundamentum, nam iudico Mag. Soto, ibi loqui cuntra Scotum, & aliquos Scotiſtas aſtruentes quoddam eſſe diminutum productum in obiecto, quòd abſque dubio, ſi daretur, eſſet aliquid reale, & hoc negat Magiſt. Soto, & quantum ad hoc dicit verum; & fortè, vt ibidem dicebamus, non negat illam entitatem metaphoricam, inqua conſiſtere eſſentiam entis rationis docebamus.

483. Igitur noſtra concluſio aſſerit quod per abſtractionem intellectus poſſibilis, qua cognoſcitur natura ſine conditionibus indiuiduantibus, fit relatio rationis, qua vniuerſale formaliter conſtituitur. Et probatur ex doctrina à nobis tradita ſupra num. 319. Nam vt reſultet ens rationis ſufficit actus directus, & abſolutus intellectus attingens obiectum, nam tunc ſunt omnia requiſita, nempè fundamentum, terminus, & actio intellectus, reſpectu cuius ens rationis habeat eſſe obiectiuum: ergo ex vi illius actus reſultat. Explicatur hoc. Nam poſito fundamento proximo, & termino in relationibus realibus, ſtatim reſultat relatio realis: ergo vt reſultet relatio rationis, præter poſitionem fundamenti proximi, & termini, ſolùm deficit actus intellectus, vt verificetur illam habere eſſe obiectiuè tantùm in intellectu. Tunc vltra ſed tunc adeſt cognitio illa abſtractiua, quæ directè tendit ad obiectum, & indirectè ad ens rationis: ergo ex vi illius cognitionis abſtractiuè reſultat relatio conſtitutiua vniuerſalis.

484. Si autem dicas non ſufficere quemlibet actum intellectus, vt reſultet relatio rationis, ſed requiri actum comparatiuum, vt ſic cognoſcatur non ſolùm ipſa natura, ſed etiam ipſa relatio rationis. In contra eſt. Nam, vt reſultet relatio rationis, non eſt neceſſarium quod actus intellectus directè tendat ad illam, ita vt hæc, quaſi in actu ſignato cognoſcatur, ſed ſufficit quòd actus tendat ad naturam, & indirectè, ſeu per quadam reſultantiam ad relationem, & in hoc conſiſtit totum fundamentum noſtræ ſententiæ. Et quidem iudicamus modum illum reſultandi poſſibilem eſſe, & de facto ſic contingere, ac proinde antequam intellectus tendat ad cognoſcendam illam relationem rationis, quam non poteſt cognoſcere niſi per actum comparatiuum, iam relatio rationis eſt in natura ipſa cognita denominans illam formaliter vniuerſale logicum, videatur doctrina à nobis tradita circa actum, quo fit ens rationis ſupra num. 319. nam valde vtilis eſt ad intelligentiam huius ſententiæ, quam defendimus.

485. Sexta concluſio. Ad cognoſcendam directè, & per ſe relationem rationis conſtitutiuã vniuerſalis, & ad ipſum formaliter cognoſcendum requiritur actio cõparatiua. Hæc concluſio defenditur

tur ab omnibus authoribus, qui defendunt formale conſtitutiuum vniuerſalis eſſe relationem, & ita eam defendunt omnes Thomiſtæ, & ferè omnes alij. Et probatur ratione. Nam illa dicitur actio comparatiua, qua cognoſcitur vnum in ordine ad aliud; ſed non poteſt cognoſci directè, & per ſe relatio rationis, niſi cognoſcatur vnum in ordine ad aliud. Relatio enim eſt ordo vnius ad aliud, & conſequenter non cognoſcitur relatio, niſi cognoſcatur ordo vnius ad aliud: ergo ad directè, & per ſe cognoſcendam relationem, requiritur actio comparatiua intellectus, ſiuè ſit actio directa intellectus, vt dicunt aliqui, ſiuè ſit reflexa, vt alij affirmant. At quòd debeat eſſe comparatiua certum eſt, & ſatis oſtenſum ex hac ratione, qua vtuntur authores, qui dicunt vniuerſale formaliter fieri per comparationem. Iſti enim non diſtinguunt inter fieri entis rationis per reſultantiam, & inter cognoſci directè, & per ſe ipſius entis rationis, vt nos diſtinguimus, & in hoc conſiſtit punctus difficultatis.

§. 4.

Explicatur. & adducitur D. Thomas in fauorem noſtræ ſententiæ.

486. Diuerſa teſtimonia adducuntur ex D. Thoma à Doctoribus, & vnuſquiſquè exiſtimat pro ſe habere Doctorem Angelicum, ſed vt eius mens clariùs appareat, eſt aduertendum quòd, cum vniuerſale opponatur ſingulari, eo ipſo quòd natura aliquomodo recedat à ſingularitate, dicitur vniuerſale, & cum primò incipiat abſtrahi à ſingularitate per intellectum agentem, ideo dicitur tunc vniuerſale, & quanto magis recedit à ſingularitate tanto maiori titulo natura obtinet ſtatum vniuerſalitatis, ex quo oritur quòd natura aliquando dicitur vniuerſale, ex eo præcisè quòd obijciatur intellectui agenti, aliquando, quia obijcitur abſtractioni intellectus poſſibilis, & tandem reſpectu cuiuſcunquè actus intellectus, quocunquè modo attingat naturam, dicitur habere ſtatum vniuerſalitatis. Qua ratione D. Thomas videtur diuerſis in locis diuerſa docuiſſe, quæ ex dictis facilè conciliantur.

487. At reſtat inueſtigare de vniuerſali logico, quid ſenſerit D. Thomas, nam etiam de hoc videtur diuerſa docuiſſe, ſiquidem multis in locis videtur docere requiri comparationem, in alijs verò ſufficere abſtractionem. Nihilominus exiſtimo eius mentem eſſe quòd, vt ſequatur ſecunda intentio rationis, ſufficit abſtractio intellectus poſſibilis, licet, vt cognoſcatur illa intentio, & attribuatur ipſi naturæ requiratur comparatio. Quòd autem ſufficiat abſtractio, vt ſequatur ſecunda intentio, ſic probo. Nam 1. p. quæſt. 85. artic. 2. ad 2. ſic ait [quod humanitas apprehendatur ſine indiuidualibus conditionibus, quod eſt ipſam abſtrahi, ad quod ſequitur intentio vniuerſalitatis, accidit humanitati ſecundùm quòd percipi-

Digitized by Google

tur ab intellectu, in quo eſt ſimilitudo naturæ ſpeciei, & non indiuidualium principioru.] Hæc D. Tho. In quibus expreſsè docet quòd ad illam abſtractionem, qua apprehenditur humanitas ſine conditionibus indiuiduantibus, ſequitur intentiò vniuerſalis: ergo ſequitur vniuerſale logicum formaliter, ſiquidem hoc conſtituitur formaliter per intẽtionẽ, & nõ vniuerſale metaphyſicum.

488. Reſpondet Mag. Araujo lib. 3. metaph. q. 3. artic. 5 num. 57. quòd D. Thomas loquitur de vniuerſali fundamentaliter. At hoc pugnat cum expreſſis verbis, in quibus fit mentio de intentione vniuerſalitatis, qua conſtituitur vniuerſale logicum formaliter. Addit autem quòd talis intẽtio dicitur à D. Thoma ſequi ad abſtractionem, ſicut relatio ſequitur ad ſuum fundamentum, eo quod natura ſic abſtracta eſt fundamentum illius intentionis, cæterum vt reſultet requiritur actio comparatiua. Et hanc explicationẽ affert Collegium diſcalciat. Quam etiam ſub alijs terminis tradidit Gallego dicens intentionem vniuerſalis ſequi mediatè ad illam abſtractionem, non verò immediatè, & ita explicant D. Thomam.

489. Hæc autem explicatio non habet fundamentum aliquod in ipſo contextu literæ: nam, vt notauit M. Soto, ibi non meminit D. Tho. talis comparationis, ſed abſolutè docet quod ad ipſum abſtrahi ſequitur intentio. Et eo præcisè quod tunc ſit fundamentum proximum, vt fatentur contrarij, & aliàs ipſa abſtractio, quæ eſt cognitio, ſunt omnia requiſita, vt reſultet relatio. Ad quam cognoſcendam requiritur comparatio, & vt talis relatio attribuatur naturæ cognitæ, quod totum fit per actum reflexum. Et expreſsè traditur à D. Th. opuſc. 48. cap. 1. vbi loquens de homine abſtracto per intellectum ſic ait. [Vnde in homine ſic intellecto, eſt duo conſiderare, .ſ. ipſam naturam humanam, ſeu habens eam, & ipſã vniuerſalitatem, ſeu abſtractionem à dictis conditionibus materiæ. Quantum ad 1. homò dicit rem, quantùm verò ad 2. dicit intentionem.] In quibus apertè docet per abſtractionem poni vniuerſalitatẽ, quam vocat intentionem. Et conſequenter loquitur de vniuerſali logico formaliter.

490. Deinde proſequitur idem D. Thomas ſic dicens. [ſed quia intellectus reflectitur ſupra ſe ipſũ, & ſupra ea, quæ in eo ſunt, ſiuè ſubiectiuè, ſiuè obiectiuè, conſiderat iterum hominem ſic à ſe intellectum ſine conditionibus materiæ, & videt quòd talis natura cum tali vniuerſalitate, ſeu abſtractione intellecta poteſt attribui huic, & illi indiuiduo, & quod realiter eſt in hoc, & in illo indiuiduo, ideo format ſecundam intentionem de tali natura, & hanc vocat vniuerſale.] Hanc autem doctrinam ſic applicat D. Tho. & notentur verba [ſecũdũ ergo prædicta; res, vt eſt intellecta, dicitur vniuerſalis: ſecundum autẽ, quòd intellectus talem vniuerſalitatẽ cõſiderat, ſecundũ hoc attribuit ſibi aliquid, .ſ. eſſe in pluribus, vel dici de pluribus; & ſic dicitur ſecũda intentio.] Ecce quomodo res, vt intellecta, eſt vniuerſalis, & quòd hanc vniuerſalitatem conſiderat intellectus per actum reflexum, & comparatiuum, & tunc attribuit aliquid naturæ: ac proinde mens clara D. Tho. eſt per abſtractionem poni ipſã formalem vniuerſalitatem, & hanc cogno-

Digitized by Google

cognoſci, & attribui naturæ per comparationem. Iuxta quam doctrinam facillimè intelligentur plura alia teſtimonia quæ adducuntur à contrarijs, vt iam conſtabit.

491. In primis poſſunt adduci in contra plura teſtimonia D. Thom. docentis per abſtractionem intellectus agentis naturam conſtitui vniuerſale. Ita videtur ſentire 1. p. q. 85. art. 1. ad. 1. vbi loquens de abſtractione intellectus agentis, ait. [Et hoc eſt abſtrahere vniuerſale à particulari, ſiuè ſpeciem intelligibilem à phantaſmatibus. Item in opuſc. 55. ſic docet. Eadem natura, quæ ſingularis erat, efficitur poſtea vniuerſalis per actionem intellectus depurantis ipſam à conditionibus, quæ ſunt hic, & nunc. Quam doctrinam ſępè repetit. His autem, & alijs teſtimonis fit ſatis ex dictis num. 396 cum igitur natura ſic abſtracta, & repræſentata in ſpecie intelligibili, non afferat ſingularitatē, dicitur vniuerſalis, ſicut & ſpecies ipſa repræſentans dicitur vniuerſalis in repræſentando, totū autē hoc eſt fundamentū remotū ad vniuerſale logicum formaliter acceptum.

492. Deinde obſtant noſtrę reſolutioni plura alia teſtimonia adducta à Thomiſtis, in quibus D. Tho. expreſsè aſſerit relationes rationis fieri per actum cōparatiuum. Duo affert Colleg. diſcal. diſp. 3. q. 6. n. 59. Primum ex. 1. diſt. 2. q. 1. art. 3. vbi ſic docet D Thom [ex hoc quod intellectus intelligit animal, vt in pluribus ſpeciebus, attribuit ei intentionem generis.] Teſtimonium 2. habetur q. 7. de potentia art. 11.] Huiuſmodi ſunt relationes rationis, quæ attribuuntur ab intellectu rebus intellectis prout ſunt intellectę, ſicut relatio generis, & ſpeciei. Has enim relationes rationis ratio adinuenit, conſiderando ordinem eius quod eſt in intellectu, ad res, quæ ſunt extra.] Tertium adducit idem Collegium, in quo docet D. Thom. vniuerſale fieri per actum reflexum comparatiuum, quod teſtimonium adductum, & explicatū, eſt in fauorem noſtræ ſententiæ ſupra nu. 399. In ſuper Mag. Ioann. à Sancto Thoma affert alia teſtimonia, primum ex 1. p. q 28. artic. 1. vbi inquit. [Quod aliquando reſpectus ſignificatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, eſt tantùm in ipſa apprehenſione rationis conferentis vnum alteri. Item lib. 1. Periherm lect 10. loquens de relatione vniuerſalitatis inquit. [Quod intellectus attribuit has relationes naturæ intellectæ, ſecundum quod comparat eam ad res extra animā.] Et ponderandum eſt, ait idem autor, quod actum iſtum comparatiuum, quo inuenitur relatio vniuerſalitatis non ponit D. Thomas in actu comparatiuo, quo attribuitur aliquid alicui, vt ſubiecto, ſed quo ordinatur ad aliquid: vt ad terminum, vt conſtat ex locis allatis, & præcipuè ex 1. p. quæſt. 28. artic. 1 ad 1. vbi inquit [quod propria ratio eius, quod ad aliquid dicitur, non accipitur per comparationem ad illud, cui ineſt relatio, ſed per reſpectum ad alterum] ex quibus teſtimonijs conſtat D. Thomam docuiſſe requiri actum comparatiuum, vt fiat vniuerſale logicum formaliter.

493. Ad hæc teſtimonia, & ſimilia ſatisfeci ſupra à num. 324. ex ipſo contextu D. Thomæ, cuius mens clarè colligitur diſtinguendo duplicem modum inueniendi tales relationes rationis.

Primus

Primus eſt ipſas conſiderando in actu ſignato, ideſt, directè, & per ſe illas cognoſcendo, & ſimul attribuendo illas naturis intellectis, quod fit per actum reflexum, ad quem modum inueniendi relationes requiri actum comparatiuum docet D. Thomas, & nos non negamus. Alius modus inueniendi eſt per quandam, quaſi reſultantiam ad obiecta cognita, & ſic poſſunt inueniri per actum abſolutum, & tunc licet ſequantur, non tamen attribuuntur rebus intellectis, nec in actu ſignato conſiderantur. Et nota ex ipſis verbis D. Thomæ, quod per eundem actum, quo comparatur natura ad aliud, vt ad terminum, docet D. Thomas attribui ipſam relationem naturæ, non ita quòd formalis ratio relationis ſumatur ex ſubiecto, cui attribuitur, ſed quod per talem comparationem, qua ipſa relatio conſideratur ad terminum, attribuitur ipſi naturæ. Et hæc ſufficiant de mente D. Thomæ.

§. 5.

Proponuntur argumenta, & ſoluuntur.

494. Arguitur primo contra 1. con. Nam ex vi abſtractionis intellectus agentis producitur ſpecies repræſentans naturam ſecundum ſe, & non quoad ſtatum vniuerſalitatis: ergo ex vi illius abſtractionis non redditur natura vniuerſale, nec Metaphyſicum, nec Logicum. Probatur antecedens. Nam in illa ſpecie ſolùm repræſentantur prædicata eſſentialia naturæ, ſed natura, ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, dicitur habere ſtatum ſecundùm ſe, ſeu ſolitudinis: ergo ex vi illius abſtractionis non habet ſtatum vniuerſalitatis, ſed tantùm ſolitudinis. Confirmatur hoc. Nam natura ſic repræſentata non habet aptitudinem ad eſſendum in multis, nec habet vnitatem: ergo vt ſic non habet ſtatum aliquem vniuerſalitatis. Probatur antecedens quoad primam partem. Nam vbi non eſt poſſibilis actus, non eſt poſſibilis aptitudo ad illum, ſed per intellectum agentem non poteſt natura eſſe in pluribus: ergo in intellectu agente non habet aptitudinem ad eſſendum in pluribus. Quoad ſecundam partem probatur antecedens. Nam vnitas vniuerſalitatis accipitur ex ordine ad plura ſingularia, in quibus natura vna inuenitur, ſed intellectus agens non facit vnitatem, ſed ſolùm ſe habet negatiuè producendo ſpeciem repræſentatiuam naturæ, & non ſingularium: ergo ex vi illius abſtractionis natura non habet vnitatem, ſed potius ſtatum omnimodæ indifferentiæ, qui eſt ſtatus ſolitudinis.

495. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens. Ad cuius probationem nego maiorem. Etenim in illa ſpecie repræſentatur natura cum illa vnitate, & aptitudine ad eſſendum in pluribus: & ſic ſpecies dicitur vniuerſale ſaltem metaphyſicum. Ad confirmationem reſpondeo negando antecedens, quoad vtramque partem. Et ad probationem primæ dico. Quòd aptitudo eſt tunc ex vi illius

lius ſpeciei repræſentata', & quando aliquando aptitudo ſolum repræſentatur, non eſt neceſſe, quod in illo ſtatu repræſentationis habeat ſuum actum. Ad probat. 2. partis, reſpondeo, quòd etiam ex vi illius ſpeciei repræſentatur illa vnitas, ſi quidem repræſentatur natura quæ ex ſe eſt indifferens ad plura, & vt talis cognoſcitur ab intellectu poſſibili, & tunc abſolutè habet ſtatum vniuerſalitatis metaphyſicæ, vt dicebamus in ſecunda concluſione.

496. Arguitur 2. contra. 3. concluſionem ex Magiſt. Araujo, qui exiſtimat per abſtractionem intellectus agentis poni fundamentum proximum vniuerſalitatis logicæ. Et probatur 1. Nam natura tunc habet fundamentum proximè ſuſceptiuum vniuerſalitatis, quando habet vnitatem cum aptitudine ad eſſendum in multis: ſed ex vi abſtractionis intellectus agentis habet vnitatem cum tali aptitudine: ergo &c. Maior. ſupponitur. Et mi. probat. Nam natura, prout obiecta intellectui agenti, media ſpecie impreſſa, & prout in illa repræſentata, eſt indifferens, communis, & vniformiter ſe habens ad plura: ergo tunc habet vnitatem, & aptitudinem. Probatur antecedens. Nam ſpecies impreſſa, v. g. hominis eſt vniuerſalis in repræſentando, ergo eius obiectum repræſentatum, quæ eſt natura, debet eſſe vnum, & aptum: ergo natura, prout repræſentata, eſt indifferens, communis, & vniformiter ſe habens ad plura. Patet vtraquè conſequentia. Nam vnitas communis ſpeciei vniuerſalis in repræſentando debet ſumi ex vnitate communi obiecti repræſentati. Secundo probat idem intentum. Nam vniuerſale, & ſingulare fiunt oppoſito modo, & ita, cum ſingulare fiat per contractionem ad conditiones indiuiduantes, vniuerſale debet fieri per abſtractionem ab illis: ſed per ſpeciem impreſſam repræſentatur natura ſine conditionibus indiuiduantibus, quod eſt ipſam ab illis abſtrahi: ergo ex vi illius fit natura vniuerſale, prout vniuerſale eſt vnum aptum ad aſſendum in pluribus. Tertiò idem probatur. Nam munus intellectus agentis eſt abſtrahere ſpecies impreſſas, & medijs illis facere naturas actu intelligibiles, vt docuit D. Thomas 1. p. quæſt. 54. artic. 4. & quæſt. 85. artic. 1. ſed natura actù intelligibilis eſt actù vniuerſalis, modo prædicto, quia eſt actu obiectum intellectus, quod eſt vniuerſale: ergo &c. Quartò probatur idem. Nam tunc natura habet fundamentum proximum vniuerſalitatis, quando immediatè poteſt illam ſuſcipere, quantum eſt ex ſe, abſq; alterius nouæ formæ redemptione, ſed talis eſt natura, prout relucet in ſpecie impreſſa: ergo. Minor. probatur, quia ſi intellectus poſſibilis reflectatur ſupra illam naturam ſic repræſentatam, ſtatim ei poſſet attribuere intentionem vniuerſalis, videret enim illam vniformem, & indifferentem poſitiuè ad plura, abſque vlla difformitate, ſicut quando illam videt relucentem in conceptu communi, ſiuè ſpecie expreſſa: ergo &c. Et poteſt idem vrgeri in noſtra ſententia, iuxta quam per abſtractionem intellectus poſſibilis ponitur forma, qua conſtituitur vniuerſale: ergo antecedenter erat fundamentum proximum, ac proinde per præceden-

cedentem abſtractionem ponitur.

497. Ad hoc argumentum reſpondeo ex doctrina tradita, quod fundamentum proximum vniuerſalitatis eſt natura, vt cognita. Ex quo reſpondetur ad omnes probationes. Ad 1. dico, quòd vnitas, & aptitudo repræſentata per ſpeciem conſtituunt ipſam ſpeciem vniuerſale in repræſentando, & ipſam naturam repræſentatam, vt vniuerſale, nondum autem eſt fundamentum proximum, ſi non cognoſcatur natura cum tali vnitate, & aptitudine. Intentio enim ſecunda fundatur proximè ſupra eſſe cognitum modo iam explicando. Ad 2. reſpondeo ex illa tantùm colligi naturam repræſentari vt vniuerſale, non autem eſſe proximum fundamentum vniuerſalitatis logicæ. Ad 3. concedo illud eſſe munus intellectus agentis, at ex vi illius ſolùm reperitur natura repræſentata, vt actu intelligibilis, &, vt proximè capax, vt attingatur ab intellectu poſſibili, & ſic repræſentatur, vt vniuerſale. Ad 4. concedendo maiorem negatur minor. Mediat enim illud eſſe cognitum in natura, & huic, prout cognitæ conuenit talis ſecunda intentio. Nec poteſt intellectus reflecti ſupra talem naturam ſic repræſentatam, quin illam cognoſcat, & tunc denominabitur cognita, ita vt eſſe cognitum ſit priùs, quam intentio ſequuta. Vbi nota quòd ad illud eſſe cognitum immediatè reſultat quædam intentio rationis, quæ dicitur prima intentio iuxta dicta ſupra num 24. & hæc eſt quæ conſtituit fundamentum proximum ſecundæ intentionis, quæ in noſtra ſententia ſequitur ad illud eſſe cognitum. Etenim ſecundæ intentiones fundantur in primis, vt eſt commune proloquium logicæ. Ex quo patet ad id quod vltimò adducitur. Nam in noſtra ſententia ad cognitionem abſtractiuam ſequitur vniuerſalitas, quæ eſt ſecunda intentio rationis, at mediat illa prima intentio rationis, quæ fundantur ſupra eſſe cognitum, vel ſaltem illud eſſe cognitum extrinſecè, vt fundamentnm proximum.

498. Sed obijcies. Nam ideo dicebamus num. 390., Quod fundamentum proximum non ponebatur per actionem comparatiuam, quia in ſententia illorum relatio ipſa fiebat per talem comparationem, & id, quod ſe habet, vt effectio, ſeu quaſi cauſalitas relationis, debet præſupponere fundamentum proximum illius: ſed cognitio abſtractiua ſe habet, vt effectio, vel cauſalitas relationis rationis; iuxta noſtram ſententiam, cum iſta ſequatur ad illam abſtractionem: ergo ante talem abſtractionem præſupponitur fundamentum proximum. Reſpondeo eſſe diſparem rationem. Nam ibi ſermo erat de comparatione, quæ ſupponebat naturam cognitam, & attribuebat relationem ipſi naturæ cognitæ, & hæc comparatio directè tendit ad ponendam relationem per modum obiecti cogniti, ac proinde debebat ſupponere fundamentum proximum. At cognitio abſtractiua directè tendit ad naturam, quæ ex vi illius dicitur cognita, & indirectè ad relationem rationis, qua propter ea parte, qua ex vi illius natura dicitur cognita, eſt fundamentum proximum, & alia parte qua indirectè tendit ad relationem rationis, eſt quaſi effectio, vel cauſalitas illius.

499. Arguitur tertiò contra quartam con. & probatur per cognitionem abſtractiuam non poni fundamentum proximum relationis. Nam cognitio abſtractiua attingit naturam, & relinquit indiuidua, vt terminum à quo abſtractionis: ergo non poteſt eſſe fundamentum proximum relationis vniuerſalitatis. Antecedens eſt certum, & conſequentia probatur. Quia relatio ipſa vniuerſalitatis reſpicit indiuidua, vt terminum ad quem, cum natura per illam referatur ad ſua indiuidua, à quibus fuit abſtracta: ergo ſi cognitio abſtractiua relinquit indiuidua, vt terminum à quo, non poteſt eſſe fundamentum proximum ad relationem reſpicientem illa, vt terminum ad quem. Confirmatur hoc in abſtractione negatiua, quæ nullatenus reſpicit indiuidua, ſed tendit ad naturam, & nullatenus reſpicit indiuidua: ergo iſta ſaltem non præbet fundamentum proximum ad relationem vniuerſalitatis: patet conſequentia. Nam ex eo, quòd cognoſcatur natura abſtractione negatiua ſine indiuiduis, non eſt maior ratio, vt ſequatur talis relatio vniuerſalitatis, quàm alia, illa enim natura indifferens eſt, ex modo quem habet, vt reſpiciat ſuperiora, vel inferiora, & ad plures alios reſpectus: ergo ſi abſtractio negatiua ſolùm tendit ad naturam, & ſe habet negatiuè reſpectu indiuiduorum, non poteſt dare fundamentum proximum vniuerſalitatis.

500. Ad hoc argumentum reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad cuius probationem reſpondeo, quod fundamentum proximum vniuerſalitatis eſt vnitas, & aptitudo naturæ, vt dictum eſt, & cum ex vi illius cognitionis abſtractiuæ inueniatur natura cum vnitate, & aptitudine; inuenitur fundamentum proximum, maximè quia tunc denominatur natura cognita, & ſupra illud eſſe cognitum fundatur proximè relatio rationis ad indiuidua: ſi autem neceſſaria eſt cognitio comparatiua, non eſt vt præbeat fundamentum, ſed vt efficiat ipſam relationem, ac proinde, ſiuè requiratur comparatio, ſiuè non, vt reſultet relatio, adhuc ſaluatur, quòd fundamentum proximum habetur ex vi illius abſtractionis. Ad confirmationem reſpondeo, quòd in ſententia illorum, qui docent requiri comparationem, vt reſultet relatio, non habet difficultatem argumentum, nam iuxta illam, præter illud fundamentum proximum requiritur actio comparatiua, quæ ſi comparet naturam ad inferiora reſultabit relatio prædicabilis, ſi autem ad ſuperiora, reſultabit relatio ſubijcibilis. Cęterùm in noſtra ſententia aſſerente reſultare ex vi abſtractionis relationem rationis, dicendum eſt, quòd ex vi illius reſultant duæ relationes, prædicabilitatis, & ſubijcibilitatis, & vtraquè habet idem fundamentum, licet reſpiciat diuerſum terminum. Nam prædicabilitas reſpicit inferiora, & ſubijcibilitas reſpicit ſuperiora, & iſtæ duæ relationes ordine quodam procedunt, ſeu reſultant ex tali abſtractione, ex qua etiam poſſunt ſequi aliæ intentiones pertinentes ad primam operationem intellectus, non autem illæ, quæ pertinent ad ſecundam, vel ad tertiam.

Digitized by Google

501. Arguitur 4. contra 5. concluſionem, ad probandum requiri actum comparatiuum, vt reſultet relatio rationis. Nam, vt inueniatur relatio rationis ab intellectu, neceſſum eſt, quòd apprehendatur ſecundùm id, quod eſt ſibi proprium, & prout diſtinguitur ab abſoluto: ſed hoc non poteſt fieri ſine actu comparatiuo intellectus: ergo iſte requiritur, vt relatio illa inueniatur ab intellectu. Maior videtur certa, nam debet inueniri eo modo quo ipſa eſt in ſe. Et minor. probatur. Nam relatio rationis eſſentialiter eſt ordo vnius ad aliud: ergo, vt inueniatur debet apprehendi, vt eſt ordo vnius ad aliud, ſed hoc fieri non poteſt ſine comparatione: comparatio .n. eſt cognitio vnius in ordine ad aliud: ergo relatio, vt relatio, & prout diſtinguitur ab abſoluto non poteſt ab intellectu inueniri, niſi per actum comparatiuum.

502. Ad hoc argumentum reſpondeo, quod relatio rationis poteſt dupliciter fieri, ſeu inueniri, vt conſtat ex dictis. Primò per reſultantiam, ſeu indirectam tendentiam actus intellectus ad illam, & hoc modo fit, ſeu inuenitur abſq; comparatione, vt probatum eſt. Secundò, inuenitur per directam tendentiam actus ad illam relationem, & ad hoc requiritur actus comparatiuus, vt dicebamus in vltima concluſione. Et quidem concludo, quòd quando actus abſtractiuus tendit ad naturam, ibi reſultat relatio rationis, item quando intellectus per actum directum cognoſcit naturam in ordine ad indiuidua, tunc etiam reſultat relatio rationis, vt vult Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma, & tandem quando intellectus ſupra ſe ipſum reflectitur, & conſiderat illum ordinem, ſeu relationem rationis, tunc ex vi iſtius actus reflexi fit, & cognoſcitur directè talis relatio rationis; quapropter omnibus his modis poteſt fieri, ſeu reſultare relatio rationis, & ratione vniuſcuiuſqnè habet eſſe obiectiuè in intellectu.

CONFERENTIA 3.

Vtrum in diffinitione generis diffiniatur ſecunda intentio, vel natura, vel vtraquè?

§. I.

Explicatur difficultas, & ſupponuntur aliqua, & referuntur ſententiæ.

503. PRæſens conferentia tangit generalem difficultatem circa modum diffiniendi concreta accidentalia, nam cum genus ſit concretum accidentale conſtans ex natura denominata, & ſecunda intentione denominante, quæ eſt accidens reſpectu illius, hinc fit, quòd debeat diffiniri modo communi omni concreto accidentali. Quo circa priùs ſup-

ſupponenda ſunt aliqua certa .l. quæ tamquam certa à nobis relinquuntur, vt veniamus ad id, in quo eſt diuerſitas inter authores, & maximè inter modernos. In primis ſupponendum eſt quod ex modo proprio ſignificandi, quo conſtituitur concretum in ratione talis, oritur modus diffiniendi. Itaquè concretum eo modo, quo à nobis cognoſcitur, ſignificatur, & eo modo quo ſignificatur, ſeu intelligitur, debet diffiniri. Et ratio eſt. Nam diffinitio datur de re, prout concepta à nobis, & communiter modus diffiniendi ſequitur modum concipiendi, & ſignificandi. Secundò, ſupponendum eſt ex doctrina communi ſummuliſtarum tradita à nobis in ſummulis lib. 1. cap. 8. nu. 41. quod proprius modus ſignificandi concreti eſt ſignificare rem habentem, & habitam, ad differentiam abſtracti, quod ſignificat rem habitam. Si autem res habita, quæ vt talis ſignificatur, eſt accidens, dicitur concretum accidentale, ſi autem fuerit ſubſtantia, erit concretum ſubſtantiale. Tertiò ſupponendum eſt, & infertur ex dictis quod ex vi ſignificationis concreti non ſolùm affertur materiale, aut formale ſignificatum, ſed vtrumquè affertur, ſiuè afferatur vtrumquè in recto, ſiuè materiale in recto, & formale in obliquo .l. è contra ſiuè formale ſolum ſignificetur, & materiale afferatur de connotato .l. connotetur .l. ſe habeat, vt reddens ſuppoſitum formale iuxta varios modos dicendi, de quibus dicemus poſtea; certum tamen eſt, quod in ſignificatione concreti, vt diſtinguitur ab abſtracto, ſaltim ex modo ſignificandi, aliquo modo affertur vtrumquè ſcilicet materiale, & formale. Quartò ſupponendum eſt, & etiam infertur ex proximè dictis, quòd in diffinitione concreti accidentalis, ſaltim ex modo diffiniendi, debet aliquomodo intrare in diffinitum illius, vtrumquè ſcilicet materiale, & formale. Nam ſi modus diffiniendi ſequitur modum ſignificandi, & ex modo ſignificandi vtrumquè affertur ex parte ſignificati, etiam ex modo diffiniendi, vtrumquè debet adduci ex parte diffiniti. Et hoc coniunctum, quocumquè modo explicetur, dicitur accidens in concreto. Ex quo manent excluſæ ſententiæ illæ aſſerentes in diffinitione generis diffinitum eſſe ſolam naturam, aut ſolam ſecundam intentionem, & communiter reijciuntur à modernis, & præcipuè Thomiſtis.

504. Quibus ſuppoſitis coniunctum illud varijs modis poteſt accipi, ſeu intelligi. Primò, ita vt vtrūq; afferatur æquè primò, & in recto. Secundò, ita vt afferatur in recto materiale, & in obliquo formale. Tertio, ita vt formale ſit in recto, & materiale in obliquo. Et in ſuper hoc materiale in obliquo adductum varijs modis explicatur. Et iuxta huiuſmodi diuerſitatem, eſt varietas ſententiarum. Prima aſſerit concretum, vt affert in recto naturā, & ſecundam intentionem, eſſe diffinitum in tali diffinitione. Secunda docet naturam, vt dicit in obliquo ſecundam intentionem, eſſe diffinitum. Tertia, affirmat ſecundam intentionem, vt afferentem in obliquo, & de connotato naturam, eſſe diffinitum. Et adhuc inter authores huius ſententiæ eſt aliqua diuerſitas. Nam aliqui exiſtimant ſecundam intentionem eſſe diffinitum, quo, & na-

Digitized by Google

turam eſſe diffinitum, quod; alij iudicant etiam ſecundam intentionem eſſe diffinitum, quod, & naturam omnino materialiter afferri, ſeu, vt alij dicunt, naturam adduci, vt reddens ſuppoſitum ſecundæ intentioni, quæ diffinitur.

§. 2.

Eligitur vera ſententia.

505. PRo reſolutione veritatis ſit prima concluſio. Diffinitum in diffinitione generis, non eſt illud vt dicit in recto, & æqualiter naturam, & ſecundam intentionem. Hanc concluſionem defendunt vnanimiter Thomiſtæ, M. Araujo, Sanchez, Maſius, Petronius, Gallego, Colleg. diſcalc. & alij antiqui quos adducunt prædicti moderni. Et pr. 1. ex D. Tho lib. 7. metaph. lect. 3. vbi ponit difficultatem communem circa modum diffiniendi accidentia in concreto, cuius verba refert M. Ioa. à S. Tho. q. 5. art. 5. & poſtquam propoſuit quæſt. ſic docet [hoc ipſum, quod dico homo albus, ſiue veſtis, quæ hoc ponitur ſignificare, non eſt aliquid eorũ, quæ dicuntur ſecundum ſe; imò eſt aliquid eorum, quæ dicuntur ſecundum accidens: hoc.n. quod eſt homo albus, eſt vnum per accidens, non per ſe.] Hæc D. Tho. quibus expreſsè docet illud concretum eſſe vnum per accidens. Et ſubdit loquens cum diſtinctione de concreto ſeu coniuncto, & de ſubiecto, ſeu materiali illius, & ait. [Hoc quod eſt album, non habet quod quid erat eſſe; ſed ſolum hoc de quo dicitur, .ſ. homo .l. homo albus.] Ecce quomodo concretum non habere quidditatem docet D. Tho. & ſubiectum illius hanc habere. Ex qua doctrina formatur ſequens ratio.

506. Pr. 2. rõe. Nam ſi genus accipiatur pro natura, & ſecunda intentione in recto, & æquè primo, tũc reſultat compoſitũ quoddam, quod ſit ens per accidẽs, v.g. nõ poteſt eſſe diffinitum illius diffinitionis, quæ vna eſt: antecedens patet. Nam conſtat ex rebus pertinẽtibus ad diuerſa genera nẽpè ex natura, quæ realis eſt, & 2 intentione, quæ eſt ens rationis, & ens per accidens dicitur illud quod conſtat ex rebus diuerſi generis. Et cõa pr. quia ens per accidens non dicit vnam quidditatẽ, ſed plures, valde diſtinctas: ergo nõ poteſt eſſe diffinitum reſpectu vnius diffinitionis. Pr. cõa. quia diffinitio reſpicit quidditatem, & ſic vna diffinitio vnam quidditatem: ergo vbicũq; reperitur multiplex quidditas, non eſt capax, vt ſit diffinitum reſpectu vnius diffinitionis. Confirmatur, & explicatur hoc deſumpta paritate ex concretis realibus accidentalibus. Nam hoc concretum, album, dicit corpus, & albedinem quę ſunt res valdè diuerſę, quarũ altera pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, & altera ad prædicamentum accidentis: ſed ex ſubſtantia, & accidenti non poteſt componi vna quidditas: ergo &c. pr. mi. Quia omnis quidditas debet eſſe, vel de prædicamento ſubſtantiæ, vel accidentis, ſub iſtis enim duabus coordinationibus generalibus continetur omnis quidditas, ſicuti & omne ens: ſed ex ſubſtantia, & accidenti non poteſt reſultare vna quidditas, quæ ſit ſubſtantia, vel accidens: ergo nõ poteſt reſultare vna quidditas. Quæ ratio appli-

Digitized by Google

applicatur facilè ad noſtrũ intentũ. Nam natura eſt quid reale, & ſecunda intentio eſt quid rationis, igitur non poteſt ex illis reſultare aliqua quidditas, quæ ſit determinatè realis, vel rationis. Erant igitur duæ quidditates, & conſequenter exigent duas diffinitiones, & propter hanc rationem dicitur, quòd ens per accidens non poteſt diffiniri.

507. Secunda concluſio. Si attendamus ad rem diffinitam in diffinitione generis, eſt ſecunda intentio connotans naturam, ſi autem ad modum diffiniendi, eſt natura ipſa, vt induta ſecunda intentione. Itaq; diſtinguimus id, quod diffinitur, & modum diffiniendi, & dicimus quod diffinitio ordinatur ad explicandam quidditatẽ ipſius ſecundæ intentionis, prout præbentis ſuum effectum formalem ſubiecto: at modus diffiniendi incipit à natura ſubſtrata, ita vt iſta, quatenus ſubſternitur ſecũdę intentioni afferatur in recto ex parte modi ſignificandi. Hæc concluſio habet duas partes, quibus conciliãtur varia dicta authorum in hac difficultate. Et quantum ad 1. admitti debet ab omnibus, qui docent diffinitum in diffinitione generis eſſe ſecundã intentionem, vt connotantẽ naturam. Et pr. Nam id quod ſignificatur per cõcretũ aliquod accidẽtale, eſt id quod diffinitur, & id quod principaliter eſt ſignificatũ, & principale diffinitum: ſed ſignificatum cuiuſcunq; concreti accidentalis eſt forma ipſa accidentalis, prout dat effectum formalem ſuo ſubiecto; ita vt principaliter ſignificetur forma, & ſubiectum, vt recipiens effectum formalem illius: ergo forma eſt principa e ſignificatum, & ſubiectum affertur in obliquo, & de connotato. Ma. eſt certa; nam id, quod ſignificatur, eſt quod intelligitur, & quod diffinitione explicatur. Et mi. pr. 1. ex D. Tho. lib. 5. metaph. lect. 9. vbi ait. [Nec verum eſt quod Auicena dicit, quòd prædicata, quæ sũt in generibus accidentis, principaliter ſignificant ſubſtantiam, & per poſteriùs accidens, ſicut hoc, quod dico album, nam album, vt in prædicamentis dicitur, ſolam qualitatẽ ſignificat: hoc autem nomen album ſignificat ſubiectum ex conſequenti, in quantùm ſignificat albedinem per modum accidentis.] Hæc D. Thomas. Ex quibus clarè colligitur quòd ſignificatum principale eſt ipſa forma concreti, & ex conſequenti, ſeu in obliquo affertur ſubiectũ. Et notetur quod expreſſè ait D. Th. ſubiectum ſignificari ex conſequenti: nam aliqui Thomiſtę excludunt à ſignificatione nominis concreti ipſum ſubiectum, & dicunt tantùm connotari. Pr. 2. ratione illa min. Nam abſtractum, & concretum habent idem ſignificatum, licet differant quantùm ad modum ſignificandi, eo quòd abſtractum ſignificat formam, quaſi per ſe exiſtentem, & concretum eandem formam, vt applicatam ſubiecto ſignificat: ergo ex parte rei ſignificatæ forma ipſa eſt principale ſignificatum, & ſubiectum affertur, quatenus recipit effectum formalem illius: & conſequenter hoc idem erit diffinitum. Qua propter cum proportione idem probatur de genere, quod impoſitum eſt ad ſignificandam intentionem, vt præbentem effectum formalem ſubiecto, ac proinde hæc ſecunda intentio connotando naturam, eſt principale ſignificatum, & principale diffinitum, ſi attendamus ad rem ſignificatam, & rem diffinitã.

Digitized by Google

In quo ſenſu eſt vera doctrina Mag. Ioan. à Sancto Thoma aſſerentis, quòd in his diffinitionibus aliud eſt diffinitum formale ab eo, quod reddit ſuppoſitum diffinito.

508. Secunda pars concluſionis, nempè quòd ex parte modi ſignificandi, ſeu diffiniendi afferatur natura in recto, & ſecunda intentio in obliquo, admittetur ab illis, qui abſolutè docent naturam, vt veſtitam ſecunda intentione eſſe diffinitum in hac diffinitione. Et pr. 1. ex D. Thoma, qui pluribus in locis docet in hoc diſtingui modum ſignificandi, & diffiniendi concreti, ab abſtracto, quod in ſignificatione, & diffinitione illius affertur ſubiectum in recto, & in ſignificatione, & diffinitione iſtius adducitur tale ſubiectum in obliquo. Ita docuit expræſsè 1. 2. q. 53. artic. 2. ad 3. ſic dicens. [quocunquè modo ſignificetur accidens, habet dependentiam ad ſubiectum. Aliter tamen,& aliter. Nam accidens ſignificatum in abſtracto importat habitudinem ad ſubiectum, quæ incipit ab accidenti, & terminatur ad ſubiectum] ecce modum ſignificandi abſtracti, ex quo colligit modum diffiniendi ipſum ſic docens. [Ideo in diffinitione accidentis in abſtracto non ponitur ſubiectum, quaſi prima pars diffinitionis, quæ eſt genus, ſed quaſi ſecunda, quæ eſt differentia.] Deinde tranſit ad modum ſignificandi concreti,& ait. [ſed in concretis incipit habitudo à ſubiecto, & terminatur ad accidens] Et ex tali modo ſignificandi ſic infert. [Propter quod in diffinitione huiuſmodi accidentis, ponitur ſubiectum, tanquàm genus, quod eſt prima pars diffinitionis, &c.]

509. Clariùs docuit eandē doctrinam D. Thomas lib. 7. metaph. lect. 4. vbi explicans modum diffiniendi accidentia, ſic docet [accidentia verò non habent eſſe, niſi per hoc, quod inſunt ſubiecto. Et ideò eorum quidditas èſt dependens à ſubiecto,& per hoc oportet,quod ſubiectum in diffinitione accidentis ponatur, quandoquè quidem in recto, quandoquè verò in obliquo. In recto quidem, quandò accidens ſignificatur in concretione ad ſubiectum, vt cum dico ſimus eſt naſus concauus.] Hæc D. Thom. ex quibus clarè colligitur in diffinitione concreti in recto afferri ſubiectum,quod ſaltem debet intelligi ex modo ipſo diffiniendi, nam modus iſte fundatur in modo ſignificandi, ac proinde in noſtra diffinitione huius concreti, genus, cum ſit concretum accidentale, idem modus obſeruabitur.

510. Prob 2. ratione deducta ex D. Thom. doctrina. Nam modus diffiniendi accidentia ſequitur modum ſignificandi illa; ſed quando ſignificantur in concreto, ex modo ſignificandi affertur primò, & in recto ſubiectum: ergo etiam in illius diffinitione ex modo diffiniendi affertur primò, & in recto ſubiectum. Pr. min. 1. Nam modus ſignificandi alicuius nominis colligitur ex diffinitione, qua explicatur ſua ſignificatio quid nominis, ſed in hac diffinitione affertur ſubiectum in recto, verbi gratia, diffinitio quid nominis huius concreti album, eſt corpus habens albedinem, & genus eſt natura habens ſecundam intentionem: ergo ex modo ſignificandi concreti affertur ſubiectum in recto. Pr. 2. illa minor. Ex diuerſo modo ſigni-

ficandi

ficandi abſtracti,& concreti, in illo enim incipit ſignificatio à forma,& tranſit ad ſubiectum; & in iſto incipit à ſubiecto, & tranſit ad formam; ſed in modo ſignificandi abſtracti affertur in recto forma, & ſubiectum in obliquo: ergo in modo ſignificandi concreti inuertitur ordo, & ſic in recto affertur ſubiectum, & forma in obliquo. Et ſanè ſi ex ſignificatione nominis colligitur diffinitio, & ex ſignificato colligitur diffinitum, conſequens eſt, vt doctrina à nobis tradita vera ſit. Qua clarè percipitur diffinitum in diffinitione generis, & cuiuſcunquè concreti accidentalis, diſtinguendo ſemper rem ſignificatam, & diffinitam, & modum ſignificandi, & diffiniendi, nam ex hoc eſt diuerſitas ſententiarum, quæ meo videri, facilè conciliantur ex dictis.

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

521. Contra 1. con. Arguitur 1. Diffinitio generis conuenit directè, & per ſe coniuncto illi ex natura, & ſecunda intentione, & de illo prædicatur talis diffinitio immediatè, & per ſe: ergo tale coniunctum eſt diffinitum. Probatur antecedens. Nam diffinitio eſt [prædicari de pluribus differentibus ſpeciei,] ſed hæc conuenit ſecundæ intentioni, vt rationi formali prædicandi, & naturæ, vt id quod prædicatur: ergo talis diffinitio immediatè, & per ſe conuenit coniuncto, ita vt vna pars ſit diffinitum quod; & altera ſit diffinitum Quo. Explicatur, & confirmatur hoc. Nam natura, & ſecunda intentio inter ſe aliquomodo coniunguntur, vt actus, & potentia, vt forma, & ſubiectum: ergo hoc coniunctum ſic poteſt diffiniri, vt diffinitio conueniat naturæ, vt quod, & ſecundæ intentioni vt, quo, ſicut enim natura eſt id quod recipit effectum formalem ſecundæ intentionis, ita iſta eſt forma, ſeu ratio qua redditur talis effectus formalis: alias enim nullum eſſet diffinitum, quod, in hac diffinitione, ſiquidem ipſa ſecunda intentio, cum ſit forma, ſemper ſignificatur, vt quo, & conſequenter, vt quo, debet diffiniri: ergo diffinitum, quod eſt natura, vel totum coniunctum, ſi ly, quod accipiatur adæquatè, vt dicit materiale, & formale.

522. Ad hoc argumentum reſpondeo prædictam diffinitionẽ ſolum conuenire eſſentialiter ſecundæ intentioni, non autem ſubiecto, nam licet hoc prædicetur de pluribus, v. g. natura, tamen hoc conuenit illi accidentaliter, & denominatiuè; vt autem eſſet diffinitum, quod, neceſſum erat quod talis diffinitio conueniret illi eſſentialiter, vt quod, hoc autem ita non eſt. Nam natura non eſt id, cui conueniat, vt quod, eſſentialiter prædicari de pluribus, & id circò non dicitur natura, diffinitum, quod, ac proinde ex illa, & ſecunda intentione acceptis in recto non poteſt reſultare aliquod vnum diffinitum, ſed debet accipi ſecunda intentio in recto, & adduci ipſa natura, vt ſubiectum, cui accidentaliter communicatur forma, quæ

eſt

Digitized by Google

eſt ſecunda intentio. Et hoc apparet in concreto ſubſtantiali, homo enim eſt diffinitum, quod, quia ipſi eſſentialiter conuenit diffinitio hominis, & humanitas eſt diffinitum, quo; at cum diffinitio generis non verificetur eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter de natura, hinc eſt ipſam non eſſe diffinitum, quod, ſed tantùm ſequitur ipſam de connotato afferri, vt ſubiectum ſecundæ intentionis.

513. Ad confirmationem dico illa duo aliquomodo coniungi non tamen ita, vt ex illius coniunctione reſultet vna quidditas, ſed perſeuerant ipſa, vt diſtinctæ quidditates: & ideò non poteſt vna diffiniri, vt quod, & altera, vt quo, propter rationem dictam proximè. Quamuis enim natura recipiat effectum formalem ſecundæ intentionis, quia tamen hæc eſt illi omninò accidentalis, ideò non poteſt eſſe diffinitum. Ad id, quod additur de diffinito, qnod, huius diffinitionis reſpondet Sanchez lib. 3. logicæ quæſt. 4. con. 3. quòd ſecunda intentio eſt diffinitum, quod in tali diffinitione. Et idem docet Mag. Araujo lib. 3 metaph. quæſt. 4. art. 2. nu. 5. vbi docet in omni diffinitione neceſſarium eſſe aſſignare aliquod diffinitum, quod, pro quo ſupponat diffinitio, & de quo eſſentialiter verificetur, & in diffinitione generis eſſe ſecundam intentionem generis. Vt autem hoc explicent, dicunt quòd prædicari de pluribus, prout ponitur in diffinitione generis nō eſt idem quod affirmari, ſed eſt idem quòd referri, vt prædicabile ad plura, ac proinde dicunt iſti authores, hoc, quod eſt referri conuenire vt, quod, ipſi ſecundæ intentioni in concreto. Alij autem dicunt in his; & alijs ſimilibus diffinitionibus non dari diffinitum, quod, cui conueniat eſſentialiter diffinitio, ſed tantùm denominatiuè. Ita Mag. Ioann. à Sancto Thoma quæſt. 7. art. 2. ad. 1. Hæc autem ſententia mihi vera videtur. Nam etiam ſi admittatur illa explicatio diffinitionis, nempè quòd prædicari ſumatur pro eo quod eſt referri, adhuc non poteſt verificari de ſecunda intentione, tamquam de ſubiecto. quod, nam ipſa ſecunda intentio eſt ipſamet actualis relatio rationis, ſed nulla relatio eſt id, quod refertur, ſed eſt formalis ratio referendi, ac pròinde ipſa, ſicut non eſt id: quod refertur, non poteſt dici diffinitum, quod, etiam ſi accipiatur in concreto, nam in concreto eſt ratio formalis referendi, & ſubiectum eſt id quod refertnr.. Quapropter falſnm eſt quod dicitur in fine illius confirmationis ſcilicet in diffinitione generis debere aſſignari aliquod diffinitum, quod, eſſentiale, ſufficit enim dari aliquid, cui denominatiuè conueniat diffinitio.

524. Arguitur 2. contra fundamentum concluſionis. Nam falſum eſt, quod ens per accidens non poſſit diffiniri: nam omne illud, quod aliquomodo habet eſſe, habet ſuam eſſentiam, & quidditatem, & conſequenter talis quidditas explicari poteſt; ſed diffinitio eſt, quæ explicat quidditatem rei: ergo ens per accidens diffiniri poteſt. Et confirmatur hoc. Nam ſi in diffinito generis includatur illud coniunctum, ſcilicet natura quæ eſt, quod, denominatiuè, & ſecunda intentio, quæ eſt ratio formalis, tunc explicatur quidquid pertinet ad ipſum genus, tàm

Digitized by Google

ex parte materialis, quàm ex parte formalis: ergo melius aſſignabitur totum illud coniunctum.

515. Ad hoc argumentum, quo conuincitur P. Hurtado, vt aſſerat ens per accidens poſſe diffiniri, reſpondeo ens per accidens, cum conſtet ex rebus diuerſi generis, in quo conſiſtit eius eſſentia, & ex illis rebus non poſſit reſultare vna quidditas, hinc eſt quod non poſſit vnica diffinitione diffiniri: poteſt tamen diffiniri multiplici diffinitione, ſicut conſtat ex multiplici quidditate. Etenim omne ens poteſt diffiniri, aliter tamen, & aliter, nam ens per ſe vnica diffinitione, & ens per accidens multiplici, ſicut cō-ſtat ex multiplici quidditate. Ad confirmationem reſpondeo impoſſibile eſſe illud cōiunctum, vt includit vtramq; partem ęquè primò, diffiniri, diffinitur tamen ſecunda intentio in recto, & principaliter, & natura in obliquo, & vt ſubiectum recipiens effectum formalem illius iuxta dicta in noſtra reſolutione, & aliter diffiniri non poteſt concretum illud accidentale.

516. Arguitur 3. ad probandum naturam eſſe principale diffinitum. Nam natura eſt de qua verificatur principaliter diffinitio, & pro illa ſupponit; verbi gratia, hæc eſt vera prædicatio homo prædicatur de pluribus, non autem dici poteſt ſecunda intentio eſt, quæ prædicatur: ergo natura eſt principale diffinitum. Prob. conſequentia. Quia illud eſt diffinitum principale, de quo verificatur diffinitio, & pro quo ſupponit in recto, & cum quo dicitur ad conuertentiam: ergo ſi de natura principaliter verificatur diffinitio, & pro illa ſupponit, & cum illa dicitur ad conuertentiam, natura ipſa eſt principale diffinitum. Si autem dicas, quò de natura ſubſtrata ſecundæ intentioni verificatur accidentaliter diffinitio, & diffinitum principale eſt illud, de quo verificatur eſſentialiter diffinitio. In contra eſt. Nam licet naturæ ſecundum ſe accidentaliter conueniat prædicta diffinitio, tamen ipſi, vt connotanti ſecundam intentionem, ſeu, vt habenti illam conuenit eſſentialiter. Quod ſic pr. quia ipſa ſecunda intentio eſt ratio formalis prædicandi, & eſt id, cui eſſentialiter conuenit talis effectus formalis, vt rationi formali, qua, ergo natura ipſa, vt habens talem ſecundam intentionem, ita vt naturam afferatur principaliter, & vt, quod, & ſecunda intentio in obliquo, eſt diffinitum principale.

517. Ad hoc argumentum reſpondeo ex illo, & alijs ſimilis formę colligi naturam eſſe diffinitum principale, quantùm eſt ex parte modi diffiniendi, hoc eſt, cum diffinitum, & diffinitio ſint concreta accidētalia, quantùm ad modum ſignificandi, & diffiniendi incipiunt à ſubiecto, & illud afferunt in recto, & principaliter, vt conſtat ex dictis in ſecunda concluſionē, cum quo compatitur, quod quantùm ad rem ſignificatam, ſeù diffinitam ſe habeat è contrario, ita vt ſecunda intētio ſit principale diffinitum, & natura afferatur de connotato. Quando autem dicitur, & benè, quòd in his diffinitionibus non eſt diffinitum, quod, cui eſſentialiter cōueniat diffinitio, intelligitur in hoc ſecūdo ſenſu, nā ſi attendatur ad modum ſignificandi, vel diffiniēdi, eſſētialiter debet afferri aliquod diffinitum, quod, ſeu aliquid, de quo verificetur, & pro quo ſupponat.

Digitized by Google

518. Arguitur 4. ad probandum ſecundam intentionem eſſe diffinitum principale, & in recto, etiam quantùm ad modum diffiniendi. Nam concretum accidentale, ex proprio modo ſignificandi, ſignificat principaliter formam, & ſubiectum ex conſequenti, & quaſi ſecundariò: ergo etiam in modo diffiniendi formam in concreto, affertur hæc principaliter, & ſubiectum ex conſequenti. Antecedens prob. tùm ex doctrina D. Thomæ relata ſupra num. 417. vbi ait album ſolam qualitatem ſignificare, & ex conſequenti ſubiectum. Tùm ratione. Nam per concretum, ex modo ſuæ ſignificationis, affertur forma, vt præbens ſuum effectum formalem alicui ſubiecto, ad differentiam abſtracti; quod ſignificat formam præcisè: ergo ex vi illius modi ſignificandi affertur principaliter forma, & ex conſequenti ſubiectum, & tanquam id, cui communicatur forma.

519. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens. Ad cuius primam probationem dico D. Thomam loqui ibidem de re principaliter ſignificata, quæ eſt albedo, & ſubiectum ex conſequenti; cæterum quantum ad modum ſignificandi eſſe è conuerſo, nam ſubiectum affertur principaliter, & in recto, & vt id, à quo incipit ſignificatio, vt idem D. Tho. docuit in locis relatis à num. 418. ad 2. probationem dico, quod quantum eſt ex modo ſignificandi potiùs affertur ſubiectum, vt recipiens effectum formalem formæ, quam ipſa forma, vt præbens illum, & ita dicitur album eſt habens albedinem, non autem dicitur albedo habita ab albo, & ideò ex modo ſignificandi in recto, & principaliter affertur ſubiectum, at quantùm ad rem ſignificatam, & intentionem imponentis nomen, forma ipſa principaliter ſe habet.

520. Arguit. 5. contra diſtinctionem à nobis traditam de re ſignificata, & de modo ſignificádi, & ſimiliter de re diffinita, & de modo diffiniendi. Nam videtur impoſſibile, quod intendatur principaliter vnum vt ſignificatum, & hoc ſit minus principale in modo ſignificandi, & idem dico in diffinitione. Præterquàm quòd ex noſtra doctrina ſolùm colligitur, quòd ſubiectum afferatur in recto in diffinitione concreti, quia affertur, vt prima pars, ſeu genus diffinitionis, non autem infertur ex hoc, quòd ſit principale diffinitum, ſed potius principalis pars diffiniens, & hoc docuit D. Thomas in locis à nobis adductis à num. 418.: ergo non rectè dicitur, quòd eſt diffinitum principale, etiam ex modo diffiniendi.

521. Ad hoc argumentum facilè reſpondeo nullum eſſe inconueniens, imò ita de facto contingere, quòd intendatur vnum ſignificari, & ex modo ſignificandi ab alio incipiamus, ſicut intendimus ſignificare accidens, & ex modo ſignificandi ſignificatur, ac ſi eſſet ſubſtantia, ideſt, per modum ſubſtantiæ. Ita in præſenti intenditur ſignificare accidens, & ex modo incipimus à ſubiecto, in quo eſt, & hic modus ſignificandi eſt proprius concreti, & ſimilem modum diffiniendi debemus aſſignare accidenti in concreto. Et reddit rationem D. Thom. cap. vltimo de ente, & eſſentia ſic dicens. [Nam tunc diffiniretur per modum ſubſtantiarum compoſita-

rum

rum, in quibus ratio generis ſumitur à materia.] Hæc D. Thomas. Ex qua doctrina infertur, quòd ex modo diffiniendi ſubiectum ſit principale diffinitum. Nec obſtat obiectio poſita in argumento. Nam ex eo, quòd in modo ſignificandi afficiatur ſubiectum in recto, & principaliter, ſequitur idem debere eſſe de modo diffiniendi, & quia in diffinitione ponitur vt prima, & principalis pars diffiniens, ſequitur quod ex parte diffiniti ſit principalis, & prima pars, nam eo modo, quo partes ponuntur in diffinitione, debent aſſignari ex parte diffiniti, maximè, quando diffinitur per partes phyſicas, vel quaſi phyſicas, vt contingit in diffinitione concreti accidentalis, de qua in præſenti loquimur.

§. 4.

Explicatur alius modus diffiniendi concreta accidentalia.

522. Sed inquires pro complemento huius difficultatis, an concretum accidentale poſſit diffiniri per concretum ſuperius loco generis, v. g. ſi dicas album eſt coloratum diſgregatiuum viſus, & in noſtro caſu, genus eſt vniuerſale, &c. Partem negatiuam deffendũt Collegium diſcalc diſp. 5. logicæ quæſt. 2. nu. 29. Cuius fundamentum eſt. Nam ſubiectum debet poni in diffinitione concreti, vt docent Ariſtoteles, & D. Tho. qui perpetuò docent iſtum modum diffiniendi accidentia ſeruandum eſſe; ſed ſubiectum non poteſt poni, vt differentia: ergo ſemper debet poni, vt genus; & nunquàm poteſt poni concretum ſuperius. Et additur. Nam omne concretum ſuperius, cum ſit connotatiuum, prædicatur in quale, genus autem debet prædicari in quid: & communiter concretum ſuperius non poteſt poni, vt genus.

523. Nihilominus dicendum eſt cum alijs Thomiſtis, quòd concretum accidentale poteſt diffiniri dupliciter, primò per diffinitionem phyſicam, vel quaſi phyſicam, explicantem naturam diffiniti per ſuas partes phyſicas, vt quando diffinitur homo, quòd ſit compoſitus ex corpore, & anima, & hoc modo diffinitur concretum accidẽtale per ſubiectum loco generis, & formam loco differentiæ. Et quia iſte modus diffiniendi eſt clarior, ideo eſt magis vſitatus ad explicanda accidentia in concreto, & hac ratione docuit D. Thomas concreta accidentalia ſic eſſe diffinienda, & maximè quia iſte modus diffiniendi nõ competit concretis ſubſtantialibus, non enim poteſt poni materia, vt genus, & forma, vt differentia in horum diffinitionibus, ſicuti in diffinitionibus illorum. Secundò poteſt diffiniri concretum accidentale per diffinitionem metaphyſicam, vel quaſi, in qua ponantur genus, vel quaſi genus, & differentia propria, & quamuis hæc ſit imperfecta diffinitio metaphyſica, ſi comparetur cum illa, qua diffinitur concretum ſubſtantiale, quia hoc habet verum genus, & differentiam, & illud habet aliquid, quaſi genus, & aliquid, quaſi differentiam, tamen

Digitized by Google

perfectè explicat naturam concreti accidentalis, v. g. ſi dicas album eſt coloratum diſgregatiuum viſus, perfectè explicaſti naturam albi, & ſimiliter ſi dicas genus eſt vniuerſale in multis ſpecie differentibus. Quapropter hæc eſt optima diffinitio ſacramenti, eſt ſignum gratiæ ſanctificantis nos; & tamen ſignum eſt ſuperiùs eſſentialiter ad ſacramentum, vt notauit Mag. Nuño, cuius eſt tota hæc doctrina à nobis allata. Iuxtà quam vnicuiquè prædicabili, ſeu vniuerſali poteſt applicari duplex diffinitio, altera, quaſi phyſica, & de his diximus ſupra in explicatione lib. prædicabilium. Altera quaſi metaphyſica, v. g. ſi dicas genus eſt vniuerſale in multis differentibus ſpecie, vt quidditas ſubſtantialis particularis illorum. Item ſpecies eſt vniuerſale in multis numero differentibus, vt tota quidditas, & ſic de alijs cum proportione ad vniuſcuiuſquè eſſentiam. Conſtat igitur ad fundamentum oppoſitum ſubiectum debere intrare in diffinitione phyſica, & hoc intendunt Ariſtoteles, & D. Thomas, non autem in diffinitione metaphyſica. Ad id quod additur dico prædicari in quid nihil aliud eſſe quàm explicando quidditatem, & ſic prædicatur concretum ſuperius, nam explicat quidditatem concreti inferioris. Si autem prædicari, in quid, ſit idem, quod prædicari per modum materiæ, vt ex Magiſt. Soto dicebamus ſupra num. 47. Tunc concretum ſuperius ſe habet, vt materia, nam aliud concretum, quod ſe habet, vt differentia, ſe habet, vt forma, v. g. [coloratum diſgregatiuum] ly, coloratum ſe habet, vt materia, & ly, diſgregatiuum, vt forma.

§. 5.

Explicatur materiale proprium generis.

524. Diximus naturam intraræ in ſignificatione, & diffinitione generis, vt proprium ſubiectum, & materiale ſecundæ intentionis. Et circa tale ſubiectum, ſeu materiale aliqui authores mouent longam, & prolixam difficultatem, an detur aliquod materiale commune, & quodnam ſit hoc? quam breuiter explicabo in præſenti. Materiale adæquatum generis eſt denominabile à ſecunda intentione, ſeu natura, vt denominabilis à ſecunda intentione, ſeu, vt capax recipiendi illam, & in hoc conueniunt omnes naturæ ſiuè reales, ſiuè rationis. Ita explicant communiter Thomiſtæ materiale adæquatum generis. At reſtat difficultas in explicanda illa denominabilitate, ſeu capacitate naturæ. Nam inquiri poteſt quid requiratur ex parte naturæ, vt ſit denominabilis à ſecunda intentione, & capax illius. Reſpondeo quòd natura illa, cuius eſſentia in pluribus ſpeciebus reperitur, non vt tota eſſentia, ſed vt pars, in qua plures ſpecies conueniunt, ſeu ſunt conformes, eſt denominabilis à ſecunda intentione, & capax illius. Et in hac ratione conueniunt omnes naturæ genericæ, ſiue reales, ſiue rationis. Omnes enim reperiuntur in pluribus ſpeciebus, vt pars eſſentiæ, in qua ſunt conformes. Et hæc conuenientia explicatur per illam relationem denominabilis, ſeu

capacis,

Digitized by Google

capacis, quæ eſt extrinſeca quædam denominatio, vel ens rationis, ſi conſideretur, vt aliquid præuium ad ſecundam intentionem. Et eodem modo cum proportione dicendum eſt de materiali adæquato aliarum intentionum prędicabilium. Erit enim id, quod eſt denominabile à ſecunda intentione, & capax illius. Et hęc capacitas fundatur in aliquo, quod eſt cōe omni denominabili. Et facilè inuenietur cōſiderādo rationē vniuſcuiuſquè ſecundæ intentionis.

CONFERENTIA 4.

Vtrum natura Angelica, ſi illi repugnant eſſentialiter plura indiuidua, poſſit denominari ſpecies prædicabilis?

§. 1.

Explicatur ſtatus difficultatis, & referuntur ſententiæ.

525. SVpponit præſens difficultas quamdam ſententiam Thomiſtarum aſſerentiū eſſe eſſentialem repugnantiam in eo quòd ſub vna ſpecie infima Angeli dentur plura indiuidua, quapropter dicunt, non poſſe Deum plures Angelos ſolo numero differentes ſub eadem ſpecie producere, etiam ſi ſua abſoluta pōa vtatur. Hac ſententia ſuppoſita, vt vera, pro nunc, eſt difficultas an natura Angelica ſic poſſit concipi, vt denominetur à ſecunda intētione ſpeciei vniuerſalis, ſaltim ſecundum rationem. Et ſermo eſt de ſecunda intentione prædicabilis, de illa .ſ. qua natura reſpicit inferiora, nam certum eſt denominari à ſecunda intentione ſpeciei ſubijcibilis, qua reſpicit genus, cui ſubijcitur. Cum enim natura illa ſit compoſita ex genere, & differentia, vt potè natura finita, & limitata pertinens directè ad prædicamentum, cōns eſt, quòd ſubijciatur generi, ac proinde quòd genus reſpiciat illam, vt ſpeciem ſubijcibilem.

526. Deinde ſupponendum eſt duplex eſse vniuerſale, alterum ſecundū rem, & rationem, & alterum ſecundum rationē tantùm. Quā doctrinam ſub alijs terminis, & ſi æquiualētibus, tradidit D. Tho. 1. p. q. 13. art. 9. Vniuerſale ſecundum rem, & rationem dicitur illud, quod habet fundamentum in re ipſa, & in ratione, vt ſit vniuerſale; v. g. natura humana in re ipſa eſt diuiſa in pluribus, & ex hoc ſumitur fundamentum, vt concipiatur vniuerſalis, & concipitur ſine ſingularibus, & ex iſto modo concipiendi reſultat fundamentum proximum vniuerſalitatis. Vniuerſale ſecundum rationem tantùm, eſt illud, quòd in ſolo intellectu habet fundamētum propter ſuum modum intelligendi. Ita explicat hoc duplex vniuerſale Caietanus cap. 5 de ente, & eſsentia q. 9. ad 2. Igitur certum eſt naturā Angelicam non eſse vniuerſale, ſeu ſpeciem ſecundum rem, & difficultas reſtat an ſaltim ſit vniuerſale ſecundum rationem tantùm.

527. Prima ſētētia aſſerit, quòd ex ſuppoſitione talis repugnātiæ indiuiduorū, nullo modo pōt denominari vniuerſale, vel ſpecies ṗdicab. Ita P. Suarez

Digitized by Google

Suarez diſp. 5. ſect. 2. § [denique.] P. Rubio in logica cap. 3. de ſpecie. quæſt. 4 nu. 69. P. Hurtado diſp. 5. logicæ ſect. 3. & alij relati ab iſtis authoribus. Secunda ſententia docet, adhuc facta illa ſuppoſitione, naturam Angelicam poſſe denominari vniuerſale, ſeu ſpeciem ſecundum rationem tantùm, ex eo quòd concipitur ſinè ſingularitate. Hanc concluſionem defendunt communiter Thomiſtæ, quos refert, & ſequitur Collegium diſcalc. in logica diſp. 5. quæſt. 4. & Magiſt. Ioann. à Sancto Thoma in logica q. 8. art. 3. Tertia ſententia affirmat naturam Angelicam ex modo concipiendi eſſe vniuerſale per non repugnantiam, non autem poſitiuè, & hanc non negare authores primæ ſententiæ, docet Magiſt. Ioann. à Sancto Thoma, illam tamen defendunt aliqui ex noſtris Thomiſtis exiſtimantibus eſſe mentem D. Thomæ, & Caietani, ſed de hoc poſtea.

§. 2.

Explicatur fundamentum ſententiæ, quæ ſupponitur.

528. TOta difficultas præſens conſiſtit in eo quòd ex vna parte ſupponitur ſententia aſtruens impoſſibilitatem plurium indiuiduorum in vna ſpecie Angelica, & ex altera dicatur eſſe vniuerſale, de cuius ratione eſt reſpicere plura. Quapropter operæ prætium duxi explicare breuiter fundamentum, quo probatur ſententia, quæ ſupponitur, vt clarius conſtet an compatiatur naturam denominari vniuerſale, adhuc ſecundum rationem. Ad cuius intelligentiam ſupponunt authores prædictæ ſententiæ, quod Angeli ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes, & omninò excludentes omnem materiam; quapropter ſe ipſis indiuiduantur, & non per ordinem ad aliud extrinſecum, vt contingit in formis materialibus, & adhuc in immateriali, qualis eſt anima rationalis, quæ, quia incompleta eſt, dicit ordinem ad materiam, à qua indiuiduatur, ſeu accipit diſtinctionem indiuidualem, & numericam. Angeli autem ſunt formæ completæ, & per ſe ſubſiſtentes, & ſic à ſe ipſis indiuiduantur. Ex quo inferunt prædicti authores quod in tali forma debet diſtingui duplex munus, aliud quo conſtituit Angelum in ſua ſpecie, & aliud, quo conſtituit illum in ratione indiuidui, nam per prædicata ſua eſſentialia conſtituit ſpeciem, & per hoc quod talis forma ſit irreceptibilis in materia, conſtituitur Angelus vnus indiuidualiter, & numericè.

529. In explicatione autem huius duplicis muneris, adhuc eſt diuerſitas inter illos authores. Nam aliqui dicunt quod vtrumque munus æquè primo conſtituunt eſſentialiter Angelum, & communiter aſſerunt ſingularitatem eſſe de eſſentia illius, & Angelum eſſentialiter eſſe ſingularem. Et hoc exiſtimat probabile Caietanus 1. par. quæſt. 13. artic. 9. Alij autem dicunt illa duo munera ſe habere ordine quodam inter ſe, ita vt prius ſit conſtituere ſpeciem, & ex illo ſequa-

Digitized by Google

ſequatur aliud, nempè conſtituere indiuiduum. Inſuper alij affirmant quod iſti duo conceptus ſpeciei, & ſingularitatis ad inuicem ſe includunt, licet non ad, inuicem ſe explicent, alij verò affirmant ad inuicem ſe excludere, & facere compoſitionem rationis.

530. Quibus ſuppoſitis cum omnis diſtinctio in Angelo debeat prouenire à forma, neceſſum eſt quòd omnis ſit diſtinctio formalis,& nulla poſſit eſſe ſola numerica, nam hęc non prouenit à forma: ex quo infertur quòd, ſicut Deus non poteſt facere quòd diſtinctio numerica non proueniat ab ipſa forma Angelica, ita non poteſt facere, quod non ſit formalis ſimul. & numerica. Ita diſcurrunt Patres diſcalciati in ſuo curſu Salmanticenſi tract. 7. de Angelis diſp. 1. dub. 7. §. 2. Alij verò diſcurrunt ex eo, quòd forma illa eſſentialiter eſt ſingularis, & communiter implicat contradictionem multiplicari numericè. Alij autem probant ex eo quòd forma illa ad minus petit vnam ſingularitatem, cum qua adæquetur, vt ſic in vno ſingulari: ſit tota perfectio ſpeciei, ac proinde repugnat eſſentialiter dari plura. Hæc eſt doctrina, quæ debet ſupponi in præſenti, vt fundamentum ſententiæ, quam ſupponimus, & videndum eſt, an cum iſta compatiatur naturam Angelicam ita poſſe concipi, vt denominetur vniuerſalis, ſeu ſpecies prædicabilis.

§. 3.

Proponitur fundamentum ſententia negatiua.

531. CONſultò propono priùs fundamenta vtriuſquè ſententiæ, vt ipſis conſideratis, appareat probabilitas vtriuſquè ſententiæ. Igitur, qui negant naturam Angelicam, facta tali ſuppoſitione, non poſſe denominari ſpeciem prædicabilem, fundantur in eo, quòd quantumuis à nobis concipiatur natura Angelica ſine ſingularitate, nunquam tamen concipitur cũ indifferentia ad plura. Et in fauorem huius ſententiæ ſic arguitur. Nam natura Angelica, prout obiecta conceptui noſtro, nõ eſt indifferens ad plura: ergo prout obiecta non eſt capax vt denominetur ſpecies prædicabilis: probatur antecedens. Natura illa, prout obiecta conceptui noſtro, dicit ſua prædicata ſpecifica, per quæ conſtituitur Angelus in ſua ſpecie: Etenim cõceptus obiectuus eſt prędicata ſpecifica: ſed huiuſmodi prædicata ſpecifica non ſunt ex ſe indifferentia ad plura, ſed potiùs eſſentialiter petunt in vno inueniri: ergo natura Angelica, prout obiecta noſtro intellectui, non eſt indifferens. Pr. mi. Nam ſi ſingularitas eſt prædicatum eſſentiale, vt dicunt aliqui, non poſſunt illa prædicata ſpecifica concipi cum indifferentia ad illam. Item ſiuè ſit eſſentialis,

tialis, ſiuè non, nihilominus illa prædicata ſpecifica ex ſe ſunt determinata ad illam ſingularitatem, cum qua adæquantur: ergo talia prædicata ſpecifica ex ſe non ſunt indifferentia.

532. Dicunt aduerſarij ad hoc, quòd natura ipſa, ſeu prædicata ſpecifica poſſunt concipi, vel adæquatè, & ſic non dicunt indifferentiam, vel inadæquatè, & ſic concipiuntur ex parte modi concipiendi cum indifferentia, nam concipiuntur præcisè ſecundùm illud munus conſtituendi ſpeciem, & non indiuiduum, & ideo concipiuntur cum indifferentia. In contra eſt. Nam quantùmuis concipiatur natura Angelica inadæquatè, quòd eſt concipi ſine ſingularitate, adhuc ex parte conceptus obiectiui, eſt repugnantia eſsẽtialis ad plura: ergo in illo conceptu obiectiuo non eſt indifferentia ad plura. Pr. antecedens. Nam ille conceptus obiectiuus, in quo explicitè non affertur ſingularitas, eſt conceptus formæ ſimplicis, & per ſe ſubſiſtentis: ergo in illo conceptu obiectiuo inuenitur repugnantia ad plura: antecedens eſt certum, nam ille conceptus obiectiuus eſt conſtitutiuus Angeli, prout ſpecificè diſtinguitur ab omni forma materiali, & conſequenter eſt conceptus formæ ſimplicis: & conſequentia pr. Nam formæ ſimplici, & per ſe ſubſiſtenti eſſentialiter repugnat multiplicatio indiuidualis, & numerica: ergo ſi in illo conceptu obiectiuo inuenitur ratio formæ ſimplicis, & per ſe ſubſiſtentis, ibi inuenitur repugnantia ad plura.

533. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam quamuis natura Angelica poſſit præſcindi à ſua ſingularitate, & à modo illo indiuiduali, quo formaliter, & proximè redditur hæc, & indiuidua; tamen nõ poteſt præſcindi à radice huius indiuiduationis, quæ eſt talis natura, vt irreceptibilis in materia, & carens illa: non .n. poteſt natura prę̃ſcindi à tali irreceptibilitate, & carentia materiæ. Ita expreſsè docet Magiſt. Ioann. à S. Thoma q. 8. art. 3. ad 2. ſed natura ipſa, vt radix indiuiduationis, & vt irreceptibilis, & carens materia, fundat repugnantiam ad plura: ergo ſi à tali radice præſcindi non poteſt natura Angelica, non poteſt prę̃ſcindi à dicta repugnantia ad plura. Pr. mi. in qua eſt difficultas. Nam ex irreceptibilitate, & carentia materiæ ſequitur neceſſariò vnam eſſe adæquatã indiuiduationem talis naturæ: ergo in tali irreceptibilitate, & carentia materiæ fundatur repugnantia ad plura: antecedens conſtat. Nam ideo probatur in vna ſpecie Angelica eſſe vnam tantùm indiuiduationem, quia ipſa ſpecies ex ſe eſt irreceptibilis, & carens materia, ac proinde in vno indiuiduo debet reperiri: & cõa. pr. Nam in illo prædicato ex quo neceſſario ſequitur determinatio ad vnum, fundatur repugnantia ad plura: hæc .n. eſt optima conſequentia. Natura neceſſariò petit vnum, vt adequatum terminũ: ergo prout ſic repugnat pluribus: ergo ſi ex irreceptibilitate ſequitur neceſſariò vnam eſſe adæquatam indiuiduationem, in tali irreceptibilitate fundatur repugnantia ad plura.

534. Vrgetur ampliùs hæc ratio. Nam antequàm intelligamus in Angelo illum modum indiuiduationis, ſeu ſingularitatis, intelligimus in ipſa natura, aliquod prædicatum, ex quo inferatur naturam ita adæquari cum tali modo, vt dicit eſsentialem repu-

repugnantiam cum alio modo, ſeu ſingularitate. Hoc autem prædicatum eſt irreceptibilitas, ſeu carentia materiæ, qua propter ſic arguunt Thomiſtæ. Natura Angelica eſt irreceptibilits in materia, & carens ipſa: ergo radix eſt vnius adæquatæ indiuiduationis, & illi eſſentialiter repugnant plures: ergo eo ipſo quod concipiatur irreceptibilitas, & carentia materiæ, concipitur fundamentum repugnantiæ ad plura. Etenim ipſa indiuiduatio ex ſe dicit repugnantiam cum alijs, & cum iſta indiuiduatio radicetur in irreceptibilitate, in iſta incipit repugnantia. Si igitur natura Angelica non poteſt præſcindi à tali irreceptibilitate, non poteſt præſcindi à fundamento repugnãtiæ ad plura, ac proinde nunquàm concipietur cum indifferentia ad plura, etiã ſi concipiatur ſine ſingularitate, & ſine illo modo indiuiduationis.

535. Dices cum M. Ioa. à S. Thoma, quod talis irreceptibilitas, ſeu carentia materiæ poteſt dupliciter conſiderari, & ſecundùm quod pertinet ad ipſam conſtitutionem formæ ſimplicis, & purè ſpiritualis, & ſecundùm quod pertinet ad modum indiuiduationis, & vna conſideratio ſecernitur ab alia, ita vt ipſa carentia materiæ, vt requiritur ad conſtitutionem talis naturæ, non eſt aliud quàm ipſa ratio ſimplicis formæ, & ſic nondum fundat repugnãtiam multiplicationis. Ipſa autem carentia, vt præbet ſingularitatem completam, ſic præbet modum indiuiduationis, & repugnat multiplicationi.

536. Contra replicatur oſtendẽdo quod ipſa irreceptibilitas, ſeu carentia materiæ in prima conſideratione fundet repugnantiam multiplicationi. Nam carentia illa primò modo conſiderata, eſt radix ſingularitatis, & modi indiuiduationis illius, quo natura ipſa redditur hæc, & incommunicabilis, ſed in iſto modo indiuiduationis fundatur proximè repugnantia ad plura: ergo in illa conſideratione ſuæ radicis, fundatur ſaltim radicaliter repugnãtia ad plura. Explicatur hoc. Indiuiduatio Angeli vnica eſt, & adęquata ſuæ naturæ, ita vt proximè fundet repugnantiam cũ altera indiuiduatione in eadem ſpecie, ſiuè ſimul, ſiuè ſucceſſiuè: ſed hanc indiuiduationem eſſe ſic adęquatam oritur ex prædicatis ſpecificis naturæ, quæ eſt ſimplex, & purè ſpiritualis: ergo in ipſis prædicatis ſpecificis inuenitur exigẽtia eſſentialis illius indiuiduationis adęquatę. Quid ergo erit in prędicatis ſpecificis naturæ exigens talem indiuiduationem adęquatã? certè nihil aliud quàm irreceptibilitas, ſeu carẽtia materiæ primo modo conſiderata: ergo ſi iſta ſic conſiderata exigit eſſentialiter vnam adæquatam indiuiduationem, eadem & eodem modo conſiderata fundat repugnantiam ad plura.

537. Tandem reſpondent alij, quòd licet in tali conceptu naturæ implicitè afferatur talis repugnantia, non tamen ex vi illius quod explicitè affert, & hoc ſufficit, vt ex modo concipiendi, & quantum ad explicitum concipiatur natura illa indifferens. Contra replicatur. 1. quia in illo conceptu naturæ antecedenter ad ſingularitatem, eſſentialiter inuenitur talis ratio irreceptibilitatis, & carentiæ materiæ, ſaltèm, vt prædicatum cõmune, & quaſi genericum, in quo conueniunt eſſentialiter omnes Angeli: ergo in conçeptu illo, quo cognoſcitur natura

Ee ſpe-

Digitized by Google

ſpecifica Angeli explicitè affertur irreceptibilitas, & carentia materiæ. Antecedens eſt certum,& cõa probatur. Quia natura illa ſic-concepta explicitè affertur, vt compoſita ex genere, & differentia, hoc eſt dicere, conceptus obiectiuus eſt compoſitus ex genere, & differentia, ſicut quando concipio hominem, ex parte obiecti relucet conceptus quidam cõpoſitus ex genere, & differentia, alias nõn reluceret conceptus ſpecificus: ergo ſi irreceptibilitas eſt prædicatum eſſentiale commune, & genericum naturæ Angelicæ, non poteſt hæc concipi ſine illo, & conſequenter ſine repugnantia. Confirmatur,& explicatur hoc. Non poteſt natura aliqua concipi, vt indifferens ad id, quod eſt determinata vel ratione ſuæ differentiæ, vel ſui generis: ſed natura, prout concepta ratione prædicati, quaſi generici eſt determinata ad vnum: ergo non poteſt concipi, vt indifferens ad vnum, vel plura. Probatur min. Quia ratione irreceptibilitatis, & carentiæ materiæ natura Angelica eſt determinata ad vnum indiuiduum, vt ſæpè ſæpiùs diximus, ſed irreceptibilitas, & carentia materiæ eſt prædicatum commune, & genericum omni naturæ Angelicæ: ergo ſi cõcipitur cum tali prædicato, ratione illius eſt determinata ad vnum. Et quidem quando concipitur natura Angelica, non concipitur explicitè ſolùm eius differentia, ſed etiam genus,& maximè ſi concipiatur per ſuam diffinitionem, nam in diffinito quaſi in confuſo concipiuntur genus, & differentia.

538. Replicatur 2. admittendo irreceptibilitatem, & carentiam materiæ afferri in illo conceptu implicitè, & conſequenter afferri implicitè repugnantiam. Nam hoc ſufficit, vt non poſſit concipi quoad explicitum, vt indifferens. Quomodo ergo de eodem conceptu eſſentiali, de quo abſolutè verificatur determinatio ad vnum ex vi alicuius prædicati eſſentialis, quod actualiter habet, poteſt vèrificari indifferentia ad vnum, vel plura. quia tale prædicatum explicitè non affertur? Explico hoc. Si natura Angelica conciperetur, vt indifferens ad vnum, vel plura ex modo, quo concipitur; tunc intellectus per ſecundam operationem formaret hanc propoſitionem. Natura hæc ex modo, quo concipitur, & vt obiecta intellectui eſt indifferens ad vnum, vel ad plura: ſed hæc propoſitio abſolutè eſt falſa: ergo ex modo concipiendi, & vt obiecta intellectui, non eſt indifferens: pr. mi. Nam natura illa ex modo, quo concipitur,& vt obiecta intellectui, etiam reduplicatiuè,vt obiecta,non excludit repugnantiam ad plura, licet illam non explicet, ſi quidem implicitè illam imbibit, vt ſuppono: ergo de illa non poteſt verificari etiam cum reduplicatione indifferentia ad plura. Pr. conſequentia quia oppoſitum illius, quòd non excluditur, licet non explicetur, non poteſt verificari de aliquo ſubiecto, etiam ſub reduplicatione, nam reduplicatio explicat vnum, & aliud non excludit, & facit ſenſum, quòd ex parte illius prædicati reduplicati nec vnum, nec alterum petitur: ergo ſi repugnantia ad plura non excluditur ex vi illius reduplicationis, non poteſt verificari de natura indifferentia ad plura; ſed natura illa ex vi conceptus expliciti, neque repugnat pluribus,

ribus, nec eſt indifferens ad plura, ſed negatiuè ſe habet ex illa parte.

539. Replicatur 3. Nam ſi ſufficeret quòd ex vi conceptus expliciti, non afferretur repugnantia, ſequeretur, quòd natura diuina cõciperetur ex modo noſtro concipiẽdi, vt vniuerſalis. Prob. Sequela. Nam natura diuina prout concepta, & prout obiecta intellectui non affert repugnantiam ad plura, ſicut dicebant illi de natura Angeli: ergo ex modo concipiendi, & vt obiecta intellectui erit vniuerſalis. Hanc conſequentiam videtur concedere Caietanus cap. 5. de ente, & eſſentia quæſt. 9. ad 2. vbi poſt quam dixit, quòd natura Angelica eſt prædicabilis de pluribus, vt obiecta intellectui, ſubdit. [quinimo ipſa quidditas diuina hoc modo communis, & vniuerſalis eſt.] Nihilominus Thomiſtæ communiter illam conſequentiam negant, & reddunt aliqui diſparitatem dicendo, quòd natura Angelica eſt compoſita ex genere, & differentia, non autem natura diuina, & ideo illa ex modo intelligendi poteſt concipi, vt prædicabilis, non autem iſta, quæ omninò ſimpliciſſima eſt. Alij dicunt naturam diuinam, ex ratione actus puri, & infiniti, non poſſe concipi cum indifferentia ad plura, nam conciperetur cum potentialitate, & ideo etiam ex vi conceptus noſtri non obijcitur, vt vniuerſalis.

540. Contra. 1. ſolutionem replicatur, & ſimul contra. 2. Nam natura diuina, vt concepta per noſtros conceptus, per modum naturæ, & ad modum naturæ materialis compoſitæ, vt à nobis concipitur; non dicit explicitè repugnantiam cum compoſitione ex genere, & differentia, nec repugnantiam cum potentialitate: ex vi enim conceptus expliciti ſolùm affertur natura per modum naturæ: & repugnantia ad dictam compoſitionem, & potentialitatem oritur, tùm ex ſumma eius ſimplicitate: tùm ex ratione actus puri, quæ implicitè afferuntur in illo conceptu: ergo ſi in natura diuina ſufficit afferri implicitè dictam repugnantiam, ne dicatur vniuerſalis, ſufficiet etiam in natura Angelica. Explicatur hoc. Vt natura aliqua concipiatur, vt vniuerſalis, requiritur; quod ſit compoſita ex genere, & differentia, iuxta primam ſolutionem, & iuxta ſecundam requiritur, quod ſit potentialis, & contrahibilis per ſingularitatem, vt ſic poſſit concipi, vt indifferens; ſed eo præciſè, quòd ex vi conceptus impliciti afferratur repugnantia ad compoſitionem, vel potentialitatem, ſequitur quòd non poſſit dici vniuerſalis, vt contingit in natura diuina: ergo eo præciſè, quòd ex vi conceptus impliciti afferatur repugnantia ad plura, non poteſt denominari vniuerſalis.

Ecce fundamentum ſententiæ negatiuæ, veniamus ad fundamentum affirmatiuæ.

Digitized by Google

§. 4.

Proponitur fundamentum ſententiæ affirmatiuæ.

541. PRæcipuum fundamentum deſumitur ex noſtro modo cognoſcendi, cognoſcimus enim naturas ſpirituales ad modum materialis naturæ, & ita concipimus illas inadæquatè, & per varios, & diſtinctos conceptus. Ex quo infertur quòd conceptus, quo concipitur natura ſine ſingularitate, ex ſe repræſentet naturam illam cũ indifferentia. Et in primis docuit hanc ſententiam D. Tho. 1. p q. 13. art. 9. vbi diſtinguens communicabile ſecundùm rem, & rationem, & communicabile ſecundùm rationem tantùm, aſſerit naturas ſimplices eſſe communicabiles ſecundùm rationẽ tantum. Item in quæſt. de ſpirit. creat. art. 8. ad 4. ſic ait. [Sicut hæc albedo nõ prohibetur habere ſub ſe multa indiuidua ex hoc quòd eſt albedo, ſed ex hoc quòd eſt in hoc, quod pertinet ad rationem indiuidui; ita natura huius Angeli non prohibetur eſſe in multis ex hoc quod eſt natura in tali ordine rerũ, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc quòd non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto, quod pertinet ad rationem indiuidui.] Hæc D. Thomas, quæ verba [ait M. Ioan. à Sancto Thoma] clariora ſunt, quàm vlla indigeant ponderatione.

542. Ratio autem à priori ſic formatur. Natura Angelica concepta ſine ſingularitate, ex modo, quo eſt in intellectu, non eſt determinata ad vnum indiuiduum, ſed potius indifferens ad illud: ergo prout ſic conceptæ non repugnant illi plura indiuidua. Añs probatur ex D. Thoma in verbis immediatis vbi ait, quòd natura Angeli non prohibetur eſſe in multis, ex hoc quod eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei; ſed tunc cõcipitur, vt eſt in tali ordine rerum, & cum illo, quod pertinet ad rationem ſpeciei: ergo illa, prout ſic concepta, eſt indifferens. Et conſequentia prima probatur. Nam ſi prout ſic concepta eſt indifferens, non magis petit vnum, quàm aliud: ergo illi prout ſic conceptæ non repugnant plura.

543. Si autem dicas quòd adhuc non concepta ſingularitate, quia concipitur natura ipſa, quæ ex ſe, & eſſentialiter petit vnam ſingularitatem, concipitur etiam determinatio ad vnum, ſaltim per modum radicis, & hoc ſufficere ne concipiatur cum indifferentia. In contra eſt D. Thomas, qui expreſsè docuit ex parte ſpeciei Angelicæ non dari repugnantiam ad plura, benè autem ex parte indiuiduationis: ergo ſi nõ concipitur ſingularitas, quidquid aliud concipitur non dicit repugnãtiam ad plura. Et ratione probatur. Nam natura Angelica poteſt ita concipi, vt non concipiatur ex parte illius illa ratio radicis, ſaltem ita quòd nõ aſſeratur explicitè aliquid pertinens ad indiuiduationem. Sed tunc nihil ibi relucet ex parte illius conceptus, quod dicat repugnãtiam cum pluribus, quidquid enim aſſignetur repugnans pluribus, pertinet, vel radicaliter, vel formaliter

ad

Digitized by Google

ad indiuiduationem: ergo in natura ſic concepta nulla relucet determinatio ad vnum, ſed omnimoda indifferentia ex modo illo, quo eſt concepta.

544. Deinde probatur talis ſententia. Nam certum eſt, quòd datur aliquod indiuiduum naturę Angelicæ, quod directè ponatur in linea prædicamentali ſubſtantiæ: ſed non poteſt poni immediatè ſub genere: ergo ponitur immediatè ſub ſpecie aliqua: ſed talis ſpecies eſt ſuperior reſpectu illius ergo vniuerſalis, & prædicabilis reſpectu illius. Minor hæc ſubſumpta probatur. Nam talis ſpecies non prædicatur de indiuiduo tanquàm ęqualis, aliàs de indiuiduo Gabrielis, non prædicaretur ſpecies prædicatione ſuperioris de inferiori, ſed eſſet, quaſi prędicatio identica, ſicut quando indiuiduum prædicatur de indiuiduo: ergo eſt prædicatio ſuperioris de inferiori: ac proinde ſpecies illa comparatur vt ſuperior ad tale indiuiduum, & conſequenter, vt indifferens ad illud, & ad plura ex modo illo, quo concipitur, vt coordinetur in linea prædicamentali.

§. 5.

Vtraq; ſententia probabilis iudicatur, et vtriuſq; argumentis ſatis fit.

545. His fundamentis conſideratis, maximè inclinabar in ſententiam negatiuam, quam vt probabiliorem aliqui doctiſſimi ex noſtris Thomiſt. qui nondum ſua opera prelo mandarunt, elegerunt, quorum ſcripta vidi, quoſq; illam defendentes in publicis diſputationibus vidi. Cęterum, quia ſententia affirmatiua cõior eſt inter Thomiſtas, & illam videntur docere omnes antiqui diſcipuli D. Thomæ exiſtimantes eſſe iuxtà mentem Angelici Doctoris, ideo proprium iudicium deponens, hãc iudico probabiliorem, illam aũt ſatis probabilem, vt ex illius fundamentis conſtabit. Et vt magis appareat probabilitas vtriuſquè ſententię, ſatisfaciam argumentis vtriuſquè, eligat autem vnuſquiſquè quam maluerit.

546. Ad argumentum pręcipuum ſententiæ affirmatiuę dicendum eſt nõ ſolùm requiri quod natura Angelica concipiatur ſine ſingularitate, & modo actuali indiuiduationis, ſed ét quòd cognoſcatur ſine radice indiuiduationis, ſeu ſingularitatis actualis. Nam ſi ſola ſingularitas relinquitur à conceptu, & in ipſo relucet radix indiuiduationis, hęc ſufficiẽter fundat repugnantiam ad plura, vt probatur nu. 446. Quo circa ipſa irreceptibilitas, ſeu carentia materię, vt radix eſt indiuiduationis nõ debet cõcipi, nec concipitur à nobis, quando inadęquatè, & ad modum naturę materialis concipimus naturã Angelicã: fateor quòd ipſa irręceptibilitas, vt radix eſt indiuiduationis pertinet ad conceptum adęquatum naturæ Angelicæ, etiam prout antecedit ſuam indiuiduationem cęterum cõceptus ille naturę non adęquatè repræſentatur, ſed ſolùm id, quod pręcisè pertinet ad ſpeciem, & non radix illa indiuiduationis, & ideo nihil fundans repugnantiam ad plura relucet in illo conceptu in

inadæquato. Igitur, vt diſſoluantur omnes obiectiones poſitæ, debet notari diſtinctio illa in ipſa irreceptibilitate, & carentia materiæ, nempè, vt pertinet præcisè ad conſtitutionem ſpeciei, & vt radix eſt indiuiduationis, & vtraquè conſideratio anteuertit ſingularitatem, & pertinet ad conceptum adæquatum naturæ Angelicæ: At, vt cognoſcatur inadæquatè, ſufficit cognoſci naturam ſecundum illum cóceptum conſtitutiuum ſpeciei, & ex vi huius conceptus inadæquati nulla repugnantia affertur ad plura, ſed indifferentia ad illa.

547. At opponis. Nam conceptus ille primus inadæquatus eſſentialiter exigit ſecundum conceptum inadæquatum. Ex eo enim quòd natura Angelica eſt irreceptibilis, & carens materia, prout in ſua ſpecie conſideratur; infertur neceſſariò quòd ſit radix indiuiduationis adæquantis totam ſpeciem: ergo adhuc in illo conceptu in adæquato fundatur repugnantia ad plura. Reſpondeo illos duos conceptus inadæquatos non ſe mutuò excludere, licet mutuò non ſe explicent, & ita poteſt natura concipi inadæquatè quoad explicitum ſecundùm vnam rationem, & non ſecundùm aliam, & ſic natura Angelica concepta explicitè, vt conſtituta in ſua ſpecie, nondùm explicitè affert radicem indiuiduationis, quàmuis illam implicitè imbibat, & claudat, ac proindè ex parte illius conceptus expliciti affertur non repugnantia, ſeù, vt meliùs dicam, ex parte illius expliciti non affertur repugnantia. Igitur conceptus ille inadæquatus primus eſſentialiter exigit ſecundum, vt in ſe imbibitum, & clauſum.

548. Statim ſe offert inſtantia ſupra poſita de natura diuina, de qua videtur poſſe dici quòd ſit vniuerſalis. Siquidem quantùm ad explicitum conceptum illius non affertur aliquod prædicatum, cui repugnent plura. Qua ratione motus Caietanus expreſsè hoc fatetur de natura diuina, prout obiecta noſtro intellectui, ſicut de natura Angelica, vt conſtat ex dictis num 449. Quæ doctrina non mihi diſplicet ſi conſequenter ad ſupradicta diſcurrendum eſt. Sed quia alia via incedunt Thomiſtæ negantes vniuerſalitatem naturæ diuinæ, etiam prout obiectæ noſtro intellectui: idcirco reddenda eſt diſparitas conſiſtens in eo, quòd conceptus ille explicitus naturæ diuinæ eſt actualiſſimus, ſeu repræſentat naturam diuinam, vt actualiſſimam in illa linea conſtitutiua eſſentiæ, & ideo non poteſt concipi, vt indifferens, ſeu potentialis. Itaquè ipſa formaliſſima ratio naturæ diuinæ non tantùm claudit rationem actus puri, vt prædicatum implicitum, ſeu quaſi tranſcendentale; ſed etiam in ſuo formaliſſimo conceptu dicit explicitè ſummam actualitatē pertinentem ad lineam primam conſtitutiuam eſſentiæ. Diſtinguenda eſt igitur duplex ratio actus puri, altera communis omni prædicato diuino, & hæc implicitè affertur in conceptu naturæ: altera ratio actus puri ſpecialis, & propria in vno quoquè genere, ſeu linea, & hæc explicitè affertur in vno quoquè prædicato. Quo circa natura diuina explicitè dicit rationem actus puri pertinentem ad lineam eſſentiæ: & cum hac pugnat indifferentia, ſeu potentialitas

tialitas requiſita ex parte naturæ, prout conceptæ, vt denominetur vniuerſalis. At in conceptu explicito naturæ Angelicæ non affertur aliquid repugnans pluribus, & aliàs natura, vt concepta potentialis eſt, ideoquè capax vt denominetur vniuerſalis. Et per hanc doctrinam ſufficienter ſatisfactum eſt fundamentis, & obiectionibus adductis pro ſententia negatiua.

549. Ad fundamentum ſententiæ affirmatiuæ, vt reſpondeatur, ſemper inſiſtendum eſt in eo, quod quantùmuis præſcindatur natura Angelica, non poteſt præſcindi, ſaltim quoad conceptum implicitum, à radice indiuiduationis adæquantis ſpeciem. Et hæc ratio radicis implicite] ſaltim adducta in illo conceptu, impedit ne natura concipiatur, vt indifferens, licet ex parte illius, quod explicitè dicit natura Angelica, non fundet repugnantiam. Ad authoritatem D. Thomæ reſpondetur ſolùm docuiſſe, quòd ex illa parte, qua natura concipitur in tali ordine rerum, non dicit impedimentum ad plura, & hoc ſufficit, vt lato modò dicatur ſpecies, at quia ex altera parte dicit repugnantiam, nempè ex irreceptibilitate, & hæc debet concipi ſaltim implicitè ex vi eiuſdem conceptus, ideò abſolutè ponimus repugnantiam in natura, prout concepta. Itaquè D. Thomas non negat dari abſolutè repugnantiam in natura, ſed aſſerit non oriri hanc repugnantiam ex conceptu explicito naturæ, ſed ex altero pertinente ad indiuiduationem. Et debet intelligi de conceptu illo radicis indiuiduationis, qui eſt irreceptibilitas. Si quidem docet quòd natura prohibetur eſſe in pluribus, ex eo quod non eſt nata recipi in aliquo; in quo explicuit irreceptibilitatem, quæ radix eſt indiuiduationis. Si igitur ex hac ratione radicis oritur repugnantia ad plura, in ſententia D. Thomæ, & illa intimè clauditur, & imbibitur in conceptu naturæ Angelicæ, in illo ſemper eſt abſolutè repugnantia ad plura. Ex quo patet ad rationem illam à priori. Nam, cum à conceptu illo, quo cognoſcitur natura, non poſſit præſcindi, ſaltim quo ad implicitum, ratio illa radicis, hinc fit quòd quãtùmvis aliàs non cognoſcatur ſingularitas, vel explicitè non afferatur ipſa ratio radicis, nihilominus eſt abſolutè repugnantia. Qua doctrina diſſoluitur obiectio ibidem poſita.

550. Ad aliam rationem ibidem adductam reſpondeo naturam Angelicam poni in prædicamento, vt ſpeciem ſubijcibilem, eo quòd ponitur immediatè ſub aliquo genere, cui ſubijcitur, & ex illo, & differentia componitur ipſa natura Angelica. At reſpectu ſui indiuidui non comparatur, vt ſuperior, ſed potiùs vt æqualis. Nam ſuppoſita ſententia illa de immultiplicabilitate intra eandem ſpeciem, vnum indiuiduum continet totam ſpeciem, & tota ſpecies contenta eſt vnico indiuiduo, & ſic inter ſe adęquantur, ac proinde comparantur vt duo æqualia, & hæc eſt prædicatio æqualis de ęquali: hic Angelus eſt Michael, in qua natura Michaelis prędicatur de ſuo indiuiduo, nec tamen infertur, quòd ſit identica, ſeu materialis, nam, vt ſit formalis ſufficit diſtinctio pœnes conceptus explicitos, quę diſtinctio non tollit ęqualitatẽ.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum eſt in ſententia communi docente differentiam non conſtitui vniuerſalem in ordine ad ſpeciem, quam conſtituit, quia cum illa adęquatur, ſed in ordine ad inferiora ſpeciei, tunc hæc prædicatio eſt formalis [homo eſt rationalis,] & tamen prędicatur æquale de æquali, vt docet Colleg. diſcalc. diſput. 2. logicæ quæſt. 5. num. 46 & diſp. 7. quæſt. 3. num 25. & Mag. Ioann. à Sancto Thoma quæſt. 10. artic. 3. ſic in noſtro caſu talis prædicatio eſt formalis, & ſimul eſt ęqualis de ęquali, & poteſt dici prædicatio ſpeciei metaphyſicè loquendo de ſpecie, non autem logicè, nam in hac conſideratione exigit ſuperioritatem, & tandem illa prędicatio reduci poteſt ad prædicationem pertinentem ad ſpeciem prædicabilem logicæ, non autem ad illam pertinet per ſe, & directè, vt dictum eſt.

551. Concludo igitur dicendo, quòd vnaquęquè ex dictis ſententijs reducitur vltimò ad ſuum principium probabile. Affirmatiua ſiſtit in eo, quòd ex parte conceptus expliciti non affertur repugnantia, quidquid ſit de illo, quod implicitè adducitur, & hoc ſufficere, vt denominetur vniuerſalis ex modo eſſendi in intellectu. Negatiua nititur in eo quòd, licet ex parte conceptus expliciti non afferatur repugnantia, quia tamen affertur ex parte conceptus impliciti, à quo non poteſt prędſcindi, ideo non poteſt denominari vniuerſalis, ſeu ſpecies prædicabilis conceptus ille naturę, in quo ſaltim implicitè imbibitur talis repugnantia ad plura.

CONFERENTIA 5.

Vtrum diffinitio differentiæ aſsignata à Porphyrio conueniat differentijs infimis.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

552. INter varias diffinitiones differentię, quas aſſignauit Porphyrius, illa aptatur differentiæ, vt eſt tertium prędicabile, quę à nobis poſita eſt ſupra num. 69. videlicet, [eſt quę prędicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid] circa quam diffinitionem orta eſt magna diſſenſio inter logicos, an ſcilicet talis diffinitio conueniat omni differentię, tàm ſubalternę, quàm infimę, cum enim ſola differentia ſubalterna prędicetur de pluribus differentibus ſpecie, & infima de pluribus differentibus numero, hinc eſt quòd talis diffinitio ſoli ſubalternæ videatur poſſe aptari; cœterùm ex alia parte videtur quod Porphyrius non debeat iudicari diminutus in explicanda eſſentia differentiæ in communi, qua propter conantur multi diffinitionem Porphyrij ita

Digitized by Google

ita explicare, vt poſſit omni differentiæ conuenire.

553. P. Hurtado in logic. diſp. 6. ſect. 1. §. 3. ait quòd in hac re turpiter, vt ſæpiùs, errauit Porphyrius tradens diffinitionem differentiæ ſubalternæ omittens differentiam infimam. Nec ferre poſſum [ait iſte author] Caietanum, & Sotum tàm eſſe ſollicitos de authoritate Porphyrij, hominis quidem blaſphemi, & apoſtatæ, qui noctuæ more veritatis lumine cæcutiuit. Et referens explicationem eorum, ait. Sed malæ cauſæ peius patrocinium. Nunquid opus eſt ad hæc reſpondere? Iudicet doctus, qui tot, ac tantos viros inſignes legit defendentes, & explicantes doctrinam Phyloſoph. gentilium, eos vt ſcientiarum Magiſtros venerando. Iudicet prudens, qui neſcit inordinata verba proferre. Et pareamus illi, & deueniamus ad intentum.

554. In hac difficultate prima ſententia docet Porphyr. ſolam differentiam ſubalternam diffinijſſe. Cuius reddunt varias rationes, & congruentias. Hæc eſt communior ſententia, etiam inter Thomiſt. Secunda ſententia docet diffinitionem præfatam conuenire omni differentiæ, tam ſubalternæ, quàm infimæ, ſeu atomæ. Ad cuius explicationem varij modi adinuenti ſunt. Primus eſt, quem defendit Magiſt. Ioan. à Sancto Tho. quæſt. 10. artic. 2. Qui notat verba diffinitionis Porphyrij benè attendenda eſſe. Nam ſic ait. [differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus, & ſpecie differentibus in quale.] Ponderat enim non dixiſſe differentiam prædicari de pluribus differentibus ſpecie: ſed dixiſſe, [de pluribus, & differentibus ſpecie] qua propter illa particula, &, ponitur, vt fiat diſtinctio inter prædicari de pluribus abſolutè, & prædicari de differentibus ſpecie. Quo ſuppoſito ait, quòd prædicari de pluribus conuenit omni differentiæ ſubalternæ, & infimæ, & hæc eſt principalis pars diffinitionis, Illa vero additio, [& ſpecie differentibus] ſpecialiter ſubalternas indicauit. Et eſt ſenſus diffinitionis. Differentia eſt, quæ de pluribus prædicatur in quale, etiam ſi illa plura differant ſpecie. Et hoc fuit neceſſarium ad explicandam perfectè naturam differentiæ, in quantùm prædicatur in quale: nam cum prædicari in quale, ſit idem quòd prædicari per modum actualitatis, & formæ determinantis, & differentiæ ſubalternæ videantur habere rationem potentialitatis, reſpectu ſuarum ſpecierum, ideo, vt conſtaret etiam ipſas prædicari in quale, quia ſunt formæ genericæ, poſita eſt illa particula, &, quæ æquiualet, etiam, ad hoc intentum.

Iſte modus explicandi hanc diffinitionem clarus, & facilis eſt, & contra ipſum nihil difficultatis occurrit.

§. 2.

Modus dicendi D. Caietani explicatur, & defenditur.

555. SEcundus modus explicandi talem diffinitionem, ait quòd prædicari de pluribus differentibus ſpecie conuenit poſitiuè differentiæ ſubalternæ: & per non repugnantiam differentiæ infimæ. Et ita infima optimè explicatur per hoc quòd ſit *id*, cui non repugnat prædicari de pluribus differentibus ſpecie, ita vt non repugnantia ſit ea ratione, qua eſt differentia, non autem qua eſt talis differentia. Iſte eſt modus dicendi Caietani: quem ſequitur Magiſt. Soto, & explicat, & defendit Mag. Araujo, Magiſt. Petronius, & alij Thomiſtæ. Ad cuius intelligentiam notat Magiſt. Araujo lib. 3. metaph. quæſt. 4. artic. 5. num. 20. aliquas conditiones requiſitas, vt aliquid poſſit diffiniri per non repugnantiam alicuius, & omnes illas ad quinquè reducit Magiſt. Petronius lib. 5. logicæ quæſt. 3. art. 3. Prima eſt, quòd diffinitum non ſit merè abſolutum, ſed aliquomodo reſpectiuum, vt põa ad actus, & cauſa ad effectus. Secunda, quòd in actibus, vel effectibus ſit latitudo pœnes magis, & minùs in perfectione, vt ſic diffinitio poſſit dari per perfectiſſimum. Tertia, quòd diffinitio non detur per actum imperfectiorem, ſed per perfectiſſimum. Quarta, & præcipua conditio eſt; quòd id, quod reduplicatur in ratione, cui non repugnat diffinitio, ſit ipſum diffinitum ſecundùm ſuam ſpeciem, & non ſecundùm rationem genericam, vel ſuperiorem. Quinta, quòd alicui contento ſub diffinito conueniat poſitiuè talis ratio.

556. His præiactis conditionibus notandum eſt 1. quòd differentia ſubalterna, & infima, ſeu atoma non diſtinguuntur ſpecificè, ſeu eſſentialiter, ſed tantùm materialiter, & ex parte ſubiecti: nam eadem in ſpecie ſecunda intentio inuenitur in diuerſis ſubiectis, ſi inueniatur in illa differentia, quæ ſub ſe habet plures ſpecies, v. g. ſenſibile, dicitur differentia ſubalterna, ſi autem illa ſecunda intentio reperiatur in illa differentia, quæ ſub ſe habet plura indiuidua, dicitur differentia infima, ſeu atoma, ac proinde diuiſio differentiæ in ſubalternam, & infimam eſt accidentis in diuerſa ſubiecta, ſeu materialia. Notandùm eſt 2. quòd actus proprius differentiæ, vt eſt tertium prædicabile, ſeu ſecundæ intentionis conſtitutiuæ tertij prædicabilis, eſt prædicari actu de pluribus differentibus in quale quid, & iſte actus in omni materiali inuenitur: cæterùm eſt latitudo in iſto actu, nam aliquando prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & actus iſte eſt perfectiſſimus, & poſitiuè conuenit differentiæ ſubalternæ, ideſt, actus ille exercetur à ſecunda intentione, quando eſt in illo ſubiecto, quod ſub ſe habet plures ſpecies: at ſi ſecunda intentio in ſua ſpecifica, & eſſentiali ratione conſideretur, dicit non repugnantiam cum illo actu, & conſequen-

quenter quando inuenitur in illo ſubiecto, quod ſub ſe tantùm habet indiuidua, & non ſpecies, tunc dicitur, quòd talis actus non repugnat illi, ea ratione, qua eſt differentia, ita vt ratio illa, reſpectu cuius verificatur ipſa non repugnantia, ſit ipſa ratio ſpecifica ſecundæ intentionis. Alter actus ſecundæ intentionis eſt prędicari de pluribus differentibus numero, & iſte eſt imperfectus, & competens poſitiuè differentiæ atomæ, ſeu infimæ.

557. Igitur prædicta diffinitio explicat eſſentiam differentiæ in ordine ad actum perfectiſſimum, qui actus poſitiuè competit ipſi differentiæ in aliquo ſubiecto, nempè in differentia ſubalterna, & per non repugnantiam competit ipſi differentiæ atomæ, ſeu infimæ, ea ratione, qua eſt differentia. Et ſenſus diffinitionis eſt. Proprius actus differentiæ eſt prędicari de pluribus, & pertingere poteſt ad prædicandum de pluribus differentibus ſpecie. Cum igitur iſte ſit actus perfectiſſimus, non requiritur, quòd conueniat tali ſecundæ intentioni, quæ comparatur, vt actus primus, in omni ſubiecto, ſed ſufficit quod conueniat ipſi exiſtenti in aliquibus, & quòd quantùm eſt ex parte ipſius ſecundæ intentionis non repugnet talis actus perfectus, vbicunq; reperiatur. Et ſanè, quidquid ſit de mente Porphyrij, iſte modus diffiniendi optimus eſt ad explicandam naturam, & quidditatem alicuius potentiæ reſpicientis plures actus. Exemplum adducitur cõiter in põa iaculatiua, ſeu motiua, nam ſi numerentur omnes paſſus, ad quos poteſt ſe extendere perfectiſſima virtus motiua, & ſint, v. g. centum, tunc ſic illa poteſt diffiniri. [Eſt id, quod ſe extendit ad centum paſſus] & talis actus conueniet poſitiuè perfectiſſimæ potentiæ, non verò põæ imbecilli, & infirmæ, niſi tantum per non repugnantiam, nam ille actus perfectus non repugnat illi põæ ratione ſuæ ſpeciei, ſed ratione infirmitatis, & imbecillitatis. Ita in noſtro caſu diffinitur ſecunda intentio differentię per modum cuiuſdam potentiæ reſpicientis plures actus, & in ordine ad actum perfectiſſimum explicatur eius eſſentia. Iſtum autem modum diffiniẽdi rem per aliquid competens per non repugnantiam eſſe optimum oſtendit Magiſt. Petronius aliquibus exemplis deductis ex doctrina Ariſtotelis, & D. Thomæ, quæ in ipſo videri poſſunt, & in ſolutione argumentorum contra iſtum modum aliquid dicemus iam.

558. Contra iſtum dicendi modum aliqua obijciuntur, quæ facilem ſolutionem habent ex dictis, & idcircò breuiter omnes obiectiones proponam. Primò obijcitur. Nam diffinitio, vt ſit bona, debet explicare id, quòd poſitiuè conuenit rei diffinitæ, maximè ſi res ſit aliquid poſitiuum, eius eſſentia aliquid poſitiuum erit: ergo diffinitio explicans talem eſſentiam, debet afferre aliquid poſitiuè illi competens: ergo nulla eſt recta diffinitio, ſi rem poſitiuam explicet per aliquid competens illi per non repugnantiam. Et vrgetur hoc. Nam explicare naturam alicuius rei per aliquid, quod non repugnat illi ſecundum rationem communem cum alijs, & repugnat illi ſecundum ſpecialem rationem, non eſt explicare illius eſſentiam: ergo explicare

Digitized by Google

eſſentiam differentiæ infimæ, ſeu atomæ per prædicari de pluribus differentibus ſpecie, quod non repugnat illi ſecundum rationem communem differentiæ, & repugnat illi ſecundum rationem propriam differentiæ atomæ nō eſt explicare illius eſſentiam. Pr. añs. Nam illa non repugnantia eſt quid commune omni habenti talem rationem communē: ergo ex hac parte non explicatur propria quidditas illius rationis particularis, & ex alia parte repugnat ipſi rationi particulari: ergo nullatenus explicat rationem ſpecialem illius rei.

559. Secundò obijcitur. Nam ſi talis modus diffiniendi eſſet bonus, ſic poſſent formari diffinitiones, v.g. homo eſt irrationalis, equus eſt rationalis. Pr. Sequela. Nam licet irrationalitas repugnet homini ſecundum propriam, & ſpecialem rationem, illi tamen ſecundum rationem communem animalis non repugnat, & è contra licet equo repugnet rationalitas ſecundū rationē ſibi propriam, non tamen repugnat ſecundū rationē cōmunem, ſed propter hanc non repugnantiam ex parte differētiæ ſecūdum rationem communem, dicitur illa diffinitio conuenire differentiæ atomæ, ſeu infimæ: ergo propter eandem erunt bonæ diffinitiones prædictæ. Quod quàm falſum ſit, ex ſe eſt manifeſtum.

560. Tertiò obijcitur. Nam eadem ratione ſi differentia diffiniretur per prędicari de pluribus differentibus ſolo numero, talis diffinitio conueniret differentiæ ſubalternæ. Pr. Sequela. Nam prædicari de pluribus differentibus ſolo numero non repugnaret ſubalternæ, quatenus differentia eſt, licet repugnaret quatenus talis eſt; ergo ſi differentia diffiniretur per prædicari de differentibus ſolo numero etiam poſſet applicari ſubalternæ, ſicut applicatur infimæ, quando diffinitur per prædicari de pluribus differētibus ſpecie: non .n. videtur maior ratio vnius, quam alterius. Et tandem prædictum modum diffiniendi per non repugnantiam non obſeruauit Porphyrius diffiniens alia prædicabilia: ergo nec diffiniens differentiam.

561. Ad primam obiectionem reſpondeo in præfata diffinitione explicari aliquid poſitiuū, per quod conſtituitur ipſa ratio ſpecifica ſecundę intentionis differentiæ, nēpè ordo ad actum prędicandi, in quale quid, de pluribus, & per hoc ſufficienter explicatur ratio ipſa ſpecifica differentiæ infimæ: & huic etiā rationi ſpecificę conuenit poſitiuè ordo ad illum actum, qui eſt prædicari de pluribus differētibus ſpecie. Cęterùm actus iſte poſitiuè conuenit illi rōi ſpecificæ, quando eſt in vno ſubiecto, & quando eſt in alio ex parte ſua non repugnat, licèt repugnet ex parte ſubiecti. Vbi valdè notandum eſt quod prędicta non repugnantia non verificatur de differentia infima ſecundum aliquam rationem genericam, ſed ſecundum rationem ſpecificam, nam eſſe infimā eſt tantum à ſubiecto in quo reperitur. Et in hoc æquiuocantur, qui hunc dicendi modum impugnant. Ex quo infertur quomodo aliquid poſitiuum explicetur in tali diffinitione, & quid ſit illud, quod non repugnat.

562. Ad ſecundam obiectionem conſtat quomodo prædictæ diffinitiones ſint vitioſæ, deficiunt enim omnes conditiones ſupra poſitę, vt aliquid poſſit diffiniri per aliquid ſibi non repugnans. Et ſufficiat

modò

Digitized by Google

modò dicere quòd id quod aſſignatur, cui non repugnat differentia illa, eſt ratio generica diffiniti, & requirebatur eſſe ipſam rationem ſpecificam, vt contingit in noſtro caſu, nam ipſa ratio ſpecifica differentiæ infimæ eſt cui non repugnat actus ille poſitus in diffinitione. Ad tertiam obiectionem reſpondeo, quòd vt diffinitio afferens aliquid non repugnans, ſit bona requiruntur conditiones ſupra poſitæ, quarum vna eſt, quòd diffiniatur in ordine ad actum perfectiorem, & cum prædicari de pluribus numero ſolo differentibus comparetur, vt actus imperfectus, ideo talis diffinitio non eſſet bona ſi daretur per prædicari de pluribus differentibus ſolo numero. Ad id, quòd vltimò additur reſpondeo, quòd alia prædicabilia non reſpiciunt plures actus inter quos ſit latitudo pœnes magis, aut minus. Nā genus reſpicit ſolùm plura diſtincta ſpecie, & ſpecies plura diſtincta numero, & ſic de alijs, & ideò non eſt eadem ratio. Prçter quàm quod ſi ſit aliquod prçdicabile, quod reſpiciat plures actus inçquales in perfectione, vt videtur proprium reſpicere, non contradico quòd etiam poſſit diffiniri modo dicto, licet de facto non ita ſit diffinitum. Nam vterquè modus diffiniendi optimus eſt, aliquando poſſumus vti vno, & aliquando altero.

Et hæc ſufficiant pro explicatione, & defenſione illius modi explicandi dictam diffinitionem.

§. 3.

Explicatur, & defenditur alius modus dicendi.

563. Tertius modus explicandi prçdictam diffinitionem reijcitur communiter à logicis, ſed mihi videtur ſatis probabilis, & conſonus ipſi formali rationi differentiæ, & ideo illú in prçſenti explicabo, & defendam. Igitur illa particula [de pluribus differentibus ſpecie] debet intelligi de differentibus ſpecie ab alijs, & non inter ſe. Ita vt ſenſus ſit, differentia eſt quæ prædicatur de pluribus, quæ differunt ſpecie ab alijs alterius ſpeciei, & hoc modo conuenit differétiæ infimæ Rationale .n. prædicatur de Petro, & Paulo, qui differunt ſpecie non inter ſe, ſed ab equo, leone, & alijs. Hanc explicationē vocauit M. Albertus extortam, & ſic eā nomināt Colleg. diſc. M. Ioa. à S. Tho. & alij. Et Magiſt. Sanchez ait eſſe ſubtilitatem nimis craſſam. Nihilominus exiſtimo talem explicationem eſſe ſatis probabilem, vt conſtabit ex iam dicendis.

564. Ad cuius explicationem notandum eſt quòd differentia habet plures actus, primus eſt diuidere genus, ſecundus conſtituere ſpeciem, & tertius illam diſtinguere ab omni alio, v. g. rationale diuidit animal, conſtituit hominem, & illum diſtinguit ab omni alio, v. g. à leone, equo, & alijs. Ex quo ſequitur quòd omnia indiuidua contenta ſub tali ſpecie differant ſpecie per talem differentiam ab omnibus indiuiduis contentis ſub alijs ſpeciebus. Hoc enim certiſsimum eſt, & conſtat

ſtat ex ipſa ratione formali differẽtiæ. Igitur ſẽſus diffinitionis iſte eſt, differentia prædicatur de pluribus, quæ differunt ſpecie per ipſam differentiam, quæ prędicatur de illis, ſed per ipſam differentiam non differũt ſpecie inter ſe, ſed ab alijs, v.g. per rationale, Petrus, & Paulus non differunt ſpecie inter ſe, ſed ab alijs: ergo illa particula intelligitur de pluribus differẽtibus ſpecie ab alijs. Confirmatur, & explicatur hoc. Nã ſi præfata particula intelligitur de pluribus differentibus ſpecie per ipſam differentiam, & conſequenter differentibus ſpecie ab alijs, optimè explicatur ipſa quidditas ſecundæ intentionis differentiæ: ergo ſic poteſt optimè intelligi. Pr. Añs. Nam ſecundæ intentiones logicæ optimè explicantur per conceptum naturæ illius, ſupra quam fundãtur, quinimo prędictæ intentiones diſtinguuntur ſpecie pęnes diſtinctam formalitatẽ naturæ in qua fundantur, ſeu quam denominant, vt ſupra dicebamus nu. 52. & docet Colleg. diſcalc. diſp. 4. q. 6. nu. 48. Sed conceptus formalis differentiæ metaphyſicè cõſideratę eſt facere differre ſpecie ea, in quibus inuenitur, ab alijs contentis in alijs ſpeciebus: ergo ſecunda intẽtio differentię optimè põt explicari per talem conceptum differentiæ, quam denominat. Et tunc erit ſẽſus diffinitionis: ſecunda intentio differentiæ eſt, quæ prędicatur de pluribus, quę ipſa differentia facit differre, & conſequenter intelligetur prędicta particula de differentibus ſpecie non inter ſe, ſed ab alijs. Quę explicatio conformis eſt ipſi formali rationi differentiae conſideratæ metaphyſicè, & pro fundamento ſecundæ intentionis. Cuius modi probabilitas magis conſtabit ex ſolutione obiectionum contra ipſum.

565. Primò obijcies. Nam rationale, v.g. non prędicatur de Petro, & Paulo, quatenùs differunt ſpecie ab equo, & leone, ſed quatenus inter ſe numero differunt: ergo talis explicatio eſt extorta. Pr. antecedẽs. Nã ſi per impoſſibile Petrus, & Paulus nõ diſtinguerentur ſpecie ab alijs neq; eſſet aliqua alia ſpecies diſtincta, prędicaretur rationale de illis: ergo hæc differentia non prędicatur de illis quatenus differunt ab alijs. Confirmatur hoc. Nam hæc propoſitio Petrus, & Paulus ſpecie differunt, ſic debet exponi, Petrus eſt alicuius ſpeciei, & Paulus eſt alicuius ſpeciei, & Petrus non eſt eiuſdem ſpeciei cum Paulo: ſed iſta vltima propoſitio exponens eſt falſa: ergo illa particula [de pluribus differentibus ſpecie] non poteſt verificari de Petro, & Paulo.

566. Secundò obijcies. Nam in hac diffinitione diffinitur differentia, vt vnum ex quinq; prædicabilibus: ſed in diffinitionibus aliorum diuerſitas requiſita ex parte termini, attenditur inter ipſa inferiora, & non in ordine ad alia, de quibus non prædicatur tale prædicabile: ergo ita verificanda eſt diuerſitas ex parte termini, quẽ reſpicit differentia. Mi: pr. diſcurrendo per ſingulas diffinitiones, nam quãdo dicitur, quòd genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, intelligitur de differentia inter ipſa de quibus prædicatur genus, & ſimiliter de alijs: ergo &c. Confirmatur hoc. Nam ratio vniuerſalis in communi eſt reſpicere plura inter ſe diſtincta; & hanc rationem debent determinare ſpecies vniuerſa[...]: ergo differentia, quę eſt ſpecies vniuerſalis, debet reſpicere plura etiam inter ſe diſtincta, licet illa tali modo ſpecifico ſibi proprio reſpiciat.

567. Ter-

Digitized by Google

567. Tertiò obijcies aliqua inconuenientia, quæ ſequuntur ex tali explicatione. Primum eſt. Nam etiam poſſet verificari, quod differentia prædicetur de pluribus differentibus genere. Prob. Sequela. Nam quia Petrus, & Paulus differunt ſpecie ab alijs, verificatur, quòd differentia, quæ prædicatur de illis, prædicetur de pluribus differentibus ſpecies, ſed etiam Petrus, & Paulus differunt genere ab alijs, nempè à lapide, & à ligno: ergo eadem ratione poteſt verificari, quòd differentia prædicetur de pluribus differentibus genere, quod eſt maximum abſurdum. Secundum inconueniens eſt, quod genus generaliſſimum prædicaretur de pluribus differẽtibus genere: quod probatur. Nam illud prædicatur de ſuis inferioribus, tanquàm ratio faciens differre illa ab alijs rebus aliorum prædicamentorum, ſed generaliſſima genera differunt inter ſe genere ſe ipſis, & non per aliàs differentias: ergo abſolutè poſſet dici quòd prædicatur genus generaliſſimum de pluribus differentibus genere per ipſum genus generaliſſimum. Tertium inconueniens eſt, quod etiam poſſet verificari de ſpecie, quòd prædicetur de pluribus differentibus ſpecie. Probatur Sequela. Nam ſpecies prædicatur de eiſdem, de quibus prædicatur differentia, v. g. rationale, & homo habent eadem inferiora, quæ ſpecie differunt ab alijs; ergo ſicut verificatur de differentia prædicari de pluribus differentibus ſpecie, poteſt verificari de ſpecie ipſa.

568. His non obſtantibus prædictus modus dicendi defenditur. Et ad 1. obiectionem reſpondeo negando antecedens. Ad eius probationem, dico quod in tali caſu non eſſet extremum reſpectu cuius exerceretur actus ille faciendi differre, nihilominus ipſa differentia, quantùm eſt ex parte ſua hoc præſtaret, vt ſi talia eſſent, ab illis different Petrus, & Paulus per talem differentiam, & hic eſt proprius, & eſſentialis conceptus differentiæ, & ſufficit, vt verificetur Petrum, & Paulum differre ſpecie ab omni alio, quod non continetur ſub tali ſpecie. Et quidem hoc argumentum tenentur ſoluere omnes logici, qui fateri debent proprium actum differentię, illiq; eſſentialẽ, eſſe facere differre. Quid ergo dicent in caſu, quo non ſit extremum reſpectu cuius ſit talis actus? Hoc dico in meo caſu. Ad cõfirmationem reſpondeo, quòd quando illa exponibilis intelligitur de differentia Petri, & Pauli inter ſe, tunc ibi rectè exponitur, & in illo ſenſu eſt falſa; quando verò, intelligitur de differentia illorum ab alijs, tunc alio modo debet exponi.

569. Ad 2. obiectionem reſpondeo negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt. Nam alia prędicabilia dicunt aliquam rationem, in qua inferiora conueniant inter ſe, & ideo ipſa inter ſe debent eſſe diuerſa, vt poſſint terminare relationem vniuerſalis, ſeu prædicabilis. At hoc eſt peculiare differentiæ. ſ. facere differre ipſa, in quibus inuenitur, & conſequenter relatio rationis terminatur ad ipſa inferiora, vt ſunt diſtincta per ipſam differentiam, ac proinde non reſpicit ipſa, vt inter ſe diſtincta ſunt, ſed vt illa diſtinguuntur ab alijs, licet materialiter exigat diſtinctionem illam numericam indiuiduorum. Ad confirmationem reſpondeo de ratione vniuerſalis eſſe

reſpi-

Digitized by Google

reſpicere plura, & differentia ex propria ratione reſpicit talia plura, non vt inter ſe ſunt diſtincta, ſed vt diſtincta ab alijs. Vniuerſale .n. ſolùm dicit reſpectũ ad plura, quòd autem iſta plura reſpiciantur, vt inter ſe differunt, vel vt differunt ab alijs, non exigitur ex ratione vniuerſalis, ſed prouenit ex particulari ratione vniuerſalis, vt dictum eſt.

570. Ad 3. obiectionem reſpondeo nullum inconueniens ex illis ſequi ex hac explicatione: Non primum, nam iuxta illam differentia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie ab alijs, eo quod eſt proprius effectus formalis differentiæ facere differre ea, in quibus eſt, ſpecificè ab alijs; non tamen facit differre genere, & ideo verificatur vnum, & non aliud. Itaquè prædicatur differentia de illis, vt differentibus per ipſam differentiam, & ideo quàmuis illa indiuidua aliàs ſint diſtincta genere, quia tamen hoc non prouenit ab ipſa differentia, ideo non verificatur quod prędicetur de pluribus differentibus genere, benè autem differentibus ſpecie. Nec ſequitur ſecundum inconueniens. Nam genus generaliſſimum ex proprio modo prædicandi reſpectu ſuorum inferiorum ſolùm explicitè affert conuenientiam, licet implicitè afferat differentiam, & ideo eſt diſpar ratio, nam differentia explicitè affert conceptum, in quo ipſa inferiora differunt ab alijs, & ſicut ipſa ratio conuenientiæ explicitè adducta conſtituit illud genus, ita conſtituit illud in ratione dicentis conuenientiam ſuorum inferiorum. Deniquè non ſequitur tertium inconueniens. Nam licet differentia, & ſpecies prædicentur de eiſdem, non autem eodem modo. Nam ex conceptu proprio ſpeciei affertur tota quidditas, vt communis omni indiuiduo, at ex conceptu differentiæ affertur formaliſſimè id per quod ſpecies, & indiuidua differunt, & idcirco ſpecies reſpicit inferiora, vt conuenientia in ratione ſpecifica, & differentia reſpicit illa, vt diuerſa & diſtincta per ſe ipſam: ſpecies enim dicit totam quidditatem, & differentia partem illam quidditatis, à qua prouenit diſtinctio. Conſtat igitur prædictum modum explicandi talem diffinitionem eſſe ſatis probabilem, & congruum ipſi rationi formali differentiæ, vt diſtinctæ ab alijs prædicabilibus. Eligat vnuſquiſq; quam maluerit, quidquid ſit de mente Porphyrij, nam in præſenti poſſumus diſputare an prę fata diffinitio in aliquo ſenſu congruo, & accommodato poſſit verificari de differentia infima, ſeu atoma, & conſtat ex dictis poſſe, & ideo ſit quidquid ſit de mente Porphyrij.

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS:

Vtrum conditiones analogorum ſint rectè aſſignatæ à nobis ſupra á numero 95.

Proœmium.

571. INTER diffinitiones ante prędicamentales appoſuit Ariſtoteles diffinitionem analogorũ, cuius occaſione Metaphyſici,& Logici in ante prædicamentis agunt de analogis in communi, illa diffiniendo, diuidẽdo, & de illis varias conditiones tradendo. De quibus D. Caietanus edidit ſpeciale opuſculum nunquàm ſatis dignè laudatum; quem in hac parte ſequemur, & explicabimus. At, quia ens eſt diuiſum in decem prædicamenta, etiam agitur in antepradicamentis de analogia entis in communi tàm reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, quam Dei, & creaturarum. Et, quamuis hoc proprium ſit munus metaphyſici, nihilominus vſus obtinuit, vt etiam logici de eodem tractent, & idcirco plures difficultates circa analogiam entis diſputabimus. In primis examinabimus conditiones analogorum communiter aſſignatas, & deinde cauſam analogiæ inueſtigabimus. De ente diſputabimus an ſit analogum & qua ſpecie analogię,& tandẽ determinabimus an ens habeat aliquẽ conceptum præciſum à ſuis inferioribus.

CONFERENTIA I.

Vtrũ conditiones analogorum ſint rectè aſſignatæ à nobis ſupra à num. 95.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

572. BReuiter propoſuimus ſup. lib. 3. cap. 4. diffinitiones, & diuiſiones analogorum, & conditiones præcipuas

pro vnaquaq; ſpecie illorum, inter quas vna eſt pro analogis proportionalitatis propriæ, quod ratio ſignificata per nomen ſit intrinſecè in analogatis, & è contra pro analogis proportionis eſt altera. ſ quòd ratio ſignificata per nomen ſit intrinſecè in vno, & in alijs extrinſecè: exemplum primæ conditionis eſt in ente, vt eſt analogum proportionalitatis, ſignificat rationem entis, quæ intrinſecè inuenitur in ſubſtantia, & accidenti, in Deo, & in creaturis. Exemplum ſecundę eſt in ſano, quod ſignificat ſanitatem, quæ intrinſecè eſt in animali, & in vrina, & medicina extrinſecè per modum termini quem reſpiciunt, & à quo extrinſecè denominantur. Quæ doctrina communiter recipitur à Thomiſtis, vt certa, & indubitata.

573. Nihilominus aliqui Authores docent non verificari in omnibus analogis attributionis, quòd ratio ſignificata ſit intrinſecè in vno, & in alijs extrinſecè. Ita P. Suarez in metaph. diſp. 28. ſect. 3 nu. 13. & 17. & diſputatione 32. num. 12. & 14. Item dicta diſputatione 28. nu. 11. affirmat nullam eſſe analogiam proportionalitatis propriæ, ſed in omni debere includi aliquid metaphoræ, & improprietatis, & pro hac parte Colleg. diſcalciatum diſp. 10. logicæ quæſt. 4. refert Cabero in logica tract. 4. diſp. 2. dub. 3. in fine. De aliis verò conditionibus non eſt ſpecialis difficultas, nam illæ ſequuntur ex iſta, quòd ſi hæc verificatur, vt à nobis ponitur, facilè eſt illas verificare, vt conſtabit ex dicendis.

§. 2.

Reſoluitur difficultas.

574. PRo reſolutione veritatis ſit prima concluſio. De omni analogo attributionis, formaliter vt tali, debet verificari prædicta conditio, ſcilicet, quòd ratio ſignificata per nomen ſit intrinſecè in vno, quod eſt principale analogatum, & in alijs ſit extrinſecè, quatenus aliquomodo reſpicitur ab illis, & ſic illa denominet. Hæc concluſio communiter admittitur à Thomiſtis ſequentibus D. Thomam, & Caietanum. Videantur Colleg. diſcalc. diſput. 10. logicæ qu. 4. Magiſt. Araujo lib. 4. metaph. q 2. art. 2. M. Ioa. à S. Tho. quæſt. 13. logicæ art. 4. Et iſti plures alios Authores antiquos, & modernos referunt. Et in primis fauet noſtræ concluſioni D. Thomas pluribus in locis relatis à prædictis Authoribus, ſufficiat pro nunc adducere verba ipſus lib. 4. metaph. lect. 1. vbi loquens de analogis attributionis, quæ ſignificant diuerſas habitudines ad vnum, ſic ait [Item ſciendum quòd illud vnũ, ad quod diuerſæ habitudines referuntur in analogicis, eſt vnum numero, & non ſolum vnum ratione, ſicut eſt vnũ illud, quod p nomẽ vniuocũ deſignatur. Et hoc patet exemplis infra poſitis] Hęc D. Th & ſubdit hujus doctrinæ exẽpla quàm plura. Ex quibus ſic formatur ratio, ſiuè attributionis. Illud vnum, ad quod diuerſæ habitudines referuntur, eſt vnum numero: ergo non poteſt eſſe intrinſecè in omnibus analogatis: ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem eadem numero forma non poteſt eſſe intrinſeca pluribus, ſed ad ſummum intrinſeca vni, & reſpectu aliorum poteſt extrinſecè cōparari. Cum igitur hoc debeat inueniri in prædictis analogis, cōns eſt iuxta mentem D. Thom. veram eſſe prædictam conditionem.

575. Prob. 2. concluſio ratione à priori deducta ex ipſa quidditate analogiæ attributionis. Nam hæc non inuenitur, niſi quando plura reſpiciunt vnum, à quo talia denominantur, ſed forma illa conſtituens illud vnum in ratione termini illius reſpectus, non poteſt eſſe intrinſeca niſi in illo, in quo ſubiectatur, & extrinſeca illis, à quibus reſpicitur, vt terminus: ergo non poteſt eſſe intrinſeca in omnibus. Ma. pr. ex ipſa diffinitione. Analoga, attributionis ſunt illa, [quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata eſt eadem ſecundùm terminum, & diuerſa ſecundùm habitudinem ad illum.] Quæ diffinitio admittitur ab aduerſarijs, ideoquè vocatur analogia attributionis, quia plura per attributionem, vel habitudinem ad vnum, denominantur. Et mi. pr. Nam forma intrinſeca eſt ſoli ſubiecto, in quo inhæret, & extrinſecè omnino comparatur ad omnia illa, quæ illam reſpiciunt, vt terminum: ergo forma illa, qua conſtituitur illud vnum, quod reſpicitur, ſolùm eſt intrinſecè in ſuo ſubiecto.

576. Confirmatur hoc, & explicatur. Nam certum eſt quòd à forma quæ intrinſeca eſt in vno, poſſunt alia extrinſecè denominari, & tūc hæc denominabūtur talia per reſpectum ad illud vnum, in quo eſt intrinſecè forma illa: at in hoc ſita eſt formaliſſima ratio analogiæ attributionis, vt ipſum nomen [attributionis] manifeſtat: ergo niſi ita inueniatur, non erit analogia attributionis in hoc ſenſu à nobis dicto, in quo Thomiſtæ accipiunt analogiam attributionis. Et quidem fateor quod analogia inueniri poteſt, etiam ſi ratio analoga inueniatur intrinſecè in omni analogato. At hæc non eſt analogia attributionis, ſeù vt melius loquar, hæc non dicitur analogia attributionis. Nā nos Thomiſtæ intelligimus hanc analogiam, quando vnum, vel plura denominantur per reſpectum, vel habitudinem ad aliud, & hic reſpectus, ſeu habitudo dicitur attributio. At quando vnūquodq; analogatum denominatur à forma ſua intrinſeca, tunc non dicitur tale per attributionem ad aliud. Quòd ſi aduerſarij inſtent dicentes talem analogiam debere dici attributionis, erit quæſtio de ſolo nomine; at Thomiſtæ meliùs loquuntur, ſiquidem ſequuntur communem modum loquendi D. Thom. & aliorum.

577. Secunda concluſio. Analogia proportionalitatis poteſt inueniri abſquè vlla improprietate, ſeu metaphora: Hæc concluſio eſt communis Thomiſtarum, & colligitur ex D. Thom. in omnibus illis locis, in quibus docet dari analogiam, etiam ſi ratio intrinſecè participetur ab analogatis, & etiam in illis, in quibus analogiam entis reducit ad tranſcendentiam, de quibus dicemus conferentia ſequenti. Et probatur ratione. Nam analogia proportionalitatis poteſt reperiri proueniens ex ſola tranſcendentia rationis analogæ: ſed tunc nulla datur improprietas, ſeù metaphora in participatione illius rationis: ergo poteſt inueniri analogia proportionalitatis abſquè ali-

Digitized by Google

qua improprietate, vel metaphora. Minor conſtat. Nam quando ratio aliqua eſt tranſcendens, imbibitur, & clauditur intrinſecè in omni ſibi inferiori, in cuius participatione nulla poteſt eſſe improprietas, aut metaphora. Et maior probatur. Nam quòd tranſcendentia cauſet analogiam conſtabit ex dicendis conferentia ſequenti, & etiam conſtabit eſſe analogiam proportionalitatis. Et nunc breuiter oſtenditur. Nam talis analogia non poteſt eſſe attributionis, ſiquidem analogata denominantur à proprijs rationibus intrinſecè, & non vnum per attributionem ad aliud iuxta proximè dicta: ergo erit analogia proportionalitatis, niſi ſit quæſtio de modo loquendi.

578. Ex dictis infertur alias conditiones aſſignatas pro analogis attributionis optimè verificari. Nam ſi ratio analoga inuenitur intrinſecè in vno, quod eſt principale analogatum, & in alijs extrinſecè, & per modum termini reſpecti, optimè ſequitur talia analogata minùs principalia diffinienda eſſe in ordine ad analogatum principale, verbigratia. Sanitas intrinſecè eſt in animali, & in ordine ad ſanitatem animalis diffinitur vrina, vt ſana, dicendo, vrina eſt ſignum ſanitatis animalis, & medicina eſt cauſa ſanitatis animalis. Cœterum propter oppoſitam rationem in analogis proportionalitatis, cum ratio analoga ſit intrinſecè in omnibus analogatis non requiritur vnum per aliud diffiniri. Item, quia vna, & eadem forma poteſt inhærere intrinſecè in vno, & alia extrinſecè denominare, ideo in analogis attributionis ſufficit vna numero forma ſignificata, quæ intrinſecè ſit in principali analogato, & denominet extrinſecè alia minùs principalia. At quia vna, & eadem forma non poteſt eſſe intrinſeca duobus ſubiectis, & in analogis proportionalitatis propriæ ratio analoga debet eſſe intrinſecè in omnibus analogatis, hinc eſt, quòd talis ratio debeat multiplicari in illis. Et iſtæ ſunt conditiones à nobis ſupra poſitæ, & quæ traditæ fuerunt à D. Caietano, quem ſequuntur Thomiſtæ, & plures alij.

579. Tandem eſt aduertendum quòd conditio illa præcipua pro analogis attributionis, conuenit etiam analogis proportionalitatis metaphoricæ, verbi gratia, ridere dictum de riſu hominis, & de viriditate prati, intrinſecè reperitur in riſu hominis, & per quandam imitationem, & ſimilitudinem in viriditate prati: & ratio huius eſt. Nam analoga proportionalitatis metaphoricæ habent hoc ſpeciale, quòd vnum dicitur tale, vel plura per reſpectum ad vnum, per cuius imitationem alia dicuntur talia: ergo eſt eadem ratio de iſtis, & de analogis attributionis. Et idcirco D. Thomas, quando docuit prædictam conditionem, appoſuit illud exemplum de riſu dicto de riſu hominis, & de viriditate prati: ergo ſentiebat eſſe eandem rationem de analogis attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ.

Pro-

Digitized by Google

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

580. ARguitur 1. contra primam concluſionem ad probandum poſſe dari analogiam attributionis, etiam ſi ratio analoga ſit intrinſecè in omni analogato. Nam etiam ſi ratio analoga ſit intrinſeca omni analogato, poteſt inueniri in vno per attributionem, & habitudinem ad aliud: ergo talis ratio erit analoga attributionis. Prob. antecedens. Nam etiam ſi ſit intrinſeca omni analogato, poteſt inueniri in vno per prius, & in alio per poſterius, & cum dependentia ab alio, conſtat hoc in ente, quod reperitur intrinſecè in ſubſtantia, & accidenti, ita vt per prius inueniatur in illa, & in iſto per poſterius, & cum dependentia ab illo: at hoc eſt inueniri in vno per attributionem, & habitudinem ad aliud: ergo etiam ſi ratio analoga ſit intrinſeca omni analogato, poteſt inueniri in vno per attributionem, & habitudinem ad aliud. Confirmatur hoc. Nam ens reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, Dei, & creaturarum, eſt analogum attributionis: ſed ratio entis intrinſecè inuenitur in omnibus illis, quis enim dicat, quod accidens non eſt ens intrinſecè, aut creatura non eſt intrinſecè ens? Ergo analogia attributionis inueniri poteſt, etiam ſi ratio analoga ſit intrinſeca omni analogato. Mi. eſt certa. Et maior traditur à D. Thoma pluribus in locis, & eſt expreſſa Ariſtotelis, & communis inter logicos, & metaphyſicos. Qua propter erit duplex analogia attributionis, altera in qua ratio analoga ſit intrinſeca vni, & extrinſeca alijs, altera in qua ratio analoga ſit intrinſeca omnibus, at in vno priùs quam in alio, & in vno per attributionem ad aliud.

581. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, ſi propriè loquamur de denominatione vnius per attributionem ad aliud: hoc enim non poteſt verificari propriè, & in rigore, niſi vnum denominetur tale à forma, quæ eſt in altero. Aliud eſt enim quod vnum participet formam à qua denominatur, & hæc forma participetur dependenter ab alio, & aliud eſt, quod vnum denominatur ex ſola attributione, vel habitudine ad alterum, & hoc vltimum requiritur ad analogiam attributionis, & non poteſt verificari niſi denominatio proueniat à forma exiſtente in altero, per cuius attributionem denominatur tale. Ad probationem illius añtis dico, quod ille modus participandi vnam rationem, cum ordine prioris, & poſterioris inter analogata, cauſat analogiam, ſed non analogiam attributionis formaliter loquendo, niſi conſideretur vnum denominatum tale ex ſola attributione ad alterum; nam, prout denominatur intrinſecè à propria forma, etiam ſi ſit cum tali ordine, & dependentia, tunc eſt analogia proportionalitatis, vt conſtabit ex dicendis. Ad confirmationem reſpondeo, quòd ens reſpectu illorum inferiorū eſt analogum duplici analogia,

logia, & attributionis, & proportionalitatis, vt dicemus conferentia 2. & 3. ſequentibus, & quatenus conſideratur intrinſecè in illis inferioribus dicitur analogum proportionalitatis propriæ. Et quatenus conſideratur, vt dicens rationem entis intrinſecam ſubſtantiæ, à qua denominatur accidens, & intrinſecam Deo, à qua denominatur creaturæ, tunc eſt analogum attributionis. Itaq; non negamus ens intrinſecè inueniri in omnibus illis, & ex hoc inferimus analogiam proportionalitatis; aſſerimus autem quòd præter denominationem intrinſecam, quam habet accidens à propria entitate, poteſt vlteriùs denominari ens extrinſecè ab entitate, quę intrinſęca eſt ſubſtantiæ, & idem dicimus de ente reſpectu Dei, & creaturarum, & in hac vltima conſideratione affirmamus ens eſſe analogum attributionis. Quomodo autem hoc fieri poſſit conſtabit ex locis citatis.

582. Arguitur 2. ad probandum analogiam attributionis ſemper fūdari in intrinſeca denominatione. Nam ſanum, v. g. eſt analogum attributionis reſpectu animalis, vrinæ, & medicinæ: & tamen ſignificat formam intrinſecam illis omnibus: ergo nulla inuenitur analogia attributionis ſine denominatione intrinſeca: ſi enim aliqua eſſet, maximè quæ inuenitur in exemplo poſito. Ma. eſt certa. Et mi. pr. Nam medicinam eſſe ſanam nihil aliud eſt, quàm eſſe cauſatiuam ſanitatis, & vrinam eſſe ſanam nihil aliud eſt, quàm eſſe ſignificatiuam ſanitatis: ſed medicinam eſſe cauſatiuam ſanitatis, & vrinam eſſe ſignificatiuam illius, eſt aliquid intrinſecum illis: ergo eſſe ſanum etiam eſt aliquid intrinſecum illis. Confirmatur hoc. Nam eſſe ſanum in medicina, & vrina eſt realis, & formalis denominatio: ergo non poteſt prouenire à ſanitate extrinſeca, quæ intrinſeca eſt animali. Pr. cõa. Nam eſſe ſanum à ſanitate animalis eſt denominatio rõis, in medicina, cum non proueniat ab aliquo reali exiſtenti in medicina; item denominatio formalis debet prouenire ab aliquo denominante per modum formæ: ſed ſanitas intrinſeca animali, non poteſt denominare medicinam per modum formæ, cum ad illam non comparetur, tanquàm ad ſubiectum, vt in ſimili dicebamus ſupra num. 303. Ergo ſi eſſe ſanum eſt denominatio realis, & formalis, non poteſt prouenire à ſanitate intrinſecè exiſtente in animali.

583. Ad hoc argumentum reſpondeo, quòd in prædicta denominatione, & alijs ſimilibus debet diſtingui id, quod eſt fundamentum talis denominationis, ratione cuius redditur ſubiectum capax, vt denominetur, & id, à quo formaliter prouenit denominatio: & fieri poteſt fundamentum eſſe intrinſecum rei denominatæ, & formam denominantem eſſe extrinſecam: & ita contingit in præſenti. Nam virtus cauſatiua ſanitatis non denominat medicinam ſanam, ſed cauſatiuam ſanitatis, & ſimiliter ſignificatio ſanitatis non denominat vrinam ſanam, ſed ſignificantem ſanitatem; cæterum virtus illa eſt fundamentũ, quo medicina redditur capax, vt denominetur ſana, eo quod talis virtus reſpicit, vt terminum, ſanitatẽ, & ab illa, vt à termino poteſt denominari ſana. Et idem dicendum eſt in vrina, quæ à ſignificatione denomina-

mina-

Digitized by Google

minatur ſignificans ſanitatem,& ab ipſa ſanitate ſignificata dicitur ſana Itaq; ſunt duo, & diſtincta concreta .ſ. cauſatiuum ſanitatis, & ſanum, & cõtter ſunt diſtinctæ formę,quarum vna ſe habet, vt fundamentum alterius vt dictum eſt. Ad confirmationem conceſſo antecedenti, negatur cõa: ad probationem dico eſſe ſanũ,eſſe denominationẽ extrinſecam realem, de cuius ratione eſt prouenire à forma in altero exiſtente. Item eſt denominatio formalis, in hoc ſenſu, quòd prouenit à forma, quæ eſt ſanitas, & hoc ſufficit ad intentum,licet non ſit in toto rigore formalis, quantùm ad propriũ modum denominandi prouenientem à forma,vt dicebamus dict.nu. 303.

584. Arguitur 3. contra 2. con. Nam proportionalitas ſola non poteſt cauſare analogiam, niſi intercedat aliqua dependentia vnius ab altero, ita vt detur prius & poſterius in participanda ratione cõmuni analoga: ergo nulla datur analogia proportionalitatis niſi interueniat aliquid attributionis, vel metaphoræ,quod conſiſtit in illa dependẽtia, & ſubordinatione vnius ad aliud. Probatur antecedens. Tùm, quia D. Thomas vniuerſaliter loquens de analogis docet eſſe neceſſarium quòd omnia dicantur per reſpectũ ad vnum, & quod iſtud ponatur in diffinitione alterius. Ita 1. p. q. 13. art. 6. & q. 16. art. 6. hoc autem ex ſe affert dependentiam vnius ab altero, quæ propria eſt attributionis, & metaphoræ. Tùm quia ſola proportionalitas inuenitur in rationibus vniuocis. Dici enim poteſt, quòd ſicut homo ſe habet ad animal,ita & equus ſe habet ad animal: ergo ſola proportionalitas non ſufficit ad analogiam, niſi adiungatur aliquid dependentiæ, attributionis, vel metaphoræ.

585. Ad hoc argumentum reſpondeo, quòd ſola proportionalitas eſt ſufficiens ad cauſandam analogiam, etiam ſi nulla reperiatur dependentia: & ſic negatur antecedẽs. Ad 1. probationem reſpondeo D. Thomam in illis locis loqui de analogis attributionis ſpecialiter,& nõ de omnibus. Ad 2. probationẽ dico, quòd illa proportionalitas ſupponit omnimodam vnitatem in vniuocis, & illam ſignificat: at in analogis eſt ſola proportionalitas non ſupponens aliam vnitatem, & ideo vnitas illorum eſt proportionalis ſolũ. Præterquàm quod etiam ſi admitteremus in illis analogis inueniri dependentiam vnius ab altero, nihilominus ex dependentia non infertur improprietas, aut metaphora; ſed quia in ſequenti conferentia dicemus, abſq; omni dependentia, per ſolam tranſcendentiam cauſari analogiam, ideo negandũ eſt illud añs.

CONFERENTIA 2.

Vtrum Analogia cauſetur ex ſola dependentia,vel ſola tranſcendentia.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

586. ANalogiam dicere conuenientiam cum diuerſitate in ratione cõmuni analoga conſtat ex dictis, & communiter

muniter admittitur in hac materia. In præſenti autem inquirimus, quæ ſit cauſa, ex qua proueniat, quòd aliqua ratio participetur à ſuis inferioribus cum conuenientia, ſimul & diuerſitate. Et quamuis noſtri Thomiſtæ hanc difficultatem non moueant ſub his terminis, nihilominus ex eorum doctrina colligitur quid in hac parte ſentiunt. Ad intelligentiam autem reſolutionis explicandi ſunt termini difficultatis. Dependentia enim nihil aliud eſt, quàm ordo ſecundùm prius, & poſterius in participanda aliqua ratione, hæc enim eſt dependentia, quæ ad præſens attinet. Tranſcendentia autem eſt intima incluſio alicuius rationis communis in omni ſibi inferiori, tàm in differentijs, quàm in modis, v.g. ens intimè clauditur in omni ente, in omni differentia, & modo entis, ideòquè dicitur tranſcendens. Inquiritur ergo an dependentia ſola, vel ſola tranſcendentia alicuius rationis communis cauſet in illa analogiam. Et cũ analogia ſit duplex, altera attributionis, & proportionalitatis alia, videndum eſt quam cauſam habeat vnaquæquè.

587. Quo ſuppoſito prima ſententia docet ſolam dependentiam eſſe cauſam analogiæ, ita vt in omni analogia, ſiuè attributionis, ſiuè proportionalitatis debeat inueniri aliqua dependentia. Ita defendunt illi, qui exiſtimant non dari analogiam proportionalitatis, in qua non ſit aliquid improprietatis, & metaphoræ, conſiſtens in dependentia vnius ab alio in participanda ratione communi. Ita Pater Suarez relatus ſupra nu. 583. quem alij ſequuntur. Secunda ſententia aſſerit omnem analogiam cauſari ex tranſcendentia, & nullam ex dependentia. Ita Mag. Serna in logica diſp. 3. artic. 2. Tertia ſententia affirmat ſolam dependentiam poſſe cauſare analogiam, & ſimiliter etiam ſolam tranſcendentiam, ita vt quælibet ſit ſufficiens ex ſe ſola ad cauſandam analogiam. Hęc colligitur ex communi doctrina Thomiſtarum, vt conſtabit ex dicendis.

§. 2.

Reſoluitur difficultas.

588. Pro reſolutione veritatis ſit prima concluſio. Sola dependentia in participanda ratione communi eſt ſufficiẽs cauſa analogiæ. Hęc concluſio defenditur ab omnibus Thomiſtis, qui docent analogiam attributionis cõſiſtere in eo quod vnum, vel plura reſpiciant aliquid, à quo extrinſecè denominentur: in hoc enim clarè percipitur interuenire dependentiam in participanda ratione communi. Et colligitur ex D. Thoma in omnibus illis locis, in quibus explicuit analogiam attributionis, & docuit illam conſiſtere in eo, quòd ab vno dependeant plura in participatione alicuius rationis. Etenim 1. p. q. 4. art. 3. ad 3. docet inter Deum, & creaturas interuenire analogiam in ente [prout Deus eſt ens per eſſentiam, & alia per participationem.] In quibus colligit analogiam ex dependentia creaturæ à Deo, qui eſt ens per eſſentiam. Idemquè docet in pluribus alijs locis. Et prob. ratione. Nam

Digitized by Google

Nam ex dependentia in participanda aliqua ratione communi à pluribus oritur quòd talis ratio per prius participetur ab vno, & per poſterius ab alio, vel ab alijs, & ſimiliter quod vnum dicatur, & ſit ſimpliciter tale, aliud verò, vel alia dicantur, & ſint talia ſecundùm quid: ſed in hoc conſiſtit ratio analogiæ, ſiquidem tunc eſt conuenientia cum diuerſitate in prædicta ratione communi: ergo ſola dependentia in participanda aliqua ratione communi eſt ſufficiens cauſa analogiæ. Mi. eſt certa. Et ma. pr. Nam dependentia nihil aliud eſt quam ordo prioris, & poſterioris, & ſi eſt dependentia in participanda aliqua ratione communi, talis ordo prioris, & poſterioris inuenitur in ipſa ratione cõmuni, id autem quod eſt prius, & independens in tali ratione eſt ſimpliciter tale, & id quod eſt poſterius, & dependens eſt ſecundùm quid tale: ergo hoc totum cauſat dependentia. Explicatur hoc exemplis. Primum eſt in ſanitate, quæ participatur ab animali, & dependenter à ſanitate animalis dicuntur medicina ſana, & vrina ſana, tunc animal per priùs dicitur, & eſt ſanũ, & independenter ab alijs, ac proinde eſt ſimpliciter ſanum; at medicina dicitur ſana, quatenus eſt cauſa ſanitatis, & vrina, quatenus eſt ſignum ſanitatis, quapropter per poſterius, & ſecundùm quid denominantur ſanæ, & ratione dependentiæ à ſanitate, quam reſpiciunt, vt terminum. Secundum exemplum eſt. Nam ens, prout eſt analogum attributionis, dicitur de Deo independenter, & conſequenter per prius, ac proinde ſimpliciter, & de creatura dicitur dependenter à Deo, & ſic per poſterius, & ſecundùm quid. Ideoquè creaturæ in comparatione ad Deum dicuntur quaſi nihil: ergo ſola dependentia cauſat huiuſmodi diuerſitatem, quæ ſufficiens eſt ad cauſandam analogiam.

589. Si autẽ dicas cum M. Serna quod ex ſola depẽdẽtia ſolùm colligitur inæqualitas phyſica non autem logica, eo quod talis inæqualitas prouenit ex differentijs contrahentibus, non autem ex ipſa ratione communi, in qua debet eſſe inæqualitas, vt ſit analogia logica, & non phyſica tantum. In contra eſt. Nam dependentia à nobis aſſignata eſt in participanda ipſa ratione cõmuni, ita vt ex hac dependentia proueniat quòd ratio ipſa communis per prius, & ſimpliciter ſit in vno inferiori, & per poſterius, & ſecundùm quid ſit in alio: ergo inæqualitas, ſeu diuerſitas eſt in ipſa ratione communi: patet conſequentia. Nam in illa ratione, in qua eſt dependentia, debet eſſe inæqualitas, & diuerſitas orta ex ipſa dependentia: ergo ſi dependentia eſt in ratione illa communi, etiam inæqualitas, & diuerſitas erit in ratione communi, & ita contingit in exemplis poſitis, nã ſanum per priùs, & ſimplicitur dicitur animal, & vrina, & medicina dicuntur ſanæ per poſteriùs, & ſecundùm quid, & ſimiliter Deus dicitur ens ſimpliciter, & creatura ens ſecundùm quid. Ecce inæqualitatem, & diuerſitatem in ipſa ratione communi: ergo ex dependentia in participanda ratione communi, oritur inæqualitas in illa, ac proinde inæqualitas logica. Et vrgetur hoc. Nam in analogia attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ, niſi recurramus ad depen-

dentiam, non eſt alia cauſa, ex qua poſſit prouenire analogia; ſi quidem in illis attributio fundatur in dependentia illorum analogatorũ minùs principalium ab analogato magis principali; & nullatenus apparet tranſcendentia aliqua: ergo dicendum eſt ſolam dependentiã cauſare analogiam. Et idem eſt in analogis proportionalitatis metaphoricæ, in quibus vnum dicitur tale ex ſola aliquali ſimilitudine cũ alio, in qua ſimilitudine clarè apparet dependentia.

590. Secunda concluſio. Sola tranſcendentia eſt potens cauſare analogiam. Hæc concluſio admittitur ab omnibus Thomiſtis contra Scotum, & eius diſcipulos, qui licet concedant ens eſſe tranſcendens, negant tamen eſſe analogum, vt dicemus conferentia ſequenti. Et prob. 1. authoritate D. Thomæ opuſc. 42. cap. 1. in fine. Vbi ex eo quod ens ſit tranſcendens infert non eſſe genus, & eſſe prædicatum analogum. Sic enim ait. [Nulla autem differentia poteſt accipi, de cuius intellectu non ſit ens,] ecce appoſuit D. Tho. tranſcendentiam entis, & ſtatim ſic infert. [Vnde manifeſtum eſt, quòd ens non poteſt habere differentias, ſicut genus habet, & ideo ens genus non eſt: ſed eſt de omnibus communiter prædicabile analogicè: ſimiliter dicendum eſt de alijs tranſcendentibus.] Hæc D. Thom. in quibus clarè docet omne tranſcendens eſſe analogum; imò ex ipſa tranſcendentia infert analogiam. Et illum ſequuntur eius diſcipuli, & omnes illi, qui contra Scotum aſſerunt ens eſſe analogum propter tranſcendentiam. De quo conferentia ſequenti.

591. Prob. 2. ratione. Nam ex ipſa tranſcendentia oritur, quòd inferiora conueniant, & differant in ipſa formali ratione communi tranſcendenti, ſed in hac conuenientia, & differentia in ratione communi fundatur analogia: ergo hæc cauſatur ex ſola tranſcendentia. Mi. eſt certa. Et prob. ma. Et quidem eſſe conuenientiam manifeſtum eſt; ſiquidem ſi omnia tranſcendit, in illa omnia conueniunt: quòd autem ſit differentia, ſeu diuerſitas probatur. Nam ipſa ratio tranſcendens intimè imbibitur in ipſo conceptu vltimo differentiæ: ergo eſt differentia in ipſa ratione intimè imbibita: patet hæc conſequentia. Nam inferiora differunt in proprijs differentijs: ſed in iſtis, quantùmuis præciſis includitur ipſa ratio communis tranſcendens: ergo etiam eſt diuerſitas, ſeu differentia in ipſa ratione communi. Conſtat hoc in ente, quod intimè clauditur in ipſis vltimis differentijs, & conſequenter res, quæ differunt ſuis differentijs, differunt etiam in ente ibi iutimè clauſo. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam ex conceptu entis, & conceptu explicito differentiæ cuiuſcunquè ſit vnus ſimpliciſſimus conceptus: ſi quidem ens cum nulla differentia facit compoſitionem, cum in omni intimè includatur: ſed res ipſæ differunt ſuis differentijs: ergo differunt in ente: patet hæc cõſequentia. Nam implicat quod conceptus entis, & differentiæ ſit vnus ſimpliciſſimus, & quòd ſit diuerſitas, ſeu differentia in vno, & non in alio. Eo vel maximè quia ſi differentiæ differunt inter ſe, debent differre in aliquo: ergo in ente; & conſequenter ipſa tranſcendentia eſt cauſa, quare ratio communis dicat conuenientiam, & differen-

ferentiam reſpectu ſuorum inferiorum. Hoc autem magis elucidabitur conferentia ſequenti, tractando de analogia entis.

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

592. ARguitur 1. contra pri. concluſionem. Nam ad analogiam requiritur, quòd conuenientia, & diuerſitas ſit in ipſa ratione communi analoga: ſed dependentia non cauſat diuerſitatem, & inæqualitatem in ratione communi, ſed ſolùm in ipſis rationibus particularibus cõtrahentibus: ergo ſola dependentia non cauſat analogiam. Ma. eſt certa. Et mi. pr. 1. quia effectus cauſæ vniuocæ dependet à tali cauſa. v. g. Petrus genitus à Paulo generante, & actus vitalis pendet à principio vitali, & multi effectus pendent à cauſis æquiuocis, cum quibus habent omnimodam conuenientiam in ratione communi: ergo dependentia non cauſat diuerſitatem in ratione communi, ſed ad ſummum in ipſis rationibus contrahentibus. Pr. 2. Illa mi. in dependentia, quę eſt inter Deum, & creaturas in ratione entis. Nam talis dependentia non eſt formaliter in ipſa ratione communi entis, ſed in ratione particulari talis entis ſcilicet entis creati: ſed diuerſitas debet exerceri in illa ratione, in qua eſt dependentia: ergo diuerſitas non eſt in ratione communi entis, ſed in rationibus particularibus. Mi. eſt certa. Et ma. prob. Quia ſi dependentia eſſet ſecundũ formalem rationem entis, omne ens dependeret, imò & ipſe Deus dependeret, quòd eſt abſurdum: ergo dependentia non eſt ſecundum rationem communem. Probatur Sequela. Nam id quod conuenit alicui in quantùm tale, & cum reduplicatione alicuius prædicati, conuenit omni habenti tale prædicatum: ergo ſi dependentia eſſet ſecundum formalem rationem entis, omne ens dependeret, & conſequenter ipſe Deus, cui conuenit ratio entis.

593. Ad hoc argumentum reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Et, vt intelligatur ſolutio vtriuſquè probationis, notandum eſt, quòd duplex poteſt eſſe dependentia, altera, qua vnum dependeat ab alio in participanda aliqua ratione, vel in denominatione proueniente ab aliqua forma, quæ intrinſecè eſt in vno, & extrinſecè in alio quod dependet ab iſto, vt conſtat in exemplis poſitis pro analogis attributionis. Et hæc dependentia ſine dubio cauſat analogiam attributionis. Et contra iſtam dependentiam non obſtant probationes poſitæ. Nam in prima, exempla allata non ſunt ad rem, nam ratio communis intrinſecè inuenitur in omnibus inferioribus, ac proinde non eſt dependentia modo dicto. Item in ſecunda probatione ſi ſermo ſit de dependentia quam habet creatura à Deo, à quo extrinſecè denominatur ens, tunc dependentia non eſt in ratione communi entis, ſed dependentia eſt ab ipſa entitate diuina, & per eſſentiam, à qua creatura denominatur ens, vt dicetur conferentia ſequenti.

Digitized by Google

Et tunc ratio communis entis dicit duos conceptus, alterum repræſentantem Deum, & alterum creaturam, ex quibus reſultat vnus conceptus analogus analogia attributionis, ideoque ens, prout ſic analogum, non habet vnum conceptum præciſum, licet illum habeat, vt eſt analogũ proportionalitatis, de quo dicemus Conferentia 4. Altera dependentia poteſt inueniri etiam ſi ratio ipſa intrinſecè inueniatur in omni participante illam, & tunc dicendum eſt ad primam probationem, quòd quando talis dependentia facit quòd ratio communis participetur ab vno ſimpliciter, & ab altero ſecundùm quid, tunc cauſat analogiam; hoc autem non inuenitur in exemplis adductis; præterquàm quod in primo, nec in ſecundo dependentia non eſt in ratione communi. Petrus enim non dependet à Paulo in ratione hominis, vt alibi dicemus. Ad 2. probationem reſpondeo, quòd vt verificetur dependentiam eſſe ſecũdum rationem communem entis, non requiritur quod omnia dependeant; ſed ſufficit quòd ens ex meritis proprijs petat, vt ſic participetur à ſuis inferioribus, quòd in vno ſit independenter, & in alio dependenter, & hoc eſt dependere in ratione communi entis, quapropter potiùs ſequitur debere aſſignari aliquod ens independens, à quo in ratione entis cætera omnia dependeant. Et ſanè iuxta hæc dici poteſt quòd etiam ſi ens non eſſet tranſcendens, eſſet analogum proportionalitatis propter dictam dependentiam.

594. Arguitur 2. contra 2. concluſionem. Nam ratio formaliſſima entis in ſuo conceptu nullam dicit diuerſitatem: ergo etiam ſi tranſcendat omnes differentias, non erit diuerſitas in ratione communi, ſed in rationibus particularibus: antecedens patet, & maximè in ſententia aſſerente dari conceptum præciſum entis ab omni inferiori, de quo confer. 4. & cõa probatur 1. Nam ſi ens in ſuo conceptu commũni non dicit diuerſitatem, tunc diuerſitas oritur ex rationibus particularibus: ergo non erit diuerſitas ipſius rationis communis. Pr. 2. quia id quod eſt ratio conueniendi, non poteſt eſſe ratio differendi: ergo ſi in conceptu entis nulla eſt diuerſitas, erit conuenientia omnimoda ex parte ſua: ergo non poteſt ratio entis in ſe habere conuenientiam, & diuerſitatem. Confirmatur 1. Nam ex eo quod ens tranſcendat differẽtias, non ſequitur quòd ſi differunt in differentijs, debeant differre in ente incluſo in illis: ergo tranſcendentia non cauſat diuerſitatem illã. Prob. ãs. Nam ens imbibitum, & clauſum in differentijs non eſt formalis ratio differentiæ, ſed potiùs ipſa differentia eſt formalis ratio differendi, & in illa imbibitur, & clauditur ens: ergo differentia formaliter erit in ipſa differentia claudente ens, & non in ente clauſo, niſi ad ſummum materialiter, & identicè, prout ſcilicet ens eſt incluſum in illo, in quo exercetur differentia. Confirmatur 2. Nam tranſcendentia cauſat maiorem conuenientiam, hoc eſt, magis conueniunt inferiora in ratione tranſcendenti, quàm in non tranſcendenti: ſed analogia dicit conuenientiam cum diuerſitate: ergo tranſcendẽtia non cauſat analogiã. Pr. ma. Nam ex eo quod aliqua ratio ſit tranſcendens, conueniunt in illa non ſolum inferiora, quantum

Digitized by Google

tùm ad rationem communem, ſed etiam quantùm ad rationes particulares, modos, & differentias vltimas: ita vt ipſæ differentiæ,& modi,etiam conueniant in tali ratione; quod non inuenitur in ratione non tranſcendenti: ergo tranſcendentia cauſat maiorem conuenientiam.

595. Ad hoc argumentum ſuppoſita ſententia de conceptu præciſo entis, reſpondeo diſtinguendo antecedens. In illo conceptu nulla eſt diuerſitas actualis concedo añs. Nulla eſt diuerſitas virtualis nego antecedens. Itaquè conceptus ille obiectiuus entis in ſe nullam actualem diuerſitatem habet; at petit deſcendere ad inferiora, ita vt ex vi tranſcendentiæ imbibatur intimè in omni modo, & differentia: & ideo dicitur habere diuerſitatem virtualem, nam ex eo quòd actualiter imbibatur, ſequitur actualis differentia in ipſo ente, vt probatum eſt, ac proinde ex eo quòd ipſa ratio entis ex ſe petat imbibi, ſequitur virtualis diuerſitas. Et hęc ſufficit ad analogiam, vt dicemus conferentia 4. Ad 1. probationem conſequentiæ dico, quòd ſi ens ex ſe non diceret diuerſitatem nec actualem, nec virtualem, tunc tota diuerſitas prouenirct ex rationibus particularibus, cæterùm quia ex ſe dicit diuerſitatem illam virtualem iam explicatam, ſequitur quòd diuerſitas oriatur ex ipſa ratione entis, quæ petit talem actualem diuerſitatem ex vi ſuæ tranſcendentiæ. Ad ſecundam probationem reſpondeo hoc eſſe proprium rationis tranſcendentis, vt in ipſa ſit conuenientia, & differentia, cum hac tamen diſtinctione quòd ratio ipſa entis ex ſe explicitè conſiderata eſt ratio conueniendi, ipſa tamen vt intimè incluſa in differentia eſt ratio differendi, ita vt ad conuenientiam conſideretur explicitè, & ad diuerſitatem accipiatur implicitè; quia tamen eſt idem ſimpliciſſimus conceptus, ideo dicimus quòd in eadem ratione eſt conuenientia, & diuerſitas. Ad 1. Conf. conſtat ex dictis. Etenim ex conceptu entis, & differentiæ non fit conceptus compoſitus, ſed eſt idem, vnus, & ſimplex cum ſola diſtinctione pœnes implicitum, & explicitum, quà propter ſi eſt differentia in vno, debet eſſe in alio, vt dictum eſt. Ad 2. Confirm reſpondeo illam dici maiorem conuenientiam extenſiuè in hoc ſenſu, quòd ex vi tranſcendentiæ pluribus conueniat, ideſt, conueniat rei, & omni modo, & differentiæ rei: at ex hoc ipſo oritur ibi eſſe diuerſitatem propter intimam incluſionem in differentia. Ratio autem non tranſcendens à ſe excludit differentias, & excluditur ab illis, & ideo licet non conueniat illis, tamen ex hoc ipſo ſequitur quòd in ipſa non ſit diuerſitas, ſed omnimoda conuenientia: ac proinde hæc conuenientia poteſt dici maior intenſiuè, ſicut & illa maior extenſiuè.

596. Ex dictis colligitur quòd analogia attributionis ſemper cauſatur ex dependentia, ſiquidem ſemper ſit inter aliqua, quæ dependent in ſui denominatione à forma, quæ intrinſecè eſt in vno, & per dependentiam ab iſto denominantur alia à forma intrinſeca illi. At analogia proportionalitatis propriæ cauſari poteſt ex dependentia, ſi ratio analoga ſit in vno per prius, & ſimpliciter & in alio per poſterius, & ſecúdùm quid, vt

vt dictum eſt. Poteſt etiam cauſari ex tranſcendentia propter rationem dictam. Et tandem analogia proportionalitatis metaphoricæ cauſatur ex dependentia, nam imitatur analogiam attributionis, quantùm ad hoc, quod ratio analoga ſit intrinſecè in vno, & extrinſecè in alio.

CONFERENTIA 3.

Vtrum ens in communi, vel ens completum ſit analogũ, & qua analogia.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

597. DVas partes continet præſens cõferentia, in prima inquiritur de ente. An ſit analogum, & in ſecunda, qua analogia gaudeat, an ſcilicet attributionis, vel proportionalitatis, vel vtriuſquè. Et adhuc prima pars diuiditur in alias duas, in vna eſt difficultas de ente in communi, prout abſtrahit a completo, & incompleto, & in altera eſt quæſtio de ente completo, ſecundùm quod eſt commune ſolùm ad prædicamenta, & ad ea, quæ ponuntur in recta linea prædicamentali. De quibus ſuo ordine dicendum eſt.

598. Circa primum eſt 1. ſententia aſſerens ens eſſe æquiuocum ad omnia ſua inferiora. Ita Rabbi Moyſes, quem refert D. Thom. quæſt. 7. de põa artic. 7. & eam defendit Aureolus in 1. diſt. 2. qu. 1. vt refert Mag. Araujo lib. 4. met. quæſt. 3. artic. 2. num. 5. Secunda ſententia docet ens eſſe vniuocum ad omnia ſua inferiora. Ita Doctor ſubtilis Scotus in lib. 4. metaph. q. 1. & in 1. diſt. 3. quæſt. 1. & 3. & diſt. 8 quæſt. 2. Quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, & Nominales. At inter Scotiſtas ſunt aliqui explicantes ſuum Doctorem loqui de vniuocatione largè ſumpta, prout vniuocum ſe extendit ad analogum vnius conceptus. Alij verò dicunt ipſum loquutum fuiſſe de vniuoco in omni rigore, prout opponitur analogo, & hanc fuiſſe mentẽ Scoti oſtendit Magiſt. Araujo vbi ſupra. Tertia ſententia tenet ens eſſe analogum. Ita expreſsè D. Thomas ſequens Ariſtotelem, & ipſum ſequuntur omnes eius diſcipuli, & ferè omnes præter Scotiſtas. De ente completo eſt prima ſententia aſſerens eſſe vniuocum ad omnia prædicamenta. Pro hac ſententia Mag. Araujo vbi ſupra art. 5. nu. 44. §. ad hoc, refert aliquos Thomiſtas. Secunda ſententia affirmat ens completum eſſe analogum ad omnia ſua inferiora. Ita ferè omnes Thomiſtæ, & alij extra Scholam D. Tho. quamuis ſit magna differentia in explicanda ratione formali conſtitutiua entis completi, de quo dicemus infra num. 513. Deniquè circa vltimum, quod in ſecunda parte conferentiæ inquiritur, eſt prima ſententia docens ens in communi eſſe

eſſe ſolùm analogum attributionis. Ita P. Suarez diſput. 28. ſect. 3. Secunda ſententia affirmat ſola analogia proportionalitatis propriè gaudere ens. Tertia autem, & communis Thomiſtarum aſſerit ens habere duplicem analogiam ſecundùm diuerſas conſiderationes, ſcilicet, analogiam attributionis, & proportionalitatis propriæ.

§. 2.

Reſoluitur difficultas de ente in communi.

599. PRo reſolutione veritatis ſit 1. concluſio. Ens non eſt purè æquiuotum reſpectu ſuorum inferiorum. Hæc cōcluſio expreſsè traditur à D. Thom. 1. p. q. 13. art. 5. Quem ſequuntur ferè omnes Logici, & Metaphyſici. Et pr. ratione. Nam æquiuocum dicit omnimodam diuerſitatem reſpectu eorum de quibus dicitur, ita vt nomen ſolum ſit commune, & ratio ſignificata ſit omninò diuerſa: ſed ens dicit aliquam rationem communem ſuis inferioribus: ergo non eſt æquiuocum purè. Ma. ſupponitur. Et mi. probatur. Nam ens ſignificat eſſe, quòd eſt commune Deo, & creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti: ergo ſignificat aliquid commune, & hoc magis conſtat ſi ens dicit vnum conceptum præciſum, vt dicemus conferentia ſequenti. Confirmatur hoc. Nam ens, vel ſignificat eſſe, vt præciſum à ſuis inferioribus, vel ſignificat omnia ſua inferiora, vt habent proportionem in ente, non enim videtur poſſe aliud, vel alio modo ſignificare, ſed quocunquè modo ſignificat aliquid commune inferioribus, vt ex ſe patet: ergo non poteſt eſſe purè æquiuocum. Et ex hac ratione communi ſignificata per ens, infertur, quòd poſſit eſſe medium in demonſtratione, quod fieri non poſset, ſi eſset purè æquiuocum. Et hoc ſufficiat pro iſta concluſione.

600. Secunda concluſio. Ens in communi non eſt vniuocum ad ſua inferiora. In hac concluſione loquimur de ente reali in omni ſua extenſione, tàm reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, quàm reſpectu Dei, & creaturarum, & in hoc ſenſu admittitur ab omnibus Thomiſtis. Et eſt expreſsa D. Thom. pluribus in locis relatis hic ab authoribus, ſed quia aduerſarij non dubitant de mente S. Doctoris, nec de eius authoritate curant, vt potè alterius Scholæ, ideò ſuperfluum eſt eius teſtimonia adducere; eius tamen rationibus vtemur. Et quidem ex dictis in Conferentia præcedenti poteſt ſufficienter probari noſtra concluſio. Nam ibidem probauimus ſolam dependentiam, & ſolam tranſcendentiam cauſare analogiam. At vtraq; cauſa reperitur in ente reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, nam accidens dependet à ſubſtantia, & etiam reſpectu Dei, & creaturarum, nam creatura dependet à Deo in ratione entis, vt ibidem probabamus. Item ens tranſcendit vltimas differentias ſubſtantiæ, accidentis, Dei, & creaturarum, & in omni modo includitur: ergo abſolutè, & ſimpliciter ens eſt analogum reſpectu; ſuorum inferiorum. Nihilominus alia via probanda eſt noſtra

con-

Digitized by Google

concluſio alijs rationibus deductis ex D. Tho. & ſpecialiter de ente reſpectu Dei, & creaturarum priùs probanda eſt.

601. Probatur concluſio 1. ex D. Thoma 1.p. quæſt. 13 artic. 5. & quæſt. 7. de potentia artic. 7. & 1. contrag. cap. 31. cuius ratio ſic ad formam reducitur. Nam quando effectus non adæquat virtutem cauſæ, nomen illis commune non eſt vniuocum, ſed analogum: ſed omnis creatura eſt effectus Dei non adæquans eius virtutem in ratione entis: ergo hoc nomen, ens, reſpectu illorum non eſt vniuocum: Mi. eſt certa. Deus .n. includit in ſe omnem plenitudinem eſſendi in ſumma actualitate, & creatura participat deficienter tale eſſe. Et ma. pr. Nam quando effectus non adæquat virtutem cauſæ, non recipit ſimilitudinem cauſæ, ſecundùm omnimodam rationem, ſed aliqualiter, & deficienter: ergo nomen illis commune ſignificat talem rationem, quæ ſimpliciter eſt in cauſa, & in effectibus ſecundum quid, & deficienter: ergo non eſt vniuocum, ſed analogum. Prima cõa patet. Nam nomen ſignificat rationem illam, vt communem ſuis inferioribus, & ſi hæc in vno eſt ſimpliciter, & in alio ſecundum quid, & deficienter, hoc modo illam ſignificat. Et ſecunda cõa pr. Nam vniuocum eſt, quod ſignificat aliquam rationem, quæ ſimpliciter participatur ab inferioribus, & analogum ſignificat illam, quæ inæqualiter participatur, ita vt ab vno participetur ſimpliciter, & ab alio ſecundùm quid: ergo ſi hoc nomen, ens, ſignificat rationem entis, quæ in Deo eſt ſimpliciter, & in creaturis ſecundum quid, non eſt vniuocum, ſed analogum. Hæc autem ratio, etſi aliquas calumnias aduerſariorum patiatur, tamen ab omnibus manebit libera ex ſolutione argumentorum contra iſtam concluſionem.

602. Prob. 2. concl. ex D. Tho. lib. 3. metaph. lect. 8. & 1. contrag. cap. 32. Nam omne prædicatum vniuocum, vel eſt genus, aut ſpecies, differentia, proprium, aut accidens: ſed reſpectu Dei, & creaturarum non poteſt dari aliquod prædicatum, quod ſit aliquod ex quinquè prædicabilibus: ergo ens non poteſt eſſe vniuocum reſpectu Dei, & creaturarum. Mi. eſt certa. Et ma. pr. Nam omne prædicatum vniuocum debet eſſe vniuerſale, ſeù prædicabile de pluribus: ergo debet contineri determinatè ſub aliqua ſpecie vniuerſalis, vel prædicabilis. Explicatur hoc etiam reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Nam ſi ens eſſet vniuocum ſuis inferioribus, nihil illi deficeret, vt ſit genus, ſiquidem prædicaretur in quid de pluribus differentibus ſpecie: at hoc non eſt dicendum, nec conceditur ab Scotiſtis: ergo ens non eſt vniuocum. Si autem dicas ens non eſſe genus, quia tranſcendit modos, & differentias, & genus debet eſſe extra conceptum differentiarum. In contra eſt 1. Nam etiam tranſcendentia impedit vniuocationem, & cauſat analogiam: vt ſupra probatum eſt: ergo ſi ex tranſcendentia ſequitur quòd non ſit genus, etiam ſequitur non eſſe vniuocum. Secundò obſtat. Nam in ſententia Scoti aſſerentis dari conceptum entis præciſum, nihil deficit ad hoc, vt ille conceptus

fit

ſit genus, ſiquidem eſt prædicatum quidditatiuum reſpiciens plura, & aliàs conceptus ille, vt potè præciſus, non includitur in modis, ſeù differentijs: ergo ſi ex alia parte eſt vniuocus, nihil deficit illi vt ſit genus. Videatur Mag. Ioan. à Sancto Thoma, qui refert aliquas ſolutiones, & illas impugnat, nam de his, & alijs dicam ſoluendo argumenta.

§. 3.

Reſoluitur difficultas de ente completo reſpectu ſuorum inferiorum.

603. Tertia concluſio. Ens completum non eſt vniuocum, ſed analogum reſpectu ſuorum inferiorum. Hæc concluſio non eſt ita communiter recepta, ſicut præcedens. Ad cuius probationis intelligentiam priùs explicandum eſt, quid ſit ens completum, prout diſtinguitur ab incompleto. In quo eſt magna diuerſitas adhuc inter Thomiſtas. Primus modus eſt quem ſequitur Magiſt. Araujo lib 4. metaph. quęſt. 3. art. 5. num. 44. & 45. docens quòd in generaliſſimis modus incompletus, & ratio completa ſolùm differunt ſecundùm modum ſignificandi, ſicut Deus, & Deitas differunt in ſolo modo ſignificandi, quatenus Deitas importatur hoc nomine, vt forma, & vt quo, Deus autem importatur nomine concreto, vt habens deitatem, & vt quod; & ideo Deus eſt Deitas, & in quocunquè includitur Deitas, etiam Deus debet includi, & de illo prædicari. Item ſubſtantia, & eſſe per ſe ſunt omninò idem, & in quocunquè imbibitur ſubſtantia, etiam modus ille debet imbibi, & è contra; quia differunt in ſolo modo ſignificandi. Ex qua doctrina infert, quòd cum differentia inter incompletum, & completum ſit pęnes ſolum modum ſignificandi, hæc differentia non obſtat, quominus entitas completa in ipſis modis imbibatur. Et addit Mag. Araujo quòd ſi ens completum referatur ad modos, & differentias generum, & ſpecierum inferiorum, entitas completa non imbibitur in illis, ſed quoniam imbibitur in illis alia ratio tranſcendens, cum qua illa ratio completa identificatur, hoc ſufficit, vt vtraq; ſit analoga, & neutra vniuoca.

604. Secundus modus dicendi adducitur à Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma quæſt. 14. logic. artic. 2. Docet enim quòd ens non eſt, nec dicitur, completum, niſi per inferiores modos contrahentes ipſum. Subſtantia autem, vt reddatur completa, non indiget aliqua differentia inferiori, ſed ſolo modo communi eſſendi per ſe, quo redditur per ſe ſubſiſtens, & quodammodo totum in ſuo genere, & per hoc diſtinguitur à ſubſtantia incompleta. At ens non habet modum communem, quo reddatur completum, nam ſi eſt talis modus communis entis, erit tranſcendens ſicut ens, & in omnibus imbibitus, ſi autem eſt inferior, tunc erit modus contrahens, & minùs amplus, quàm ens vt ſic, & conſequenter ens completur illis modis. Et concludit nihil aliud eſſe ens com-

pletum, quàm decem prædicamenta: Ita vt nulla res intelligatur completa, & ponibilis in prædicamento, niſi aliquem ſpecialem modum habeat. Ex quo infert analogiam entis completi, nam licet iſtud non includatur in modis, vel differentijs, ac proinde propter tranſcendentiam non ſit analogum, tamen quia ipſum in ſe contiaet modos, quibus redditur completum, à quibus nec præſcindi, nec auferri poteſt, ideo eſt analogum dicens conuenientiam, & diuerſitatem prouenientem à modis.

605. Pater Fonſeca lib. 5. met. cap. 7. quæſt. 7. ſect. 2. docet ens completum aliud eſſe completum ſimpliciter, & eſſe illud, quod non poteſt eſſe pars entis per ſe, & talia ſunt ſola indiuidua, vt hic homo, hæc albedo; aliud eſſe completum ſecundùm quid, & eſſe illud, quod prædicatur in prædicatione, quid eſt, de ente completo ſimpliciter, & huiuſmodi ſunt genera, & ſpecies, non autem differentiæ, quæ prædicantur in quale quid. Et ab iſto modo dicendi P. Suarez parùm differt, licet impugnet Fonſecam. Nam diſp. 33. met. ſect. 2. docet genera, & ſpecies non eſſe entia completa ſimpliciter, ſed appellari poſſe entia completa, quia confusè dicunt totum per modum exiſtentis, & hoc modo differentia non poteſt dici ens completum, quia concipitur per modum formæ aduenientis. Et addit quod licet aliquando genera, & ſpecies appellentur entia completa ſecundùm quid, non ideo ſic appellantur, quaſi illud [ſecundùm quid] tollat rationem entis completi, ſed quia non dicit eſſe perfectiſſimum, ſicut dicit indiuiduum, quod expreſsè dicit totum ſubſtantiæ, vel accidentis complementum: genera verò, & ſpecies, quia in confuſo dicunt totum complementum, ideo appellari ſolent entia completa ſecundùm quid.

606. Et quidem omnes iſti modi dicendi, quantùm ad aliquid veritatem continent. Ad cuius intelligentiam notandum eſt aliud eſſe ens completum phyſicè, & aliud ens completum metaphyſicè, & ex ratione conſtituente ens completum phyſicè aſcendere debemus ad cognoſcendum quid eſt ens completum metaphyſicè, qua propter ens completum phyſicè eſt totum quoddam compoſitum ex materia, & forma, & inſuper debet dicere aliquid per modum cõplementi illius, & hoc complementum eſt multiplex, aliud in linea ſpecifica, & hoc eſt forma, & rurſus in linea exiſtendi, & hoc eſt exiſtentia, inſuper in linea ſubſtantiæ, & hoc eſt ſubſtantia, & tandem indiuiduatio, quæ complet, & vltimò determinat totum, quod in alijs lineis præſupponitur, & pertinet ad eſſe phyſicum. Ex his cum proportione totum metaphyſicum, quod ab intellectu conſideratur, & dicitur ens completum metaphyſicè in primis debet intelligi per modum cuiuſdam totius, ac proinde vt, quod, & quantùm ad hoc optimè diſcurrit Mag. Araujo, ad excludendam differentiam, quæ concipitur, vt forma, &, vt quo, & ipſam formam ſpecificam totalem conceptam per modũ formæ, &, vt quo, v. g. humanitas. Inſuper in hoc toto, ſeu ente completo ſic conſiderato debet

eſſe

eſſe aliquid per modum complementi, ſeu determinantis, & ſicut in toto phyſico primum determinans eſt forma ſubſtantialis, ita in toto metaphyſico primum, quaſi determinans, eſt modus, quo ens conſtituitur in aliquo genere rerum. Et quantùm ad hoc benè dicit Magiſt. Ioann. à Sancto Thoma, quod ens completum non intelligitur vt tale, ſine modis conſtitutiuis prædicamentorum, quia ante illos non datur alius communis omnibus; ſicut in eſſe phyſico non datur aliqua forma communis toti materiæ, ſed hæc completur per vnamquamquè formam phyſicam, ita in toto metaphyſico non eſt aliquod complementum commune toti enti, ſed dantur plures modi, qui ſe habent per modum complementi, ita vt vnuſquiſq; in ſua linea compleat. Deinde ſicut in linea phyſica indiuiduum non expectat aliud, quo determinetur, ideòquè dicitur ens completum ſimpliciter, ideſt omnibus modis, ita in linea metaphyſica indiuiduum dicitur ens completum ſimpliciter, ideſt, omnibus modis: & ſicut in linea ſpecifica totum completur per formam phyſicam, à qua deſumitur ſpecies, ita in linea metaphyſica completur ens in tali linea, vel per modum, vel differentiam, & tunc poteſt dici completum ſecundùm quid, ideſt, non omnibus modis, eſt tamen completum abſolutè in ſua linea, & hoc modo intelligo, & explico doctrinam aliorum, qui dicunt genera, & ſpecies eſſe entia completa ſecundum quid, debet intelligi, vel ſaltim ex eorum doctrina ſequitur, quòd non ſint entia completa omnibus modis bene autem ſunt entia completa in ſua linea.

607. His ſuppoſitis, & relictis alijs modis probandi noſtram concluſionem, ſic probatur. Nam ens completum non dicit aliquid commune omnibus entibus completis, quod ab omnibus participetur ſimpliciter: ergo ens completum non dicit aliquid vniuocum, ſed analogum. Pr. añs. Nam ens in ratione entis completi non conſtituitur per aliquem modum realem quaſi adæquantem ens in communi, ſed in ratione talis conſtituitur per varios modos, ſeù differentias: ergo ens completum non dicit aliquid commune omnibus entibus completis, quod ab omnibus participatur ſimpliciter. Explicatur hoc. Nam ſubſtantia in ſua linea completur per modum eſſendi per ſe, & modus iſte adæquat totam rationem communem ſubſtantiæ, & inuenitur in omni ſubſtantia completa, & ideo ſubſtantia completa eſt prædicatum vniuocum omni ſubſtantiæ; at ens in communi non dicit aliquem modum ſpecialem, quo ens in communi compleatur, ſed completur per ſpeciales modos conſtituentes ſpecialia prædicamenta, vt manifeſtat ens completum phyſicè, & dicebamus modò: ergo ens completum non dicit aliquid commune ſimpliciter omnibus entibus completis. Significat enim ens completum omnia prædicamenta, Deum, & creaturas, vt proportionem dicunt in hoc, quòd vnumquodquè completur per ſuum ſpecialem modum, vel differentiam, ac proinde ratio ſignificata non vniuoca, ſed analoga erit.

§. 4.

Oſtenditur ens habere vtramq; analogiam, ſcilicet attributionis, & proportionalitatis.

608. QVarta concluſio. Ens in communi, vt abſtrahit à completo, & incompleto, eſt analogum attributionis, & proportionalitatis. Hæc concluſio eſt communis inter Thomiſtas, & quantùm ad primam partem conſtat ex doctrina D. Thomæ. Nam explicans analogiam entis reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, Dei, & creaturarum, docet accidens denominari ens à ſubſtantia, & creaturam ens à Deo .l. per ordinẽ ad ſubſtantiã .l. ad Deum, & adducit exemplum de ſano reſpectu animalis, vrinæ, & medicinæ, ſed hæc eſt analogia attributionis: ergo iuxta mentem D. Thomæ ens eſt analogum attributionis. Et probatur ratione. Nam tunc eſt analogia attributionis quãdo ratio ſignificata primariò, & intrinſecè eſt in vno, & aliud denominatur tale in ordine ad illud, in quo intrinſecè eſt talis ratio: ſed ratio entis poteſt conſiderari, vt primariò, & intrinſecè in Deo v.g. & extrinſecè in creatura, & ſimiliter, vt intrinſeca ſubſtantiæ, & extrinſecè denominans accidens: ergo talis ratio, prout ſic eſt analoga attributionis. Maior continet ipſam quidditatem analogiæ attributionis. Et mi. pr. Nam ab entitate diuina põt creatura denominari extrinſecè, quatenus creatura reſpicit, vt principium, & finem ſui ipſam diuinam entitatem, & tunc ab iſta, vt à termino ſuæ dependentiæ poteſt extrinſecè denominari ens, ſicut denominatur medicina extrinſecè ſana per hoc quòd reſpicit, vt terminum, ſanitatem animalis, & idem de accidenti, quod dicitur entis ens, ideſt, per ordinem ad ſubſtantiam, & ita extrinſecè ens, ab entitate ſubſtantiæ: ergo ratio entis ſic poteſt conſiderari, vt ſit primariò, & intrinſecè in vno, & in alio extrinſecè. Et hæc eſt formaliſſima ratio analogiæ attributionis.

609. Secunda pars concluſionis ſ. quod ſit analogũ proportionalitatis. Pr. Nam ratio entis poteſt conſiderari, vt intrinſeca omni enti, nempè Deo, creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti, ita vt vnumquodq; denominetur intrinſecè à propria entitate intrinſecè inhærentæ ſibi; ſed in hoc conſiſtit analogia proportionalitatis: ergo ens poteſt ſic denominari. Prob. ma. .i. ex D. Thoma 1. p. q. 6. art 4. vbi ſic ait. [à primo igitur per ſuam eſſentiam ente, & bono, vnumquodquè poteſt dici bonum, & ens, in quantùm participat ipſum per modum cuiuſdam aſſimilationis, licet remotè, & deficienter. Sic ergo vnumquodquè dicitur bonum bonitate diuina, ſicut primo principio exemplari, effectiuo, & finali totius bonitatis.] In quibus verbis docet D. Thom. denominationem illam extrinſecam, qua creatura dicitur ens, & bonum ab ipſa diuina entitate, & bonitate, & ſtatim ſubdit intrinſecam denominationem ſic dicens. [Nihilominus tamen vnumquodq; dicitur bonum ſimilitudine diuinæ bonitatis ſibi

Digitized by Google

ſibi inhærente, quæ eſt formaliter ſua bonitas denominans ipſum. Et ſic eſt bonitas vna omnium, & etiam multæ bonitates.] Quaſi dicat D.Thomas. Licet entitas, & bonitas diuina extrinſecè denominent omnia entia, & bona, & in hac conſideratione ſit vna entitas, ſicut & vna bonitas omnium, nihilominus in alia conſideratione poteſt vnumquodquè denominari ens, & bonum à propria bonitate, & entitate intrinſeca vnicuiquè, & tunc erunt multæ entitates, ſicut, & bonitates. Prob. 2. illa minor ratione. Nam ens intrinſecè inuenitur in Deo, & in creaturis, in ſubſtantia, & accidenti: eſt .n. prædicatum tranſcendens, ac proinde intimè clauditur in qualibet re, modo, & differentia: ergo conſideratur, vt prædicatum intrinſecum, ſed hæc eſt conditio analogiæ proportionalitatis, vt conſtat ex dictis: ergo talis analogia inuenitur in ente ſub hac conſideratione. Explicatur hoc. Nam quando ens conſideratur, vt prædicatum intrinſecum omni ſibi inferiori, non conſideratur, vt vniuocum, ſed vt analogum, ſiquidem in illo inuenitur, & dependentia, & tranſcendentia, quarum vtraquè eſt cauſa analogiæ, ſed non eſt analogum attributionis, cum ad hoc requiratur, quod ratio analoga ſit tantùm extrinſecè in vno: ergo tunc conſideratur, vt analogum proportionalitatis.

§. 5.

Proponuntur argumenta contra analogiam entis in communi.

610. PRæcipuum argumentum Scoti, & diſcipulorũ eius deſumitur ex eo, quod detur conceptus entis taliter præciſus à modis, & differentijs, vt actù non includat nec explicitè, nec implicitè aliquem modum, vel differentiam, ex quo inferunt ibi nullam adeſſe diuerſitatem, ſed omnimodam conuenientiam, ſiquidem diuerſitas prouenit à modis, ſeù differentijs, quæ ibi actù non ſunt, ac proinde conceptum illum eſſe vniuocum. Et hoc argumento conuincuntur aliqui Thomiſtæ ad negandum conceptum præciſum entis, nam exiſtimant ex illo ſequi talem conceptum eſſe vniuocum. Sed quia de hoc dicemus conferentia ſequẽti, in qua deffendemus conceptum præciſum, ideo, pro nunc abſtineo ab iſto fundamento ſoluendo.

611. Arguitur 1. cõtra. 1. rationẽ ſecũdæ concl. ex doctrina P. Suarez diſp.28 met.ſect.3.num 9. Nam prædicta ratio D. Tho. & aliæ ſimiles, vel nimium probant, vel efficaces non ſunt, quod autem nimium probent, ſic oſtendit. Nam non ſolum probant ens non eſſe vniuocum, ſed etiam non habere vnum conceptum obiectiuum communem Deo, & creaturis, hoc autem non admittunt Plures Thomiſtæ, qui tali ratione vtuntur, nec ipſe D. Thomas: ergo nimium probat illa

rati-

Digitized by Google

ratio. Prob. Sequela. Nam ſi ratio entis, prout in Deo, aliud eſſentialiter includit, quàm, vt in creatura: ergo non poteſt illa ratio ita eſſe vna, vt vno conceptu formali repræſentetur, & vnum conceptum obiectiuum conſtituat: patet hæc conſequentia. Nam non poteſt intelligi quòd in conceptu vno vt ſic, ſit varietas eſſentialis. Declaratur in hunc modum. Nam quando dicitur creaturam non adæquare totam rationem entis, quæ eſt in Deo, & Deum includere in ſua ratione eſſentiali totam perfectionem entis, creaturam verò quaſi partem, & ideo non adæquari l. ſermo eſt de Deo, & creatura, vt entia ſunt, vel vt talia entia: hoc poſterius dici non poteſt, quia non eſſet ad rem, dum loquimur de ente, & de eius communitate. Si autem ſermo eſt de illis in ratione entis, ſic falſum eſt aliquid includi eſſentialiter in ratione vnius, & non alterius. Probatur hoc. Nam hoc ipſo, quod aliquid includatur, iam non conſiderantur præcisè, vt entia sũt, ſed vt talia ſunt, Vel certè ſi, vt entia ſunt, habent illam diſtinctionem, & varietatem, impoſſibile eſt vt vnum habeant obiectiuum conceptum.

612. Ad hoc argumentum reſpondeo rationem D. Thomæ eſſe efficaciſſimam ad probandum ens eſſe analogum reſpectu Dei, & creaturarum: & ex illa, nullatenus ſequi non poſſe dari conceptum vnum obiectiuum. Et ad huius probationem dico, quòd ipſum ens actualiter communicatum Deo, reperitur cum illa maxima perfectione, & in creaturis cum imperfectione, & deficientia, & tunc eſt actualis diuerſitas exercita in ratione entis, & hanc conſiderat intellectus abſquè tali diuerſitate actuali, vt dicetur conferentia ſequenti, cum diuerſitate tamen virtuali, quæ in eo conſiſtit, quòd ratio ipſa petit ex ſe deſcendere ad ſua inferiora cum tali diuerſitate. Quapropter ratio D. Thomæ, ex eo probat rationem communem eſſe analogam, quia in inferioribus exercetur cum tali diuerſitate actuali, quæ radicaliter præhabetur in ipſa ratione communi, & eſt ſufficiens ad cauſandam analogiam. Itaquè diuerſitas radicalis conſideratur in ente in communi, & hæc non impedit vnitatem conceptus, non tamen conſideratur diuerſitas actualis, nam hæc impedit talem vnitatem conceptus.

613. Arguitur ſecundò contra eandem rationem. Nam ſequeretur quod nullus effectus cauſæ æquiuocę haberet vniuocam conuenientiam cum ſua cauſa: hoc autem eſt falſum: ergo id, ex quo ſequitur. Sequela patet. Nam nullus effectus cauſæ æquiuocæ adæquat virtutem cauſæ, aliàs eſſet eiuſdem rationis ſpecificæ cum cauſa, quod eſt contra rationem cauſæ æquiuocæ. Et minor probatur. Nam corpus dicitur vniuocè de corpore cęleſti, ſublunari, & illud eſt cauſa æquiuoca iſtius, & lux dicitur vniuocè de luce ſolis, & luce ignis, vel aeris: ergo effectus cauſæ æquiuocæ poteſt habere vniuocam conuenientiam cum ſua cauſa æquiuoca. Confirmatur hoc. Nam licet ſenſitiuum in h mine ſit cum maiori perfectione, quam in leone, vel equo, tamen vniuocè dicitnr de illis: ergo etiam ſi ens magis perfectè ſit in Deo,

Digitized by Google

Deo, quàm in creaturis, non ex hoc tollitur vniuocatio.

614. Ad hoc argumentum reſpondeo, quòd ſenſus propoſitionis D. Thomæ eſt, quod quando aliquis affectus non adæquat virtutem cauſæ in aliquo prædicato, ſed potiùs hoc prædicatum eſt in cauſa perfectè, & in effectu deficienter, tunc tale prædicatum eſt analogum, & ſimiliter nomen ſignificans illud prædicatum erit analogum, non tamen ſenſus eſt quod omnia alia prædicata ſint analoga, in quibus non eſt ſimilis deficientia. Et ita omnis effectus cauſæ æquiuocæ in ea ratione formali, qua eſt effectus cauſæ æquiuocæ, non conuenit vniuocè cum ſua cauſa æquiuoca, licet vniuocè conueniat in alijs, in quibus per ſe non dependet à cauſa æquiuoca. Et ſic contingit in exemplo poſito. Nam corpus ſublunare in ratione corporis non per ſe pendet à cęleſti, ſed in alijs rationibus, & idem dicendum eſt de alijs prædicatis, in quibus lux ignis, vel aeris non dependet à luce ſolis. Videatur Mag. Araujo lib. 4. metaph. quæſt. 2. artic. 2. dub. 1. num. 16.. Ad confirmationem reſpondeo illam maiorem perfectionem ſenſitiui in homine prouenire ex ipſa differentia hominis, & non ex ratione communi, & ideo non cauſat analogiam.

615. Arguitur 3. contra ſecundam rationem eiuſdem concluſionis. Nam latiùs patet prædicatum vniuocum etiam in quid, quàm genus: ergo ex eo quòd ens ſit vniuocum, non ſequitur quod ſit genus: pr. antecedēs 1. quia genus dicit conceptū vnum extra conceptū differentiarū, ità vt componat metaphyſicè cū differentijs: at hoc non eſt de ratione vniuoci prædicati etiam in quid, ſiquidem tale eſt prędicatum cōe entis, cum in quid prædicetur: ergo latiùs patet prædicatum vniuocum quam genus. Pr. 2. aňs. Nam multi probabiliter exiſtimant accidens completum eſſe vniuocum, & non eſſe genus ad nouem genera accidentium, & motum dici vniuocè de actione, & paſſione, qui ad iſtas non eſt genus, & ipſum ens dici vniuocè reſpectu aliquorum, licet non omnium Item Perſona. l. relatio increata prout cōis eſt tribus perſonis, vel relationibus diuinis, dicitur vniuocè de illis: & dicitur quidditatiuè de illis, ſi formaliter de quidditate perſonæ, vel relationis vt ſic loquamur, & tamen non eſt genus: cum non poſſit habere differentias contrahentes: ergo latiùs patet prædicatum vniuocum in quid, quàm genus. Quare cōter videtur dicendum tale prædicatum non eſſe vniuerſale, prout Porphyrius egit de vniuerſalibus, quæ in prædicamentis collocantur, an vero alio modo latiori poſſit dici vniuerſale, quæſtio eſt de modo loquendi, quæ ad rem præſentem parùm, aut nihil refert.

616. Ad hoc argumentum, quod proponit P. Suarez diſp. 32. metaph. ſect 2. n. 10. quo conuincitur ad aſſerendum prædictam rationem D. Thom. eſſe inefficacem, reſpondeo negando aňs: ad eius. 1. probationem dico quod ſicut tranſcendentia illa impedit rationem generis, ita impedit vniuocationem, vt conſtat ex dictis conf. 2 ac proinde vis rōis in eo conſiſtit: quod ſi ens ſemel ſupponitur vniuocum, ſupponitur non tranſcendens, & cōter genus: eſt .n. repugnantia quod ſit tranſcendēs, & quod ſit vniuocum, & ideo ſi admitti-

mittitur eſſe vniuocum,non eſt aliquid impediens rationem generis. Ad 2.probationem reſpondeo Thomiſtas non admittere illam opinionem de vniuocatione accidentis, nec admitti poteſt cōnter ad iſtam rationem. Ad illud exemplum de motu,quid quid modò ſit,an ſit idem realiter cum actione.l.paſſione,reſpondeo motum eſſe quid incompletum,& cōnter non poſſe eſſe genus, ideoquè non pertinet ad prædicamentum, ſed conſtituit poſtprædicamentum, imò in ſententia probabiliori non eſt prędicatum quidditatiuum actionis, & paſſionis. Ad aliud exemplum non admitto ens dici vniuocè reſpectu aliquorum, quia reſpectu omnium verificatur tranſcendentia, vt poſtea dicetur. Ad vltimum exemplum de perſona diuina reſpondeo quod in diuinis propter mutuam inclusionem omnium prædicatorum non inuenitur ratio aliqua vniuoca: at loquendo de perſona diuina, cum explicitè nō afferat niſi modum ſubſiſtendi, hinc eſt quod non afferat rationem aliquam genericam, & idem dico de ipſa diuina relatione, quæ eſt ipſamet ſubſiſtentia relatiua, ſeu perſonalitas. Si autem inſtes quòd ſermo eſt de ratione cōi perſonæ,reſpectu huius perſonæ diuinæ, & alterius formaliter in ratione perſonæ, reſpondeo ipſam formalem rationem perſonæ non dici vniuocè de perſonis diuinis propter intimam incluſionem,quam ad inuicem dicunt perſona, & talis perſona,relatio,& talis relatio, & ex eadem ratione ſequitur non eſſe genus. Ex ratione igitur D. Thomæ concluditur quod ſi ens eſſet vniuocum, nihil illi deficeret ad rationem vniuerſalis, vt ponitur à Porphyrio,& conſequenter ad rationem generis, eo quòd ſi aliquid obſtaret, maximè tranſcendentia, quæ ſupponitur non eſſe, ſi ſemel admittitur ens eſſe vniuocum.

§. 6.

Proponuntur argumenta contra analogiam entis completi.

617. ARguitur 1. contra 3. concluſionem. Nam in ente completo nulla cauſa analogiæ inuenitur, non tranſcendentia, ſiquidem ens completum non includitur in differentijs, vel modis, qui ſunt entia incompleta: non dependentia, nam vnumquodquè per ſe, & independenter ab alio eſt completum: ſed nulla alia cauſa analogiæ inuenitur præter tranſcendentiam, & dependentiam: ergo ens completum non eſt analogum. Si autem dicas 1. cum Magiſt. Araujo lib. 4. metaph. quæſt. 3. art. 5. nu. 44. & 45. ens completum imbibi in ſuis modis, eo quòd ens completum, & incompletum ſcilicet modus entis diſtinguuntur ſolo modo ſignificandi. In contra eſt. Nam ens completum eſt illud, quod tali modo ſignificatur, ſcilicet per modum cuiuſdam totius, & amplius dicit aliquid complens illud in ratione talis entis, & totum hoc repræſentatur per conceptum entis completi, ſed hoc obiectum ſic repræſenta-

ſentatum non imbibitur in ſuis modis, quia potius dicit in ſe modum aliquem complentem: ergo falſum eſt dicere quòd ens completum imbibatur in modis. Explicatur, & confirmatur hæc impugnatio. Nam licet modus complens ens identificetur cum ente, & per rationem ex vtroq; fiat vnus ſimpliciſſimus conceptus abſq; aliqua compoſitione, tamen ex huiuſmodi identitate non infertur quòd ens completum imbibatur in modis, ſi enim ſic imbiberetur, hæc prædicatio eſſet vera, ens completum eſt ſuus modus, v.g. eſt modus per ſe, hæc autem falſa eſt: ergo prædicatum illud non imbibit ſubiectum, nec ſubiectum imbibit prædicatum, nam ſiuè dicas, modus eſt ens completum, ſiuè dicas, ens completum eſt modus, eſt falſa propoſitio. Igitur ſicut modus ſignificandi, & concipiendi reddit propoſitionẽ falſam, ita facit qd res prout concepta per modũ entis completi non imbibatur in re concepta per modum entis incompleti.

618. Secundò obijcitur. Nam huiuſmodi incluſio entis completi non verificatur in modis, & differentijs generum, & ſpecierum inferiorum, vt ipſe Mag. Araujo concedit, ergo ſaltim reſpectu generum, & ſpecierum inferiorum erit vniuocum. Reſpondet, quòd licet in illis non imbibatur ens completum, quia tamen in illis imbibitur alia ratio tranſcendens, cum qua illa completa identificatur, hoc ſufficit, vt vtraq; ſit analoga. In contra eſt 1. quia tranſcendentia cauſat analogiam in illa ratione, quæ tranſcẽdit, & imbibitur in differentijs: ſed ratio entis completi nõ imbibitur, ſed alia ratio entis in communi: ergo analogia nõ erit in illa ratione entis completi, ſed in alia. Secundò, quia licet ratio entis imbibita in differentia identificetur realiter cum ratione entis completi, ſicut identificatur ipſa differentia, tamen ex hoc non ſequitur, quod ipſum ens completum imbibatur in differentia, ſed quòd identificetur cum illa, ſicut identificatur genus, cum quo facit compoſitionem differentia: ergo ex hoc non ſequitur analogia, quæ cauſari debet ex illa incluſione, quę cauſet conuenientiam, & differentiam in illa ratione analoga, ex identificatione autem hoc non ſequitur, ſicut non ſequitur ex identificatione generis cum differentia. Et ſanè ex vna parte docet Magiſt. Araujo, quòd vtraquè ratio entis tàm completa, quàm incompleta eſt analoga, & ex alia affirmat, quod ratio communis entis completi, ſicut directè non eſt ſuperior ad differentias, & modos, ita neq; eſt vniuoca, nequè analoga; at ſecundùm aliquam rationem ſibi identificatam, nempè illam abſtractam ab ente completo, & incompleto, eſt analoga. Sed argumentum inquirit ex qua cauſa proueniat analogia entis completi reſpectu naturarum completarum, reſpectu quarum nec videtur eſſe tranſcendentia, nec dependentia.

619. Si verò dicas 2. cum Mag. Ioan. à S. Thoma ens completum non dicere aliquid reale commune omnibus entibus completis, ſed potiùs includere ſpeciales modos, quibus redditur completum, & à quibus præſcindi non poteſt; & videtur aſſentiri huic ſolutioni Magiſt. Araujo. In contra eſt 1. Nam ab omnibus entibus completis poteſt præſcindi aliqua ratio realis communis omnibus, & quæ de

kk illis

Digitized by Google

illis prædicetur; verbi gratia, iſtæ ſint veræ propoſitiones. Subſtantia eſt ens completum, quantitas eſt ens completum, & ſic de alijs prædicamentis: ergo ex parte prædicati in his propoſitionibus concipitur aliqua ratio realis illis omnibus competens; ſed hæc eſt ratio entis completi: ergo talis ratio entis completi, quæ ſit realis, & conueniat omnibus illis. Secundò obijcitur. Nam in linea entis poteſt dari proprius modus complens rationem entis, qui ſit communis omnibus entibus completis; ergo ens non completur per ſpeciales modos prædicamentorum. Pr. añs. Nam in linea entis vltimum complementum eſt exiſtentia, quæ ſe habet per modum actus reſpectu entis, prout ens ſumitur nominaliter pro eſſentia ſicut in linea ſubſtantiæ ſubſiſtentia eſt modus completiuus; & exiſtentia priùs conuenit enti, quàm quilibet alius modus, & eſt communis omni enti completo: ergo in linea entis poteſt dari proprius modus complens rationem entis, & tunc de hac ratione ſic completa inquiritur an ſit analoga, & vnde proueniat analogia.

620. Tandem ſi dicas ens completum participari à ſubſtantia, & accidenti cum dependentia vnius ab altero, ita vt per prius, & ſimpliciter ſit in ſubſtantia, & per poſteriùs, & ſecundum quid in accidenti. In contra eſt. Nam licet accidens in ratione communi entis habeat ſimilem dependentiam, non tamen in ratione entis completi, ſiquidem independenter à complemento ſubſtantiæ, habet ſuum complementum, & licet aliquomodo dependeat, hæc dependentia eſt, tanquàm à ſubiecto receptiuo, quæ eſt dependentia phyſica, & non logica, vt requiritur ad analogiam: ergo ex tali dependentia non ſequitur analogia entis completi.

621. Ad hoc argumentum, ſi admitteremus vnam rationem communem entis completi, quæ ab omnibus participaretur, facilis eſſet ſolutio, nam hæc ratio immediatè participaretur à ſubſtantia completa, & accidenti completo, cum dependentia iſtius ab illa, ſicut dicebamus de ente, prout abſtrahit à completo, quòd participatur ab accidenti cum dependentia à ſubſtantia, & ſecundum priùs, & poſterius in ratione entis. Et eodem pacto ratio illa communis entis completi, ſi daretur, participaretur à ſubſtantia completa priùs, & ſimpliciter, & ab accidenti poſterius, & ſecundum quid, & huiuſmodi dependentia eſſet ſufficiens, vt ratio illa eſſet analoga. Et in hac ſuppoſitione intelligitur hæc vltima ſolutio, & in tali caſu dependentia non foret ſolùm accidentis à ſubſtantia, vt à ſubiecto receptiuo, ſed tanquàm ab illo, in quo priùs, & ſimpliciter eſt ratio entis, & dependenter à quo accidens completum diceretur ens cõpletum; nam illa ſuppoſitione facta diſcurrendum eſſet de ente completo reſpectu naturarum completarum, ſicut de ente abſtrahente reſpectu aliorum inferiorum.

622. Nihilominus, quia in probatione noſtræ concluſionis tertiæ non admittimus talem rationem communem, ideo aliter dicendum eſt cum Mag. Ioan. à Sancto Thoma, quòd ens completum non poteſt præſcindi à ſuis modis, ſeù differentijs conſtitutiuis, ideo eſt analo-

analogum, vt potè continens actù ipſam diuerſitatem actualem cum aliquali conuenientia, Et tunc cauſa illius analogiæ eſt dependentia ipſa exercita inter ipſos modos, ſeù differentias inter ſe, ſiquidem ens per ſe, accipitur vt independens, & ens in alio, vt dependens etiam in ratione entis, & cum hoc totum ibi reperiatur in conceptu, ideo eſt analogia.

623. Et quia contra iſtum dicendi modum obſtant duæ obiectiones poſitæ contra modum dicendi Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma num. 529 ideo ad 1. negatur aſſumptum, non enim concipitur aliqua ratio præciſa, & realiter communis entibus completis, vt dicitur conferentia ſequenti, ſed concipitur quaſi in confuſo ens ſub modis complentibus, & hoc ſufficit vt illæ propoſitiones ſint veræ, vt dicemus ibidem. Ad 2. negatur antecedens: ad cuius probationem dico, quod exiſtentia eſt actus vltimus aduenìens enti iam completo in linea ſpecifica, ac proinde ſupponit ens completum non ſolùm per modos ſuperiores, ſed etiam per differentias ſpecificas; & cõnter non poteſt eſſe complementum conueniens enti in tota ſua latitudine, vt requirebatur, ideſt, prout anteuertit omnem modum conſtituentem prædicamentum, & omnem differentiam conſtituentem ſpeciem, ſiuè ſubalternam, ſiuè infimam. Quomodo autem ſe habeat modus complens ſubſtantiam in ſua linea, & an detur accidens completum in communi, & an ſit analogum, dicemus Conf. 5.

§. 7.

Proponuntur argumenta contra duplicem analogiã entis in communi.

624. ARguitur 1. contra concluſionem. Nam analogia attributionis, & proportionalitatis habet conditiones omninò oppoſitas: ergo vtraquê non poteſt inueniri in eadem ratione communi. Pr. antecedens. Nam vna petit quod ratio communis ſit intrinſecè in vno, & non in alio .l. in alijs analogatis ſit extrinſecè, ita vt vna numero forma denominet omnia analogata, & hæc ſolùm ſignificatur per nomen: altera vero exigit quòd ratio communis ſit intrinſecè in omni analogato, & ita in illis realiter multiplicatur ratio illa communis: hæ autem conditiones ſunt omnino oppoſitæ, & incompatibiles inter ſe: ergo prædictæ analogiæ tales conditiones habent. Explicatur hoc. Nam ens inuenitur intrinſecè in Deo, & creaturis, in ſubſtantia, & accidenti, ita vt creatura denominetur ens à propria, & intrinſeca entitate, & eodem pacto accidens à propria entitate denominatur ens licet intercedat aliqualis dependentia iàm explicata in ſuperioribus: ergo non poteſt creatura denominari extrinſecè ens, aut accidens extrinſecè per ſolam attributionem ad Deum, vel ſubſtantiam.

625. Si autem dicas prædictas conditiones conuenire enti ſecundum diuerſas conſiderationes in ordine ad ſua inferiora, & non eſſe inconueniens oppoſitas conditiones competere eidem rei diuerſimodè conſideratæ. In contra eſt. Nam in noſtro caſu videtur huiuſmodi oppoſitio exerceri ſecundum eandem rationem, ſiquidem ens conſideratur intrinſecè reſpectu eiuſdem, v. g. accidens conſideratur intrinſecè ens, & extrinſecè ens: ergo oppoſitio penes intrinſecum, & extrinſecum verificatur in eadem ratione formali entis: explicatur hoc. Nam licet contingat præſupponi aliquid intrinſecum, quaſi fundamentum extrinſecæ denominationis, vt dicebamus ſupra; & conſtat in vrina, quæ intrinſecè dicitur ſignificans ſanitatem, & talis intrinſeca denominatio ſit fundamentum, vt denominetur extrinſecè à ſanitate animalis, tamen quod videtur difficile eſt quòd intrinſeca, & extrinſeca denominatio ſit in eadem ratione cõmuni. Et vrgetur, in præſenti exemplo. Nam ſi vrina denominaretur etiam intrinſecè ſana, non denominaretur etiam extrinſecè ſana, denominatur enim intrinſecè ſignificans ſanitatem, & extrinſecè ſana; & tunc ſunt duo concreta valdè diſtincta, [ſ. ſignificans ſanitatem, & ſanum,] vt ſupra dicebamus. At in caſu noſtro eadem ratio entis intrinſecè denominat accidẽs, & creaturam: ergo non denominat extrinſecè ens; aliàs eſſent duo concreta, nempè intrinſecè ens, & extrinſecè ens, & ab eadem forma, & reſpectu eiuſdem ſubiecti, quod videtur impoſſibile.

626. Ad hoc argumentum benè dictum eſt prædictas analogias, & eorum conditiones competere enti ſecundùm diuerſas conſiderationes, & ad huius ſolutionis impugnationem dico illas diuerſas denominationes non prouenire ab eadem forma, ſeu ab eadem ratione formali: nàm accidens denominatur intrinſecè ens à propria entitate ſibi intrinſeca, & hæc intrinſeca denominatio eſt fundamentum, vt denominetur extrinſecè ens ab entitate ſubſtantiæ, & idem eſt de creatura, quæ intrinſecè ſupponitur ens, & denominatur extrinſecè ens ab entitate diuina, & increata. Quapropter optimè inſtat argumentum non poſſe intrinſecè, & extrinſecè ab eadem formali ratione denominari aliquod ſubiectum: at hoc non dicimus nos, ſed aſſignamus duas rationes omninò diſtinctas. Et vna, quæ eſt ſufficiens fundamentum ſuæ analogiæ, ita vt ens, prout intrinſecè in Deo, & extrinſecè in creatura eſt fundamentum ſufficiens, vt reſultet relatio rationis, quæ eſt analogia attributionis, & idem de intrinſeca alia denominatione, quòd ſit ſufficiens fundamentum, vt reſultet altera relatio rationis, quæ eſt analogia proportionalitatis. Et hoc modo poſſunt conciliari varia teſtimonia D. Tho. quidquid ſit de alio modo dicendi Mag. Io. à Sancto Thoma q. 13. logicæ art. 4.

627. Arguitur 2. & poteſt eſſe impugnatio præcedentis ſolutionis. Nam repugnat quòd accidens denominetur ens ab entitate ſubſtantiæ, & creatura ſimiliter ens ab entitate diuina: ergo extrinſeca denominatio in accidenti, & creatura nõ benè eſt explicata. Probatur añs. Tùm quia iam accidens denominaretur

retur

Digitized by Google

retur ſubſtantia, & creatura Deus, non autem denominarentur ens, ſi quidem forma denominans non eſt entitas, vtcumquè, ſed entitas, quę eſt ſubſtantia denominaret accidẽs, & entitas, quæ eſt diuina, denominaret creaturam, in quo videtur maximum abſurdum. Tùm quia aliàs ens, prout ſic conſideratum, non diceret aliquid commune ſubſtantiæ, & accidenti, Deo, & creaturis, ſed ſolùm afferret entitatem ſubſtantialem, vel diuinam.

628. Ad hoc argumentum reſpondeo quòd ens, prout analogum attributionis principaliter ſignificat ſubſtantiam, & ipſum accidens ſecundariò, ſeù minùs principaliter, quatenus ordinatur ad ſubſtantiam, ſicut in exemplo de ſano, quod principaliter ſignificat animal, & cætera minùs principaliter, prout ab illo dependent, & ad illud ordinantur. Quapropter ex eo præciſè quòd accidens reſpiciat ſubſtantiam, vt terminum ſuę dependentię, dominatur ens. Non tamen ens ſubſtantiale, nam huiuſmodi denominatio eſt reſpectu analogati principalis, & eodem pacto entitas diuina denominant Deum ens diuinum, infinitum, & per eſſentiam, & denominat creaturam, quæ ab ipſa dependet, ens. Ex quo patet ad 1. probationem illius ãntis. Ad 2. reſpondeo ens tunc dicere vnam rationem communem duorum conceptuum, nam dicit Deum, vt denominantem creaturam ens, ſicut ſanum ſignificat vnam rationem includentem plures conceptus. Et hæc ſufficiant.

CONFERENTIA 4.

Vtrũ dari poſſit vnus conceptus entis præciſus ab omni modo, & differentia inferiori.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

619. Celebris difficultas, & valdè controuerſa non ſolũ inter Thomiſtas, & Scotiſtas, ſed etiã inter ipſos Thomiſtas. Ad cuius explicationem. Noto. 1. quòd nõ eſt difficultas de ente, prout eſt analogũ attributionis, nã prout ſic præſcindi non poteſt à ſuis inferioribus, vt proximè dicebamus, & in hoc cõueniunt omnes opinantes; maximè ſi ſupponamus analogiam attributionis ſolùm inueniri inter illa, quæ participant vnam rationẽ, quæ intrinſeca ſit vni, & extrinſeca alteri, vt ſupra dicebamus; Noto. 2. quòd cõceptus eſt duplex, alter formalis, & eſt actus intellectus, vel terminus intrinſecus illius, qui dicitur ſpecies expræſſa, verbum, ſeù conceptus, quo repræſentatur obiectũ. Alter dicitur conceptus obiectiuus, & eſt obiectum illud, quod repræſentatur per conceptum formalem. Noto. 3. quòd nõ eſt idem diſtinctio, & præciſio, nam in omni opinione conceptus entis eſt diſtinctus à conceptibus ſuorum inferiorum. Diſtin-

Digitized by Google

Diſtinctio enim non dicit excluſionem, ſed cum incluſione vnius in alio ſtat diſtinctio ratione illius, quod explicitè repræſentatur: præciſio autem addit excluſionem illius, à quo fit præciſio. Et ita ſenſus quæſtionis præſentis eſt. An poſſit dari aliquis conceptus entis, in quo neque explicitè, neque implicitè actu contineantur, ſiuè repræſententur modi, ſeu differentiæ ipſius entis. Nota. 4. quòd duplex poteſt eſſe præciſio: altera, qua intellectus concipiat ens ſine differentijs, ſeù modis; & hæc dicitur præciſio negatiua, quia conſideratur ens actù ſine differentijs, nihil cogitando de differentijs. Altera poteſt eſſe præciſio, ita vt non ſolum ens concipiatur ſine differentijs, ſed etiam ipſæ differentiæ ſine ente, & hæc dicitur præciſio poſitiua, quaſi intellectus extrahat rationem entis, quæ intimè eſt clauſa in differentijs.

630. His ſuppoſitis prima ſententia aſſerit poſſe dari aliquem conceptum imperfectum entis, in quo, quantùm ad explicitum non repræſententur modi, aut differentiæ, & ita dicatur præciſus quòad explicitum, non tamen poſſe dari conceptum perfectum entis, in quo actualiter, ſaltim implicitè, & in confuſo non afferantur modi, & differentiæ inferiores. Hanc ſententiam defendunt Plures Thomiſtæ tàm antiqui, quàm moderni. Flandria, Ferraria, Nazarius, Araujo, Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma, Colleg. diſcalc. & eandem ſequuntur Rubio, Fonſeca, Vazquez, & alij relati à Modernis. Secunda ſententia docet poſſe dari tàm conceptum formalem, quàm obiectiuum præciſum, qui ſit conceptus perfectus, & adæquatus repræſentans, ſeu afferens ipſum eſſe ſine aliquo modo, vel differentia actualiter ibi clauſa. Hanc ſententiam defendunt omnes Scotiſtæ, & grauiſſimi Thomiſtæ, & pro ea referuntur Capreolus in 1. diſt. 2. quæſt. 1. artic. 2. §. [ad argumenta contra 1. concl.] Et Deça ibidem. Cœterùm neuter clarè loquitur, nec certò poteſt colligi ex eorum doctrina, in quam partem inclinent, licet magis videantur inclinare in hanc ſecundam ſententiam, nam argumenta, quæ ibi ſoluunt, ſunt illa, quæ ab authoribus primæ ſententiæ proponuntur in ſui fauorem. Eandem ſententiam tenet expræſsè Mag. Soto in anteprædicamentis capit. 4 q. 1. & refert pro eadem Capreolum, & loquens in concl. 1. de conceptu formali præciſo entis, ſic ait, [concluſio eſt euidentior, quàm vt pluribus rationibus indigeat, & eſt Sancti Thomæ in primis ſtatim verbis de ente, & eſſentia, & Capreoli, & omnium huius Scholæ. Quare in conceptu formali entis nihil differt inter Scotum, & Sanctum Thomam.] Hæc Magiſt. Soto, & in 2 concl. determinat conceptum obiectiuum eſſe præciſum, & pro hac refert Caietanum. Eandem ſententiam ſequutus fuit Magiſt. Iabellus, Mag. Zumel, & alij grauiſſimi Thomiſtæ in manuſcriptis.

§. 2.

Reſoluitur difficultas.

631. Pro reſolutione veritatis ſit prima concluſio. Eodem modo diſcurrendum eſt de conceptu formali entis, & de obie-

obiectiuo, quantùm ad vnitatem, & præciſionem. Hæc concluſio communiter admittitur ab authoribus contra vnum, vel alterum, qui diuerſimodè loquuntur, de conceptu formali, & de obiectiuo. Et probatur ratione. Nam vnitas conceptus formalis deſumitur ex vnitate obiectiui, & quod in iſto per modum obiecti affertur, repræſentatur per alterum iuxta exigentiam illius: ergo à priori optimè ſequitur, conceptus obiectiuus eſt vnus, & actù non claudit modos, vel differentias: ergo conceptus formalis repræſentans illum erit vnus, & non repræſentans modos .l differentias, in quo cònſiſtit præciſio conceptus formalis, nempè in eo quod repræſentat conuenientiam, & non actualem diuerſitatem, & huiuſmodi repræſentatio ideo ſic fit, quia in obiecto affertur conuenientia, & non actualis diuerſitas.

632. Secunda concluſio. Dari poteſt conceptus entis imperfectus, & inadæquatus, & præſcindens quoad explicitum à ſuis inferioribus. Hæc concluſio admittitur ab authoribus primæ ſententiæ, qui dicunt poſſe dari conceptum formalem, qui repræſentet explicitè conuenientiam inferiorum in ente, & non diuerſitatem, qui conceptus tàm formalis repræſentans, quàm obiectiuus repræſentatus explicitè eſt imperfectus, & inadæquatus, præciſus tamen, quoad explicitum. Ita Collegium diſcalc. Gallego, & ſequitur Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma quæſt. 13. art. 5. con. 2. & refert Caietanum, Ferrara, & Thomiſtas communiter idem aſſerentes. Et pr. Nam omnia inferiora entis conueniunt in ipſa ratione entis, quam intrinſecè in ſe habent, vt ſunt analogata proportionalitatis: ergo intellectus poteſt elicere vnum conceptum, qui explicitè repræſentet illam conuenientiam, non repræſentatâ explicitè differentia aliqua, vel modo; & de hoc conceptu ſic explicitè repræſentante conuenientiam entis, & non diuerſitatem actualem conuincunt rationes, quæ communiter ſolent afferri tàm à Thomiſtis, quàm ab Scotiſtis ad probandum conceptum præciſum entis abſolutè, & ſimpliciter, vt ex dicendis conſtabit. Aduerto tamen quòd licet hæc concluſio in re verum dicat, nihilominus talis conceptus ſi non excludat modos, & differentias, non poteſt dici, propriè loquendo, præciſus. Nam, vt dicebamus nu. 539. præciſio propriè loquendo conſiſtit in eo, quòd id, à quo fit præciſio, non includatur in eo, quod præſcinditur, & non ſufficit, quòd vnum alterum non explicet. Nam hoc quod eſt vnum alterum non explicare, ſi vnum includat alterum, non eſt præſcindere, licet ſufficiat ad diſtinctionem rationis pœnes implicitum, vel explicitum, & vt conceptus ille ſit diſtinctus, &, vt alij dicunt, abſtractus; non tamen, vt ſit præciſus: ſed quæſtio hæc videtur eſſe de modo loquendi. Veniamus ad rem.

633. Tertia concluſio. Dari poteſt vnus conceptus entis obiectiuus, in quo actualiter non repræſententur modi, ſeu differentiæ entis, qui conceptus ſit perfectè, & adæquatè repræſentans rationem entis, & nullo modò ſiuè explicitè, ſiuè implicitè contineat rationem differentiarum, & iſte dicitur con-

ceptus

ceptus præciſus entis. Hæc concluſio admittitur ab ſcotiſtis, licet ex illa inferant conceptum illum eſſe vniuocum: Thomiſtæ verò defendentes conceptum præciſum, aſſerunt illum eſſe analogum: ita relati ſupra pro ſecunda ſententia,& quātùm ad authoritatem Thomiſtarū, ſufficeret ſolus Magiſter Soto, qui aſſerit ſuo tempore hanc doctrinam eſſe omnium huius Scholæ Thomiſticæ, præterquàm quòd alij grauiſſimi illam defendunt, & fortè Caietanus, de cuius mente adhuc non conſtat inter Thomiſtas: ſed quidquid ſit de hoc, probanda eſt accuratè noſtra concluſio,tùm authoritate D.Thomæ,& ratione à priori, quod priùs præſtandum eſt, tùm labefactando fundamenta oppoſitæ ſententiæ.

634. Probatur igitur noſtra concluſio 1. authoritate D.Thomę quæſt. 1. de veritate artic. 1. in corpore, vbi ſic ait. [illud autem quod primò intellectus concipit, quaſi notiſſimum, & in quod omnes conceptiones reſoluit, eſt ens, vt Auicena dicit in principio metaphyſicæ ſuæ: vnde oportet quòd omnes aliæ conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens.] In quibus verbis aſtruit conceptum repræſentantem ens, tanquàm id, in quod alia reſoluuntur. Similem doctrinam tradit cap. 1. de ente, & eſſentia ſic dicens [ens autem, & eſſentia ſunt, quæ primò intellectu concipiuntur, vt dicit Auicena in metaphyſica] vbi Caietanus quęſt. 2. expreſsè docet noſtram ſententiam, quam explicat duabus concluſionibus, altera de conceptu formali, de quo, ait, eſſe vnum communem in repræſentando, ſubſtantiæ, & accidenti, Deo, & creaturis. Et in altera docet de conceptu obiectiuo tria, ſcilicet eſſe aliquid reale inuentum in omnibus generibus, diſtinctum ab illis ſecundùm rationem, & nullum gradum ſupra naturas genericas, ſpecificas, & indiuiduales exprimere. Quæ omnia elegantiſſimè probat ibidem Caietanus, & ex illius probationibus conſtabit noſtram ſententiam eſſe iuxta illius mentem.

635. Probatur 2. noſtra concluſio ratione à priori. Ad perfectum conceptum alicuius rei, illiquè adæquatum non requiritur, quòd in illo actù includantur, ſiuè actù afferantur ea, quæ non pertinent ad eius eſſentiam: ſed modi, & differentiæ entis non pertinent ad illius eſſentiam: ergo poteſt dari conceptus perfectus, & adæquatus entis non includens, ſeù non afferens actù modos, ſeu differentias, qui conceptus ſine dubio præciſus erit: ſiquidem ab illo excluditur actualis incluſio modorum, ſeu differentiarum. Maior eſt certa, cum tunc perfectè res concipiatur, quando omnia prædicata eſſentialia concipiuntur, ſiuè concipiantur omnia explicitè, ſiuè vnum explicitè, & alterum implicitè, omnia autem actû debent concipi, illa verò prædicata, quæ eſſentialia non ſunt, non exigunt concipi actù, ſiuè explicitè, ſiuè implicitè: & hoc, vt certum, aſſeritur in maiori. Minor verò in qua eſt difficultas multipliciter poteſt oſtendi. Primò ex Mag. Soto. Nam ens fuit impoſitum ad ſignandum ipſum eſſe in communi, & quod omnibus eſt commune, & homines ſic concipiunt ens, & non fuit impoſitum ad ſignificandos modos,

dos, ſeù differentias, & conſtat experientia, quòd audito hoc nomine, ens, nõ cõcipimus modos, aut differẽtias, ſed ipſam formalem rationem eſſendi: Dicere autem quòd modi, & differentiæ concipiuntur actù, ſed confusè, & non diſtinctè, & quòd tale nomen ſignificat etiam confusè tales modos, & differentias, non videtur habere fundamentum, nequè in ipſa impoſitione, nec in experientia, imò oppoſitum videtur contingere. Quis enim credet quòd qui impoſuit hoc nomen, ens, intendit aliquomodo ſignificare Deum, creaturam, & decem prædicamenta, imo, & omnes alias inferiores differentias? & quis in ſe experitur concipere modos, & differentias prædictas, audito, hoc nomine, ens? & Tunc vltrà ſed id, quod ſignificatur ex vi impoſitionis nominis, & quod à nobis concipitur, eſt adæquata eſſentia entis: ergo ad illam non pertinent modi, ſeù differentiæ.

636. Secundò probatur illa minor. Nam id, quod eſt prius ex natura ſua, non poteſt conſtitui aſſentialiter per id, quod eſt poſterius ex natura ſua; ſed ens eſt prius ſuis modis, & differentis ex natura ſua: ergo ens non conſtituitur eſſentialiter per modos, & differentias. Ma. eſt certa. Nam id, quod eſt prius, debet intelligi adæquatè conſtitutum ante aduentum poſterioris, ſi enim eſt prius, in illo priori debet intelligi in ſuo eſſe eſſentiali. Et mi. probatur. Nam id eſt prius altero, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia, ſed non valet ab ente ad modos, ſiuè differentias, benè autem è contra, verbi gratia, non valet hæc conſequentia. [eſt ens, ergo eſt per ſe] benè autem valet(eſt per ſe ergo eſt ens) ergo ens eſt prius ſuis modis, & differentijs. Nec valet ſi dicas ſufficere ad iſtum modum prioritatis diſtinctionẽ pœnes implicitum, & explicitum, atque adeò non obſtare quominùs modi ſint de conceptu eſſentiali explicito. Non, inquam, valet. Nam obiectio poſita intendit probare modos, ſeu differentias non pertinere ad conceptum eſſentialem entis, & ex hoc infert non pertinere ad conceptum implicitum. Et vis rationis in eo conſiſtit, quòd ipſa eſſentia entìs ſit prior, & conſequẽter non expectet modos ſeu differentias, vt conſiſtat, ex quo infertur non pertinere ad conceptum actualem neq; explicitum, neq; implicitum. Id enim quod ab aduerſarijs dicitur conceptus explicitus, dicitur à nobis tota, & adæquata eſſentia entis, nempè, ipſum eſſe, & hoc eſt prius modis, & differentijs, ac proinde adæquatè poteſt cõcipi ſine iſtis conſtitutum eſſentialiter. Fauet D. Thomas huic noſtræ rationi 1 p. q. 14. art. 6. vbi docet quòd ſi Deus cognoſceret alia à ſe inquantùm ſũt entia tantùm, cognoſceret illa in communi, & imperfectè in ratione communi: ergo in ratione illa communi entis non includuntur actualiter modi, ſeu differentiæ entis, aliàs cognoſcendo ens, cognoſceret alia ſecundùm ſibi propria, quæ in tali ratione incuduntur. Hæc eſt noſtra ratio à priori, quæ magis confirmabitur ex rationibus ſequentibus, ex quibus conſtabit nullam eſſe neceſſitatem, vt in ente actù includantur modi, ſeù differentiæ.

Digitized by Google

§. 3.

Probatur noſtra ſententia deſtruendo fundamenta oppoſita.

637. DVobus innititur fundamentis ſententia oppoſita ad aſſerendum ens debere actù includere modos, & differentias inferiores ſaltim in cõceptu implicito, primùm deſumitur ex eo quòd ſit tranſcendens ſua inferiora, & ſecundùm, ex eo quòd ſit analogum, & vtrumquè non obſtare præciſioni, oſtendam modò. Et primo probatur non obſtare trãſcendentiam. Nam ex eo quòd ens ſit tranſcendens, & vniuerſaliſſima tranſcendentia gaudeat, ſolum infertur quòd intimè imbibatur, & includatur in omnibus modis, & differentijs, ita vt ſit de conceptu eſſenciali omnium, & de omnibus prædicetur eſſentialiter: non tamen ſequitur, quòd ipſæ differentiæ, ſeù modi includantur, & imbibantur intimè in ente, & ſint de cõceptu eſſentiali illius, & de illo eſſentialiter prædicentur: ergo ex vniuerſaliſſima tranſcendentia non ſequitur quòd ens præſcindi non poſſit: patet conſequentia. Nam ſola intima, & eſſentialis incluſio modorum, ſeù differentiarum in ente poteſt obſtare præciſioni. Et antecedens probatur. Nam tranſcendens ex propria ſua ratione petit in alijs includi & imbibi, hoc enim nomen ipſum ſignificat, ſcilicet tranſcendens, eo quòd omnia tranſcendat, id eſt, in omnibus inueniatur, quòd ſi fuerit vniuerſaliſſima tranſcendentia, nulla res, differentia, aut modus entis dabitur, in qua actù non includatur, & vt clariùs loquar, ex vi tranſcendentiæ ſequitur quòd prædicatum tranſcendens paſſiuè ſit incluſum, ſeu imbibitum, & alia, quaſi actiuè imbibentia, ſeu includentia illud, non tamen requiritur, vt ipſum prędicatum tranſcendens, quaſi actiuè claudat alia: ergo ex eo quòd ens ſit tranſcendens ſolùm ſequitur ipſum includi in differentijs, & modis, non autem includere actù modos, ſeu differentias. Et adeſt exemplum Theologicum, nam iuxta communem ſententiam eſſentia diuina intimè includitur in relationibus diuinis, non tamen ipſæ relationes actù includuntur in conceptu eſſentiali eſſentię: quòd videtur expreſsè dictum à D. Thoma 1. p. quæſt. 33. artic. 3. ad 1. vbi ſic docet, [ad primum ergo dicendum quòd communia abſolutè dicta ſecundum ordinem intellectus noſtri, ſunt priora, quàm propria: quia includuntur in intellectu propriorum, ſed non è conuerſo. In intellectu enim perſonę Patris intelligitur Deus, ſed non conuertitur.] Ecce quomodo ſtat optimè vnum in alio includi, & non è conuerſo, & vnum eſſe de conceptu eſſentiali alterius, & non è conuerſo: ergo non bene infertur: ens eſt tranſcendens, & imbibitum in modis, & differentijs; ergo etiam actu includit, & imbibit modos, & differentias.

638. Confirmatur, & explicatur hæc ratio 1. ex doctrina hac D. Thomæ. Nam quàmuis relationes actu non includantur in eſſentia

ſentia diuina, ex eo prҿcisè quòd eſſentia includatur in illis, ſaluatur quod eſsentia diuina nõ facit compoſitionem cum relationibus, & ſimiliter, non eſse ibi aliquam contrahibilitatem: & rão eſt à priori. Nam ad compoſitionem inter duo extrema, & vt vnum per alterum contrahatur verè, & propriè, exigitur quòd ſit mutua excluſio vnius ab alio, & non ſufficit ex parte vnius excluſio, ſi ſit incluſio ex parte alterius, hac n. ratione genus, & differentia componunt totũ metaphyſicum, quia genus ex ſe excludit differentiam, & è contra differentia excludit genus, quod ſi vel genus includeret differentiam, vel hҿc clauderet genus, nec poſſet eſse vera compoſitio, nec vera contrahibilitas: ergo ſi ens includatur in modis, & differentijs, etiamſi non includat actù illos, non faciet compoſitionem cum illis, nec per illos contrahetur.

639. Confirmatur. 2. alio exẽplo. Nam genus eſsentialiter includitur in ſpecie, v. g. animal eſſentialiter includitur in homine, & eſt de conceptu eſſentiali illius, ita vt impoſſibile ſit intelligere hominem eſsentialiter, quin concipiatur animal: & tamen poteſt concipi animal, non concepto homine: ergo etiam ſi ens eſsentialiter includatur in modis, & differentijs, poteſt tamen ens concipi ſine illis. Nec valet ſi dicas eſse diſparem rationem. Nã animal non eſt de conceptu differentiҿ, ideoquè poteſt prҿſcindi, & cognoſci ſine illa, cumque ens ſit tranſcendens, ex modo proprio tranſcendentiҿ colligitur non poſse præſcindi à modis, & differentijs, cum ſit de conceptu eſsentiali iſtarum. Non, inquam, nam comparatio à nobis facta non eſt inter genus, & differentiam, v.g. inter animal, & rationale, ſupponimus .n. vnum alterum excludere, & è contra, ac proinde neutrum eſse de conceptu eſsentiali alterius: ſit ergo comparatio inter genus, & ſpeciem, v g. inter animal, & hominem, & tunc formatur ratio. Animal includitur in homine eſsentialiter, ita vt non poſſit concipi homo eſsentialiter, quin concipiatur animal; & tamen homo non eſt de conceptu eſsentiali animalis, & animal poteſt concipi eſsentialiter ſine homine]: ergo ſtat benè vnum eſse de conceptu eſsentiali alterius, in quo eſsentialiter includatur, & non è contra, ita vt ſit mutua incluſio eſsentialis. Tunc vltra ad intentum. Non alia ratione dicitur quòd ens actù includit differentias, niſi quia actù includitur per tranſcendentiam in illis: ſed ſtat optimè vnum includi eſsentialiter in alio, & non includere eſsentialiter illud, vt conſtat in exẽplo poſito in hac, & prҿcedenti confirmatione; ergo ſtat optimè ens per tranſcendentiam includi in modis, & differentijs, & nõ includere illos, nec iſtas. Si autem dicas quòd non infertur incluſio modorum, & differentiarum in ente niſi ex vi tranſcẽdentiҿ, quatenus non permittit cõpoſitionẽ inter id quod includitur, & includens. In contra eſt. Nam, vt excludatur omnis compoſitio, & contrahibilitsa ab ente, & à quocunquè tranſcendente ſufficit quòd vnum intimè claudatur in altero, licèt illud non claudat alterum actualiter, vt conſtat in exemplo poſito de eſsentia diuina, quҿ etiam ſi actu non includat relationes in ſuo conceptu eſsentiali, tamen non cõponit cum illis, quia eſsentialiter in illis includitur: ergo ex eo prҿcisè quod ens, quia tranſcendens,

Digitized by Google

includitur eſſentialiter in omnibus, quamuis illa actù non includat, optimè ſequitur ipſum non facere compoſitionem cum alijs. De hac doctrina circa incluſionem eſſentiæ in relationibus videatur P. Granado 1.p.tract.3.diſp 4. ſect.2.

640. Deinde probatur, conceptum entis præciſum poſſe dici, & denominari analogum. Nam etiam ſi conceptus entis actù non contineat differentias, ſeù modos, in quo conſiſtit præciſio, tamen ex vi ſua, & proprijs meritis petit participari cum inæqualitate à ſuis inferioribus: ergo etiam ſi ſit præciſus, erit analogus, Probatur antecedens. Nã conceptus ille ſic præciſus, ex natura ſua, & ex meritis ſuis eſt vniuerſaliſſimum tranſcendens: ergo ex natura ſua, & ex ſuis meritis petit imbibi, & claudi in omni ente, in omni modo, & differentia illius, quod prouenit ex eò quòd eſt vniuerſaliſſimum petit participari à Primo ente per eſſentiam omninò independenter, & ab ente per participationem dependenter ab illo, & idem cum proportione de ſubſtantia, & accidenti in participatione illius: ergo licet conceptus ille ſit præciſus, petit participari cum inæqualitate: patet hæc cõa. Nam tranſcendentia, & dependentia cauſant inæqualitatem logicam: ergo ſi illa ratio entis preciſa petit participari ab inferioribus, vt ratio transcendens, & dependens, petit participari cum inæqualitate logica.

641. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Nam analogia formaliter loquendo eſt ſecunda intentio rationis, ſicut vniuocatio, iſtæquè diſtinguuntur tùm ex parte fundamenti, tùm ex parte diuerſi modi reſpiciendi plura, quæ ſunt terminus: ſed conceptus entis, prout præciſus à ſuis modis, & differentijs præbet fundamentum, vt intellectus formet ſecundam intentionem analogiæ, & non vniuocationis: ergo ex eo quòd ſit præciſus, non ſequitur, quòd ſit vniuocus, ſed poteſt eſſe analogus. Maior eſt certa. Et pr.mi. Nam conceptus ille eſt tranſcendens vniuerſaliſſimum, & ab intellectu comparatur ad ſua inferiora, tanquã quid intrinſecè imbibitum, & clauſũ in illis, & in omni eorum modo, & differentia: ergo conceptus ille præciſus præbet fundamentum, vt intellectus formet secundam intentionem analogiæ: patet conſequentia Nam conceptus obiectiuus tranſcendens vniuersaliſſimum non poteſt fundare vniuocationem, ſed analogiã. Siquidem ab intellectu cõparatur ad ſua inferiora, vt inæqualiter participandum. Explico hoc aliter, & ſupponamus conceptũ obiectiuum eſſe præciſum, tunc, ſic procedo. Vt reſultet relatio aliqua rõis neceſſaria eſt aliqua cognitio comparatiua, maximè in sẽtẽtia illorum, quos impugno, cõparet igitur intellectus cõceptũ illũ obiectiuũ ad ſua inferiora, ex tali cõparatione reſultabit relatio rationis, quæ eſt analogia Probo hoc. Nã illa cõparatio eſt alicuius rationis quæ licet actù nõ includat differẽtias, & modos, includitur tamẽ intrinſecè in illis, & participatur ab vno depẽdenter ab alio: ergo relatio rõis reſultans eſt analogia, quæ fundatur in conceptu ſic ſe habente, & prout ſic cognito reſpectu ſuorum inferiorum. Et quidem talis cõceptus obiectiuus entis dicitur analogus, quia ex ſe præbet fundamentum, vt ab intellectu formetur relatio rationis, quæ eſt formaliter analogia, ſicut conceptus

Digitized by Google

conceptus præciſus animalis dicitur vniuocus, quia præbet ex ſe fundamentum ad relationem rationis, quæ dicitur formaliter vniuocatio. Conſtat igitur ex præciſione entis non ſequi ipſum fore analogum, & magis apparebit ex ſolutione argumentorum.

§. 4.

Proponuntur argumenta, & ſoluuntur.

642. Contra tertiam concluſionem arguitur 1. Nam ſi ens præſcinderetur à ſuis modis, & differentijs, ita vt actù ſolùm diceret rationem entis, & excluderet quamlibet aliam actualem diuerſitatem, non eſſet analogum, ſed hoc dici non poteſt in ſententia Thomiſtarum: ergo præſcindi non poteſt. Pr. maior. Nam in tali conceptu eſſet omnimoda conuenientia non ſolùm quoad explicitum, ſed quoad implicitum, ſed analogum dicit conuenientiam cum diuerſitate: ergo conceptus ille non eſſet analogus. Si autem dicas, quòd in illo conceptu ſic præciſo nulla eſt actualis diuerſitas, cum actù in illo non præſententur modi, ſeù differentiæ, eſt autem in illo virtualis diuerſitas, quæ in eo conſiſtit, quòd ratio illa ex ſe petat deſcendere ad ſua inferiora cum diuerſitate, & inæqualitate. In contra 1. ex P. Rubio, & Gallego. Nam conceptus entis non poteſt eſſe diuerſo modo participabilis, nec poteſt vllam habere diuerſitatem, niſi per diuerſos modos intrinſecos, per quos determinatur ad eſſe ſubſtantiæ, & accidentium: ergo repugnat vllam habere diuerſitatem, aut diuerſo modo eſſe participabilem, niſi per ipſos modos: ergo dum illos actù non includit, & ab illis præſcinditur, non poteſt eſſe diuerſo modo participabilis. Et confirmatur hæc ratio ab eiſdem. Nam conceptum communem abſtrahi à particularibus, non eſt aliud, quàm rationem communem cognoſci ſine particularibus, aut eis non cognitis: ergo conceptum entis abſtrahi à modis per ſe, & in alio, eſt cognoſci rationem entis, non conſideratis modis, nequè in ordine ad illos: Nam eo ipſo quòd conſideraretur ordo ad illos, non eſſet conceptus abſtractus, ſed nullam poteſt habere diuerſitatem ratio entis ſine modis, aut ſine ordine ad illos: ergo ſi ab eis abſtrahitur, erit omninò vnus conceptus, non minùs, quàm conceptus vniuocus, & ſic ens non erit analogum.

643. Secundò obijcitur ex Colleg. diſcalc. vbi ſupra numero 50. Nam illa diuerſitas, ſeù inæqualitas radicalis non impedit vniuocationem: ergo &c. Pr. añs. Nam conceptus genericus eſt etiam radix inæqualitatis, quæ inuenitur inter ſpecies, & continet illam in potentia, ſi quidem in potentia, & in radice continet differentias, quod autem eſt radix principiorum cauſantium inæqualitatem, etiam eſt radix ipſius inæqualitatis, vt per ſe patet: ergo prædicta inæqualitas, ſeù diuerſitas virtualis inuenitur in conceptu generico, ac proinde non obſtat vniuocationi. Tertiò obijcitur. Nam ſi quidquid eſt ſiuè explicitè, ſiuè implicitè in conceptu illo

illo, eſt conuenientia, hæc eadẽ erit contracta per differentias, ſeù modos: ergo tota diuerſitas erit non ex parte rationis communis, ſed ex parte differentiarum, ſeù modorum, quæ diuerſitas non ſufficit ad analogiam. Quartò. Nam ſi ratio illa eſt præciſa, non poteſt petere deſcendere cum diuerſitate ad inferiora: quod ſic probatur. Nam ratio præciſa ſic petit deſcendere ad inferiora, ſicut iſta præbuerunt fundamentum, vt præſcinderetur: ſed non præbuerunt fundamentum, vt inæqualia, ſed vt æqualia, ſiquidem ſi conceptus eſt vnus ſimpliciter, fundamentum debet eſſe vnum ſimpliciter: ergo talis ratio præciſa non petit deſcendere ad inferiora cum inæqualitate, ſeù diuerſitate.

644. Ad hoc argumentum conſtat ex dictis in vltima probatione noſtræ concluſionis, iuxta quam optima eſt ſolutio aſſignata. Ad cuius primam impugnationem reſpondeo diuerſitatem actualem prouenire à modis per ſe, & in alio, diuerſitatem vero virtualem, ſeù radicalem prouenire ex propria natura, & proprijs meritis ipſius conceptus obiectiui, vt dictum eſt, & hæc diuerſitas virtualis, ſeù radicalis eſt ſufficiens fundamentum analogiæ. Ad confirmationem reſpondeo non eſſe cõtra abſtractionem, ſeù præciſionem quod conceptus ſic præciſus reſpiciat inferiora, ſeu ab intellectu comparetur ad inferiora, & tunc diuerſitas radicaliter eſt in conceptu præciſo, & ſupra illam fundatur relatio rationis reſultans, vel ex præciſione, vel ex comparatione iuxta varios modos dicendi circa actum, quo fit relatio rationis, de quo ſupra dicebamus. Ad 2. obiectionem reſpondeo negando antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Conceptus genericus eſt radix inæqualitatis, quæ eſt inter ipſas differentias, concedo antecedens. Eſt radix inæqualitatis, quæ ſit in ipſa ratione communi, nego antecedens. Itaquè diuerſitas quæ exercetur in ipſis inferioribus entis, eſt diuerſitas in ipſa ratione formali entis, ſiquidem in ipſa eſt dependentia, & tranſcendẽtia, & huius diuerſitatis eſt radix ipſa ratio entis prout præciſa, & illã petit exerceri in inferioribus ſuis, & ideo eſt conceptus analogus. Cæterùm conceptus genericus, quando de facto contrahitur, & inuenitur in ſuis inferioribus, eſt cum omnimoda æqualitate in ſua ratione, & ſi differentiæ inter ſe, & ex proprijs ſuis rationibus ſint inæquales, ac proinde eſt diſpar ratio. Ad 3. obiectionem reſpondeo ipſam communem rationem entis contrahi in inferioribus, & tali modo, vt in ipſo exercitio contractionis ſit diuerſitas in ipſa ratione cõmuni propter rationes dictas, & talis diuerſitas exercita in actuali contractione radicaliter inuenitur in conceptu illo obiectiuo præciſo, & ſufficit ad fundamentum analogiæ. Ad 4. reſpondeo, quòd illud ens, quod conſideratur præciſum, in ſuis inferioribus inuenitur, vt prædicatum tranſcendens, & dependens, & præbuit fundamentum, vt ſine ipſis conciperetur, at ex ſe petit in ſuis inferioribus inueniri, eo modo quo in illis erat ante præciſionem, ac proinde petit eſſe cum diuerſitate illa prouenientе ex dependentia, & tranſcendentia. Quomodo autem præſcindatur ens a ſuis inferioribus, an ſcilicet poſitiuè, vel negatiuè, dicemus in ſolutione argumenti ſequentis.

645. Ar-

Digitized by Google

645. Arguitur 2. principaliter, & eſt aliud fundamentum aduerſæ ſcutentiæ. Nam implicat, quòd prædicatum tranſcendens poſſit præſcindi ab illo reſpectu cuius eſt trãſcendens, ſed ens eſt tranſcendens reſpectu ſuorum inferiorum: ergo. Maior pr. 1. Nam implicat vnum præſcindi ab alio ſecundùm rationem, ſi adhuc ſecundùm rationem eſt intimè imbibitum in illo: ſed prædicatum tranſcendens ſecundum rationem eſt intimè imbibitum in modis, & differentijs, ſiquidem quantùmcunquè præſcindantur differentiæ, remanent aliquid, ſeu ens: ergo prædicatum tranſcendens præſcindi non poteſt. Pr. 2. illa maior. Nam prædicatum tranſcendens eſt prædicatum eſſentiale illius, quod tranſcendit, ens v. g. eſt prædicatum eſſentiale omnium; ſed nulla res præſcindi poteſt ab aliquo prædicato ſibi eſſentiali: ergo tranſcendens præſcindi non poteſt à ſuis inferioribus. Confirmatur hoc. Nam quando ens præſcinditur ab aliqua differentia, vel hæc differentia remanet ens, vel non? Non poteſt dici quòd non remaneat ens, aliàs eſſet nihil; ergo remanet ens; ergo ens non præſcinditur: patet hæc cõa. Nam aliàs idem præſcinderetur ab illo, in quo remaneret, eſſet enim præciſum, & non præciſum: ergo ſi differentia remanet ens, ab illa non præſcinditur ens.

646. Ad hoc argumentum vt reſpondeamus, notandum eſt id, quod ſupra dixi, quòd eſt duplex præciſio intellectus, altera negatiua, quando intellectus conſiderat vnam rationem communem, & negatiuè ſe habet erga inferiores: altera eſt poſitiua, quando ſcilicet ſeparat vnum ab altero, cum quo cognoſcit eſſe coniunctum. Quo ſuppoſito dicimus quod ens, & quodlibet tranſcendens ſolùm poteſt præſcindi præciſione negatiua, ita vt intellectus conſideret rationem entis, & negatiuè ſe habeat circa inferiora, non tamen poteſt ens præſcindi præciſione poſitiua, ita vt extrahatur, & ſeparetur ens à ſuis inferioribus. Et hanc præciſionem poſitiuam probant rationes factæ in argumento non admittere prædicatum tranſcendens, non autem alteram negatiuam, qua propter negatur maior intellecta de præciſione negatiua. Et ad 1. probationem reſpondeo quòd quælibet differentia, vel modus adhuc ſecundùm rationem identificat ſibi rationem entis, & ita differentia non poteſt præſcindi ab ente, nec ens ab illa præciſione poſitiua: at quia ens non includit eſſentialiter differentias, poteſt cognoſci ſine illis, & hæc eſt præciſio negatiua. Ad 2. probationem dico, quòd ens eſt de conceptu eſſentiali cuiuſcunquè modi, & differentiæ, ex quo infertur quòd nulla differentia, ſeù modus poſſit intelligi ſine ente, cum ergo non ſint de conceptu entis modi, aut differentiæ, hinc eſt quòd ipſum ens poſſit cognoſci ſine illis. Exemplum eſt iam adductum de eſſentia diuina quæ tranſcendit relationes, & iſtæ non poſſunt cognoſci ſine illa, & quia relationes non includuntur in eſſentia, ideo eſſentia poteſt cognoſci ſine illis. De quo videantur Salmanticenſes Diſcalciati 1. p. tom. 2. tractat. 6. diſputat. 5. dub. 3. & 3. Ad confirmationem reſpondeo ex dictis, quòd intellectus non ita præſcindit ens, quaſi ipſum ſeparet, & quaſi

educat

educat à differentijs, nam tunc ſequeretur inconueniens illud ſcilicet eſſe præciſum à differentijs, & manere in illis, & propterea negamus præciſionem poſitiuam. Cæterùm intellectus non alio modo præſcindit ens, niſi illud conſiderando, & negatiuè ſe habendo circa differentias, ſeù modos. Itaque ſi intellectus incipiat cognoſcendo rationem entis, tunc nullam differentiam, aut modum concipit, & hæc dicitur præciſio negatiua: ſi autem incipiat cognoſcendo differentiam, vel modum, non poteſt disiungere rationem entis clauſam in differentia, ita vt remaneat differentia obiectiuè repræſentata ſine ratione entis, & hoc probat ratio poſita in confirmatione.

647. Arguitur 3. principaliter. Nam ſi conceptus entis eſſet præciſus, contrahibilis eſſet per modos, & differentias, & cum iſtis faceret compoſitionem: ſed hoc non eſt dicendum: ergo non datur conceptus ille præciſus. Pr. ma. Nam ſi eſſet præciſus, non includeret actù modos, & differentias, & iſtæ aduenirent illi noſtro modo intelligendi, quaſi determinantes, & contrahentes ipſam rationem entis, & nihil deficeret quo minùs ex ratione illa entis præciſa, & modo adueniente fieret compoſitio; ergo ſi conceptus ille eſſet præciſus, eſſet contrahibilis, & intraret in compoſitionem cum modis, & differentijs. Quòd autem hoc dici non poſſit, patet, nam ens includitur intimè in qualibet differentia, & modo, & conſequenter incapax eſt, vt contrahatur, & compoſitionem faciat.

648. Confirmatur hoc. Nam iuxta doctrinam Ariſtotelis, & D. Thomæ ens non alio modo diſtinguitur à ſuis modis, & differentijs, niſi pœnes, implicitum, & explicitum, eo quòd id quod in confuſo continetur actù in ente, explicatur per modum, vel differentiam, & ita ens non ſignificat aliquam rationem communem prædicamentis, ſed ipſa prædicamenta actu confuſo proportionem habentia in ente: ergo non poteſt præſcindi conceptus aliquis communis illis per actualem excluſionem illorum. Antecedens conſtat ex pluribus teſtimonijs Ariſtotelis, & D. Thomæ adductis à Colleg. diſcalc. Magiſt. Araujo, & Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma.

649. Ad hoc argumentum reſpondeo quòd, vt aliqua ratio ſit verè, & propriè contrahibilis non ſufficit quòd ipſa ex ſe non contineat actù differentias, vel modos, ſed vlteriùs requiritur ipſum non contineri, ſeù claudi in illis, & hæc continentia obſtat compoſitioni veræ, & propriæ. Ideoquè licet ratio communis entis ex ſe actù non contineat modos, aut differentias, quia tamen continetur in illis, non contrahitur, nec compoſitionem facit. Itaquè ad compoſitionem, & contrahibilitatem requiritur mutua excluſio inter extrema componentia, & contrahibile, & contrahens. Fauet exemplum ſæpiùs adductum de eſſentia diuina, quæ non actù continet in ſuo eſſentiali conceptu relationes, & quia continetur intimè in iſtis, ſufficit vt nec componat cum illis, nec ab illis contrahatur. Ad confirmationem reſpondeo ex teſtimonijs, & doctrina Ariſtot. & D. Thom. tantùm colligi ens non dicere aliquam naturam communem, aut gradum aliquem

Digitized by Google

quem vniuocum, vel genericum Deo, & creaturis, & decem prædicamentis, & hæc eſt illorum mens, quando aſſerunt ens non dicere aliquam naturam communem, vel rationem communem, ex eo autem quòd ſit diſtinctio ſolùm penes implicitum, & explicitum colligitur ens eſſe de conceptu eſſentiali differentiarum, & intimè imbibi in illis; ac proinde differentiæ ſolùm addunt aliquid explicitũ ſupra ens, ſiquidem continent, & claudunt ens ſuo conceptu eſſentiali. Et hac doctrina ſoluitur fundamentum Mag. Ioan. à S. Thoma.

650. Arguitur quartò principaliter ex varijs inconueniẽtibus, quæ ſequerentur, ſi conceptus entis præciſus eſſet. Primò ſequeretur dari aliquid prius, & ſimplicius Deo, ſaltim ſecundùm rationem, ſiquidem conceptus ille entis præciſus eſſet prior, & ſimplicior Deo: hoc autem dici non poteſt. Nam D. Thomas 1. p. q. 3. art. 5. in arg. ſed contra. ſic ait. [Deo nihil eſt prius, nec ſecundùm rem, nec ſecundùm intellectum] & lib. 1. contrag. cap. 42. ratione 7. ſic ait. [Deo autem nec ſecundùm rem, nec ſecundùm rationem, nec ſecundùm intellectum poteſt eſſe aliquid ſimplicius.] Ergo conceptus ille præciſus, qui eſſet prior, & ſimplicior Deo, eſt omninò reijciendus. Sequeretur 2. ens poſſe poni in diffinitionibus. Prob. ſequela. Nam in qualibet diffinitione poteſt poni loco generis diffinitio ipſius generis iuxta Ariſtotelem lib. 2. Top. capit. 2. ſed ſi ens eſſet præciſum, ſuprema genera haberent veras diffinitiones, ergo in qualibet diffinitione loco generis ſupremi poſſet poni eius diffinitio, in qua neceſſariò contineretur ens. Hoc autem eſſe abſurdum probatur ratione. Nam Ariſtoteles lib. 3. metaph. tex. 10. probat genus non eſſe de eſſentia differentiarum, quia duplici ratione intraret diffinitionem, ſemel ratione ſui, & iterum ratione differentiæ, & ita committeretur nugatio, cum bis genus repeteretur in diffinitione: ſed hæc nugatio contingeret, ſi poneretur ens in diffinitionibus, ſiquidem eſt de eſſentia differentiarum, vt dictum eſt; ergo &c.

651. Ad hoc argumentum reſpondeo nullum inconueniens ſequi, & ad primum dico nullum eſſe inconueniens dari reſpectu Dei aliquid, quod ſit prius, & ſimplicius Deo per modum cuiuſdam prædicati communis. Certum enim eſt in Deo aliqua prædicata à nobis concipi, vt priora alijs ſaltim ſecundùm explicitum conceptum. At inter prædicata diuina hoc eſt ſpeciale, quòd ad inuicem ſe includant, licet ad inuicem non ſe explicent, vel ſaltim vnum in alio debet includi, ita vt nunquam verificetur mutua excluſio, & ſufficit, vt Deus, & quodlibet eius prædicatum ſit perfectiſſimum, & actualiſſimum. Quando autem D. Thomas docet nihil eſſe Deo ſimplicius, intelligitur de aliquo, quod ſe habeat per modum naturę, vel loquitur de ſimplicitate excludente omnem compoſitionem, & prout ſic ens non eſt ſimplicius, quia licet actù non contineat differentiam, ſeù modum, quo conſtituitur Deus in ratione talis, non tamen cõponit cũ illo, nec Deus dicitur compoſitus ex ente, & proprio modo eſsẽdi. Et ſimiliter quãdo ait quod Deo nihil eſt prius loquitur de aliquo, quod poſſit intrare in compoſitionem ſiuè realem, ſiuè per

Digitized by Google

intellectus, vt ex ipſa littera cõſtat, quod non competit enti etiã ſi concipiatur per modum cuiuſdam prædicati prioris. Ad 2. dico non ſequi ens poni in diffinitionibus aliorum. Nã licet conceptus entis ſit præciſus, ſuprema genera non poſſunt habere diffinitiones veras, & proprias, ſiquidẽ non haberent genus, & differentiam, ſed tantùm rationem illã communem entis, quæ genus nõ eſt, & clauditur intimè in conceptu cuiuſcunq; modi, & differentiæ. Tunc enim loco generis poteſt poni diffinitio generis, quando genus habet veram, & propriam differentiam, quod non inuenitur in ſupremis generibus, & ita intelligẽdus eſt Ariſt.

652. Deniq; pro complemento huius conferentiæ nota duo. Primũ eſt quòd multoties loquitur D. Th. de ente, prout eſt analogum attributionis, & videtur illi negare conceptum communem, & huiuſmodi ſunt plura teſtimonia, quæ ſolent adduci contra noſtram reſolutionẽ, quæ illam non eneruant, nã fatemur ens, vt eſt analogum attributionis non habere vnum conceptum præciſum, vt dicebamus in principio huius conferentiæ. Secundum eſt, quòd ſi ens completum nõ dicit aliquam rationem communẽ omnibus entibus cõpletis, vt dicebamus ſupra num. 517. non poteſt præſcindi cõceptus aliquis communis entis completi, ſiquidem nulla ratio prout ſic communis datur, & tunc ens completum ſignificat omnia entia completa in confuſo, & explicitè dicit proportionem in ente, ad modum, quo diſcurrunt qui negant conceptum entis in communi præciſum ab omnibus ſuis inferioribus.

CONFERENTIA 5.

Vtrum ens ſit vniuocum reſpectu aliquorum, & quid dicendum ſit de accidente completo.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

653. POſt conſiderationem entis in ordine ad ſua immediata inferiora ſcilicet Deum, & creaturas, ſubſtantiã, & accidens; reſpectu quorum diximus eſſe analogum, reſtat conſiderare de illo reſpectu aliorum inferiorum, quæ immediatè continentur ſub illis immediatis, & inquirimus an ens reſpectu horum ſit etiam analogum, v. g. ſi ens comparetur ad duas ſpecies contentas ſub aliquo genere, vel ad duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, an vniuocè, vel analogicè dicatur de illis. Et quia ſpecialis ratio inuenitur in accidenti, quod eſt commune nouem prædicamentis accidentium, quodquè dicitur accidens completum, mouetur ſecundo loco dubium an ſit vniuocum, vel analogum reſpectu illorum.

654. Circa primum eſt 1. ſententia aſſerens ens eſſe vniuocum reſpe-

reſpectu ſpecierum, quæ continentur ſub aliquo genere, & etiam reſpectu indiuiduorum eiuſdẽ ſpeciei. Hanc ſententiam defendit P. Fonſeca lib. 4. metaph. cap. 2. quæſt. 1. ſect. 5. quem refert P. Suarez tom. 2. metaph. diſp. 32 nu. 20. & ait poſtea num. 21. hanc ſententiam eſſe veram, & illam extendit ad ens reſpectu duorum accidentium prædicamentalium. Cui ſententiæ ex parte conſentit Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma in log. diſp. 13. artic. 5. in fine, vbi ait, quòd ens reſpectu duorum indiuiduorum præciſè, analogum non eſt, licet ſit tranſcendens, ſed hoc eſt, ait, per accidens, quia non ſumitur ratio tranſcendens ſecundùm ſe totam, ſed cum reſtrictione ad duo non habentia inæqualitatem formalem, ſed tantùm materialem. Idem repetit quæſt. 14. artic. 1. §. [ſed adhuc.] Secunda ſententia docet ens in comparatione ad quæcunquè inferiora, ſiuè immediaca, ſiuè mediata eſſe analogum. Hæc eſt communis Thomiſtarum, vt teſtatur Magiſt. Araujo lib. 4. metaph. quæſt. 3. art. 2. dub. 2. & eam defendit cum Mag. Soto cap. 4. de antepræd. quæſt. 1. ad vltimum, & alijs Thomiſtis.

655. De accidenti completo reſpectu nouem generum eſt prima ſententia docens eſſe vniuocum. Hanc ex Thomiſtis defendit Mag. Soto ibidem quæſt. 2. ad 1. & refertur Iabelus lib. 7. metaph quæſt. 1. ad 3. ſi fides adhibenda eſt Patri Suarez diſput. 39. ſect. 3. num. 3. eandem defendit Pater Albertinus tom. 2. circa prædicament. ſubſtantiæ quæſt. 7. num. 11. qui etiam concedit accidens completum eſſe genus ad nouem genera accidentium. Secunda ſententia docet eſſe analogum. Ita communiter Thomiſtæ, Magiſt. Araujo lib. 4. metaph. q. 3. art. 5. Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma quæſt. 14. artic. 4. P. Rubio lib. de prædicament. cap. 4. quæſt. 4. ad vltimum argumentum. Tertia ſententia media via procedit aſſerens accidens ad aliqua duo, vel tria prædicamenta vniuocum eſſe; analogum verò ſi ad omnia comparetur. Ita Pater Suarez diſput. 39. ſect. 3.

§. 2.

Reſoluitur difficultas.

656 PRo reſolutione veritatis ſit 1. concluſio. Ens non eſt vniuocum, ſed analogum reſpectu quorumcunquè inferiorum, ita vt exerceat analogiam, etiam quando ad duas ſpecies, vel duo indiuidua coarctatur. Hæc concluſio eſt communis inter Thomiſtas, & probatur ratione. Nam omne prædicatum tranſcendens fundat analogiam, & illam exercet reſpectu illorum inferiorũ quæ tranſcendit: ſed ens eſt tranſcendens omnia ſua inferiora, ſiuè immediata, ſiuè mediata: ergo reſpectu omnium eſt analogum, & exercet analogiam. Minor ſupponitur, vt certa, nam ens intimè imbibitur in omni ſpecie, in omni indiuiduo, & in omni differentia tàm ſpecifica, quàm numerica, & cum nulla compoſitionem facit. Et maior conſtat eſt dictis à nobis ſupra in hoc tract. conferent. 2. vbi probauimus analogiam poſſe cauſari à ſola tranſcendentia, & rationes ibi poſitæ

Mm 2 pro-

Digitized by Google

probant quòd quotieſcunquè verificatur tranſcendentia, poſſit intellectus fundare ſecundam intentionem analogiæ: ergo quotieſcunquè exercetur tranſcendentia, eſt ſufficiens fundamentum, vt exerceatur analogia. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam analogiam exerceri in ratione aliqua reſpectu aliquorum inferiorum, nihil aliud eſt, quàm quòd prædicta inferiora conueniant, & differant in eadem ratione communi, vt inde ſumat fundamentum intellectus ad formandam ſecundam intentionem analogiæ; ſed ſi per impoſſibile ens non haberet alia inferiora, niſi Petrum, & Paulum, vel ſi de facto ita concipiatur ab intellectu cum reſtrictione ad prædicta duo indiuidua, eſſet conuenientia, & differentia in eadem ratione entis: ergo ens reſpectu illorum exerceret analogiã. Maior ſupponitur. Et pr. minor. Nam in tali caſu ratio entis tranſcenderet illa inferiora, & vltimas differentias illorum, & in omnibus intimè clauderetur, & ex vltimis differentijs, & ratione entis reſultaret vnus ſimplex conceptus: ſed ex tranſcendentia ſequitur conuenientia, & differentia in eadem ratione communi, vt ibidem probabamus, & non negat, ſed potiùs, vt certum ſupponit Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma præcipuè quæſt. 14. art. 2. §. [Hoc ſuppoſito] vbi ex tranſcendentia probat conneuientiam, & diuerſitatem in eadem ratione communi: ergo in caſu à nobis poſito eſſet conuenientia, & differentia orta ex tranſcendentia, etiam cum coarctatione ad illa duo indiuidua.

657. Secunda con. Accidens cõpletum non poteſt eſſe vniuocum ad nouem genera accidentium. Hæc con. eſt communis inter Thomiſtas. Et pr. 1. contra Thomiſt. qui aſſerunt eſſe vniuocum, & non eſſe genus. Nam ſi eſſet vniuocum, nihil deficeret illi, quo minus eſſet genus: ergo ſi genus non eſt, nec vniuocum erit. Reſpondet Mag. Soto qu. 2. ad 1 reddendo duas rationes diſparitatis. Prima eſt, quòd non prædicatur quidditatiuè, quia non formaliter ſignificat quidditates accidentium, ſed eſſe eorum in ſubſtantia. Secunda, quia licèt ſignificet quidditatem, non tamen ſignificat diſtinctũ gradum, vt poſſit contrahi per differentias. Quia accidens includitur in quocunq; gradu, & differentia accidentis, ſicut ens in quocunque gradu quidditatis realis. Vtraq; autem ratio inſufficiens eſt. Prima quidem aſſumit falſum, nempè accidens non prædicari quidditatiuè, eſt .n. de quidditate cuiuſcunq; accidentis ipſa ratio cõmunis accidentis, quæ conſiſtit in aptitudinali inhærentia: ergo ex hac parte non redditur ſufficiens ratio diſparitatis. Secunda etiam ratio eſt inſufficiens. Nam ex eo quòd ipſa ratio communis accidentis non habeat differentias, ſequitur illam non eſſe vniuocam, vt in ſimili dicebamus de ente. Nam ex eo non habet differentias, vel quia includitur in modis, & differentijs, ſi accidens in communi eſt, vel ſi eſt accidens completum, quia includit in ſe modos, quibus completur, vt poſtea dicemus: ergo ex eo, quod ratio illa accidentis non habeat differentias ſequitur non eſſe vniuocum, ac proinde non compatitur eſſe vniuocum, & eſſe genus. Et confirmatur hoc. Nam D. Thomas lib. 1. contrag. cap. 32. propoſuit illam vniuerſa-

lem,

lem, [omne quod vniuocè prædicatur, vel eſt genus, vel ſpecies, vel differentia, vel proprium, vel accidens.] Ergo ſi ſemel admittitur accidens eſſe vniuocum, clarè infertur debere contineri ſub aliquo ex prædicabilibus, & cum non ſit aliud, niſi ſub genere, erit genus. Quæ ratio ſi efficaciam habet ad probandum ens non eſſe vniuocum, eandem efficaciam habebit ad probandum accidens non eſſe vniuocum ad nouem genera accidentium.

658. Pr. 2. concluſio à priori. Nam accidens prout abſtrahit à completo, & incompleto non eſt vniuocum, nec accidens completum: ergo nullum. Probatur antecedens quòad 1 partem. Nam accidens ſic abſtrahens eſt tranſcendens, & intimè clauſum in omni differentia, & modo cuiuſcunque accidentis, ſicut ratio entis in omni ente, modo, & differentia illius: ſed tranſcendentia eſt cauſa analogiæ iuxta ſuperiùs dicta: ergo illa ratio ſic abſtracta erit analoga, & non vniuoca. Quoad ſecundam partem: Probatur antecedens. Nam accidens completum non dicit aliquam vnam naturam communem omnibus, ſed potius dicit modos ipſos, quibus complentur, & conſtituuntur ipſa prædicamenta accidentium, ſicut dicebamus de ente completo: ergo accidens completum non eſt vniuocum, ſed analogum. Patet conſequentia. Nam affert actù diuerſitatem prouenientem à modis. Et antecedens pr. tum à paritate entis completi, quod dicitur tale à modis conſtituentibus prædicamenta. Tum, quia non eſt aliud, per quod poſſit compleri accidens in ratione accidentis, niſi per modos conſtituentes prædicamenta accidentium, vt conſtabit ſoluendo argumenta: ergo accidens completum dicit actualem diuerſitatem, quæ conſtituit illud analogum, ſicut dicebatur de ente completo.

659. Ex qua doctrina infertur contra Albertinum accidens completum non eſſe genus ad nouem genera. Nam genus debet dicere aliquam rationem communem, quę ſit extra conceptum differentiarum, & differentiæ debent eſſe extra conceptûm illius, vt ſic ex genere, & differentia componatur vnum metaphyſicè: at accidens completum continet in ſe modos conſtitutiuos prædicamentorum, nec dicit aliquam rationem communem illis, quæ ſit extra conceptus illorum: ergo ratio illa non poteſt eſſe genus. Præterquàm quòd abſurdum eſt ponere aliquod genus ſuperius ad ſuprema genera, aliàs non eſſent ſuprema, nec primo diuerſa, nec conceptus ſimplices, & tandem ſufficerent duo prædicamenta ſola, quæ omnia admitti non debent, vt conſtabit ex dicendis tract. 5. ſequenti conferentia 1. ergo non eſt admittendum accidens completum eſſe genus. Infertur etiam contra P. Suarez accidens non dici vniuocè, nec reſpectu duorum, vel trium prædicamentorum. Nam ſi ſermo eſt de accidenti, prout abſtrahit à completo, & incompleto, eſt tranſcendens, & cõmuniter analogum: non .n. omnis analogia petit aliquam dependentiam, ſed ſola tranſcendentia eſt ſufficiens, vt ſæpè dictum eſt. Si autem ſermo eſt de accidenti completo,

Digitized by Google

pleto, hoc, cum compleatur per modos ſpeciales, ſemper claudit illos, & conſequenter ſemper affert diuerſitatem reſpectu quorumcunquè prædicamentorum, ſiuè ſint duo, vel tria. De impugnatione autem rationis, qua vtitur P. Suarez ad probandum accidens dici analogicè reſpectu nouem generum, videatur Magiſt. Araujo vbi ſupra.

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

660. ARguitur 1. cōtra 1. con. Nam Petrus, & Paulus, & quælibet alia indiuidua ſubſtantialia ſimpliciter conueniunt in ratione entis: ergo ens dictum de illis præcisè, non dicitur analogicè. Probatur antecedens 1. Nam ens deſcendit ad prędicta indiuidua per aliquod medium, in quo eſt conuenientia ſimpliciter: dicitur enim Petrus ens medijs ſuis prædicatis ſpecificis, & genericis, in quibus eſt omnimoda conuenientia: ergo etiam in ente, quod deſcendit, eſt omnimoda cōuenientia. Prob. 2. antecedens. Nam Petrus dicitur ens independenter omninò à Paulo, & similiter Paulus independenter à Petro, & vterquè ſimpliciter participat rationem entis: ergo ens reſpectu iſtorum non dicit diuerſitatem in ente, ſed conuenientiam ſimpliciter: patet conſequentia. Nam analogia entis reſpectu Dei, & creaturarum, ſubſtantię, & accidentis fundatur in diuerſo modo, quo participatur ens ab illis, ita vt ab vno priùs & ſimpliciter, & ab alio poſteriùs, & ſecundùm quid, & hoc cum dependentia vnius ab alio: ergo ſi huiuſmodi diuerſitas non intercedit inter prædicta duo indiuidua in participanda ratione entis, non erit analoga ratio entis reſpectu illorū. Et adeſt exemplum. Nam licet ſanū dicatur analogicè de animali, vrina, & medicina, non tamen dicitur analogicè de his duobus vltimis analogatis minus principalibus, quia inter illa non inuenitur dependentia, vel diuerſitas aliqua: ergo licet ens dicatur analogicè de ſubſtantia, & accidenti, vbi inuenitur dependentia, non tamē dicetur analogicè de duobus indiuiduis ſubſtantiæ, inter quæ nulla dependentia, vel diuerſitas apparet in ipſa ratione entis. Et confirmatur hoc. Nam ens non poteſt dici reſpectu duorum indiuiduorum analogum attributionis, cū intrinſeçè reperiatur in vtroq; , nec analogum proportionalitatis, nam hæc exigit aliquam diuerſitatem in ratione communi, aliàs non obſtaret vniuocationi: ergo ens nullo modo eſt analogum.

661. Ad hoc argumentū reſpondeo negando antecedens: conſtat .n. ex dictis ſolam tranſcendentiam eſſe ſufficientē cauſam conuenientiæ, & diuerſitatis in eadē ratione cōi. Ad 1. probationē reſpondeo quòd ens, quod eſt tranſcendens, non deſcēdit per media vniuoca, ſiquidē intimè imbibitur in omnibus prædicatis ſuperioribus etiam incompletis; v. g. ens, quod imbibitur in differentia ſpecifica, vel numerica intimè imbibitur in ratione actus incompleti, & ſubſtantialis, quæ ſunt prædicata ſuperiora differentiæ, quæ ſunt etiam prædicata tranſcendentia, ac

tia, ac proinde analoga. Prætorquàm quòd ſiuè deſcendat per media vniuoca, ſiuè analoga, deſcendit intimè imbibitum in omni modo, & differentia inferiorum, & hoc ſufficit, vt deſcendat cum differentia proueniente ex tranſcendentia, & conſequenter, vt ſit analogum id quod deſcendit. Ad 2. probationem dico ſufficere ſolam tranſcendentiam ad fundandam analogiam, etiam ſi nullatenus interueniat dependentia aliqua, & cum talis tranſcendentia reperiatur in ente reſpectu illorum, ideò abſolutè eſt analogum. Ens autem dictum de ſubſtantia, & accidenti duplici titulo eſt analogum, quia eſt tranſcendens, & propter dependentiam, at ſola traſcendentia ſufficeret. Ad exemplum ibi allatum dico eſſe diſparem rationem, nam ſanum reſpectu vrinæ, & medicinæ non fundat analogiam, nam cum ex vno capite ibi non exerceatur dependentia, vt ſupponitur, & ex alio non ſit tranſcendentia, non relinquitur cauſa analogiæ inter illa duo, at in noſtro caſu, & ſi deficiat dependentia, adeſt tamen tranſcendentia, quæ eſt ſufficiens cauſa. Ad confirmationem reſpondeo ens reſpectu illorum eſſe analogum proportionalitatis, propriæ, nec deficit illi diuerſitas ſufficiens ad analogiam iſtam, illa nimirum eſt, quæ oritur ex tranſcendentia, vt dictum eſt.

662. Arguitur. 2. contra. 2. concluſionem. Nam accidens cōpletum omninò æqualiter participatur ab omnibus nouem generibus accidentium ergo ad illa eſt vniuocum. Pr. añ. Nam quodlibet genus accidentis eſt accidens completum independenter ab alio, & vnum quodquè eſt ſimpliciter tale; verbi gratia, quantitas eſt ſimpliciter accidens completum, qualitas eſt ſimpliciter accidens completum, & ſic de alijs, nec vnum in hac ratione dependet ab alio in participanda ratione accidentis completi; ergo hæc ratio eſt vniuoca omnibus illis. Confirmatur hoc. Nam duplex cauſa reperitur analogiæ, vel dependentia, vel traſcendentia, ſed neutra inuenitur in accidenti completo, ſiquidem nō eſt tranſcendens, cum non imbibatur in modis, & differentijs, quæ ſunt accidentia incompleta, & aliàs non eſt dependentia inter genera accidentium in participatione illius rationis: ergo ex nullo capite poteſt ratio illa accidentis completi fundare analogiam. Nec valet ſi dicas interuenire dependentiam, eo quòd à quantitate dependent cætera accidentia. Non, inquam, valet. Nam hæc dependentia accidentium à quantitate eſt tantùm quo ad eſſe, ſeu inexiſtere, hoc eſt dicere, accidētia materialia, vt inhæreant ſubſtantiæ, dependent à quantitate, non tamen dependent in ratione eſſentiali accidentis completi: at dependentia cauſans analogiam, debet eſſe in ipſa ratione eſſentiali communi: ergo propter illam dependentiam à quantitate non poteſt dici analogum accidens completum. Et confirmatur hoc 1. quia aliàs accidens reſpectu aliorum generum, inter quæ non eſt dependentia, non eſſet analogum, quod dici non poteſt: ergo, &c. Et ſecundò. Quia multa accidentia ſpiritualia ponuntur in prædicamento qualitatis, quæ aliquomodo à quantitate non dependent adhuc quoad exiſtere: ergo talis dependentia non eſt ad rem.

663. Si autem dicas cum P. Suarez argumentum conuincere quod

accr-

accidens ſit vniuocum ad tria prima prædicamenta accidentium, nempè ad quantitatem, qualitatem, & relationem, inter quæ nulla eſt dependentia, non tamen probat idem in ordine ad alia ſex vltima prædicamenta, quæ ſunt minùs propriè accidentia, eo quòd illa ſunt formæ intrinſecæ, iſta autem ſunt formæ extrinſecæ, & non verè ſuppoſitum afficientes, ac proinde eſt magna diuerſitas in ratione accidentis. In contra eſt 1. Nam falſum eſt quòd argumentum conuincat accidens eſſe vniuocum ad illa tria, ſiquidem accidens completum non poteſt præſcindi à ſuis modis vt dictum eſt, ac proinde non poteſt præſcindi à diuerſitate, etiam reſpectu duorum, vel trium. Secundò obijcio. Nam falſum eſt dicere quòd ſex vltima prædicamenta ſint formæ extrinſecæ, vt conſtat ex doctrina communi Thomiſtarum, de qua nos dicemus tractatu ſequenti. Tertiò obijcitur, nam adhuc hoc admiſſo, quod eſſent formæ extrinſecæ, non ſaluatur dependentia aliqua, quæ in ſententia iſtius authoris requiritur ad quamlibet analogiam: ergo non reddit ſufficientem rationem. Pr. antecedens. Nam. Vbi, verbi gratia, quod eſt prædicamentum, in ſua formali ratione accidentis completi non dependet à quantitate, vel qualitate, vel relatione: vel dicatur in quo genere cauſæ dependet, & tantùm ex eo quòd ſit forma extrinſeca, ſequitur eſſe minùs perfectum, non autem dependere in ipſa communi, & eſſentiali ratione accidentis completi: ergo quòd ſex vltima prædicamenta ſint formæ extrinſecæ parùm, aut nihil conducit, vt accidens ſit analogum ad omnia illa.

664. His ſolutionibus relictis dicendum eſt ad argumentum ex doctrina data ꝓbãdo ſecũdã cõcluſionem, nempè quòd accidens completum non dicit rationem aliquam realem, quæ ſit communis omni prædicamento. Nam accidens in ſua linea non habet aliquid, quo compleatur, ita vt illud ſit cõe omni accidenti completo; ſed completur per modos conſtituentes prædicamenta, quos omnes dicit accidens completum, & cõnter dicit ſufficientem diuerſitatem actualem; nam diuerſitas actualis prouenit à modis, ac proinde ſi iſti afferuntur in conceptu accidentis completi, eſt ſufficiens cauſa analogiæ.

665. Arg 3. Et poteſt eſſe impugnatio præcedentis ſolutionis. Subſtantia habet aliquid per quod compleatur in ratione ſubſtantiæ, quod ſit cõe omni ſubſtantiæ completæ. Subſtantia.n. per ſuum modum.ſ.eſſendi per ſe, completur in ratione ſubſtantiæ, & ita ſubſtantia completa eſt prædicatum vniuocum ad omnia ſua inferiora: ergo accidens poteſt in ſua ratione communi compleri per aliquid, quod ſit cõe omni accidenti completo, ita vt reſultet ratio aliqua communis vniuoca. Añs eſt certum. Et conſequentia pr. à paritate rationis. Nam ſicut ſubſtantia reſpicit, vt modum proprium, eſſe per ſe, ita accidens reſpicit eſſe in alio.ſ. inhæſionem, vt modum proprium illius; ſed ſubſtantia in communi completur per modum illum eſſendi per ſe, qui cõis eſt omni ſubſtantiæ completæ, & ſic eſt prædicatum vniuocum: ergo accidens poteſt compleri per illum modum inhæſionis, qui communis eſt omni accidenti completo, & ſic reſultabit ratio aliqua vniuoca omnibus accidentibus.

666. Nec

Digitized by Google

666. Nec valet ſi dicas eſſe diſparem rationem conſiſtentem in eo, quòd ſubſtantia conſtituit vnum prædicamentum, ac proinde debet habere tale complementum, vt ita poſſit immediatè diuidi per differentias, accidens autem non conſtituit aliquod prædicamentum, ſed immediatè afficitur per modos conſtituentes prædicamenta. Nam in contra eſt primò. Nam idem inquiri poteſt, quare ſubſtantia completa conſtituit vnum prædicamentum, & accidens completum non conſtituit aliud, ſiquidem ſicut ſubſtantia poteſt compleri per ſuum modum eſſendi per ſe, vt conſtituat vnum prædicamentum, ità accidens per compleri per ſuum modum inhæſionis, vt conſtituat alterum; & huius reddenda eſt diſparitatis ratio, & inſuper ſicut ſubſtantia, quia completur per ſuum modum, contrahitur immediatè per differentias, etiam debet reddi ratio, quare accidens, ſi compleatur per ſuum modum inhæſionis, non contrahitur per differentias, ſed per modos conſtituentes prædicamenta. Secundò obijcio. Nam ex eo, quòd ſubſtantia completa eſt vniuoca colligitur eſſe genus, & conſtituere prædicamentum, & ex eo, quòd accidens completum eſt analogum infertur non conſtituere vnum prædicamentum: ergo priùs reddenda eſt ratio quare ſubſtantia ita completur, vt ſit vniuoca, & accidens non poteſt ita compleri, & non debet recurri ad hoc, quòd ſubſtantia conſtituat prædicamentum, & accidens non conſtituat, aliàs eſſet circulus vitioſus, ſiquidem ex vniuocatione ſequitur quòd prædicamentum conſtituat, & rurſus ad ſaluandam vniuocationem fit recurſus ad conſtitutionem prædicamenti.

667. Ad hoc argumentum optimè reſpondet Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma reddens diſparitatem inter ſubſtantiam, & accidens, quantùm ad complementum vtriuſquè. Subſtantia enim per modum ſuum proprium eſſendi per ſe conſtituitur in ratione totius completi, & vt quod, cùm modus iſte ſit communis omni ſubſtantiæ completæ, hinc eſt, quòd ſubſtantia habeat in ratione communi, aliquid per quod compleatur, & hinc ſequitur vniuocè dici de ſuis inferioribus, & tandem infertur eſſe ſuſupremum genus, & vnum prædicamentum conſtituere. Accidens autem per modum illum inhæſionis non poteſt compleri. Nam per inhærentiam non conſtituitur accidens in ratione alicuius totius, & vt quod, ſed adhuc manet in ratione formæ informantis ſubiectum, & cum in accidenti tàm ratio communis, quàm particularis ſit ratio formæ informantis ſubiectum, conuenit ſecundum vtramquè rationem inhærentia, ac proinde ratione inhærentiæ non extrahitur accidens ab hoc, quod eſt tranſcendere differentias, cum iſtæ etiam inhæreant. Ex quo infertur, accidens non poſſe compleri per inhæſionem, ſed compleri per modos, ſeu differentias. Et addit Magiſt. Ioann. à Sancto Thoma quòd inhærentia in ratione complendi, & faciendi totum, oppoſito modo ſe habet ad ſubſtantiam, quia hæc reddit incommunicabile, quæ eſt conditio totius, inhærentia autem reddit communicabile, quæ eſt conditio formæ, & non totius.

668. Sed adhuc non quieſcit animus, & contra hanc ſolutionem ſic oppono. 1. Nam complementum accidentis non debet conſtituere illud in ratione alicuius totius incommunicabilis, ſicut requiritur ad complementum ſubſtantię: ergo etiam ſi inhærentia non reddat accidens in ratione totius incommunicabilis, non obſtabit quominus ſit complementum accidentis. Prob. antecedens. Nam accidens conſideratur per modum cuiuſdam formæ impermixtæ cum aliquo ſubiecto, quomodo eſt ponibile in prædicamento; & ideo accidentia in abſtracto ſignificata, & concepta ponuntur in prædicamento, & non in concreto, vt ſic ponantur per modum cuiuſdam formæ non habentis permixtionem cum re alterius prædicamenti: ſed complementum formæ in ratione formæ non reddit illam in ratione totius, & non communicabilis ſubiecto, aliàs deſtrueret rationem formæ, quæ in eo conſiſtit, vt per modum partis communicetur alicui ſubiecto: ergo quòd inhæſio non conſtituat totum, & incommunicabile, non tollit quominus ſit complementum formæ per modum formæ. Secundò oppono. Nam ſicut modus poſitiuus ſubſtantiæ immediatè afficit ſubſtantiam totalem, & illam reddit in ratione totius, ita modus inhæſionis immediatè afficit accidens, quod dicitur inhærere: ergo inhæſſio non conuenit accidenti ſecundum rationem communem, & differentialem, ita vt immediatè vtrique conueniat, ſed immediatè toti formæ conſtanti ex ratione communi, & differentiali, & mediatè iſtis, ſicut ſubſiſtentia immediatè afficit totam ſubſtantiam, & mediatè partes: ergo inhæſio ſufficit ad extrahendum accidens à ratione tranſcendentis differentias: patet hæc cōa quia talis inhæſio, qui eſt modus realiter diſtinctus ab accidenti, ſicut ſubſtantia realiter diſtinguitur à ſubſtantia, immediatè afficit accidens compoſitum ex ratione communi, & differentiali: ergo extrahit illud à ratione tranſcendentis, nam accidens tranſcendens differentias non eſt id, quod componitur, ſed id quod abſtrahit, vt ex ſe conſtat: conſtat igitur accidens poſſe reddi completum in ſua linea per modum illum ſubſiſtentiæ.

669. His non obſtantibus tenenda eſt præfata ſolutio, ad cuius maiorem intelligentiam notandum eſt id, quod ſupra diximus nu. 516. explicantes quid ſit ens completum, duo enim conſiderantur, & quòd ſignificetur per modum cuiuſdam totius, & hoc verificatur in ente completo ſubſtantiali, & deinde quòd intelligatur aliquid per modum complementi metaphyſici, & hoc verificari debet tàm in ſubſtantia, quàm in accidenti. Igitur modus per ſe conſtituit ſubſtantiam in ratione totius, & vt quod, & ex hac parte eſt complementum illius, & ratione illius dicitur ſubſtantia metaphyſicè completa. Inhæſſio autem ex vna parte non conſtituit aliquod totum, vt quod, ſed potius eſt ipſa actualis communicatio accidentalis in ſubiecto, & ex alia parte non poteſt complere accidens per modum complementi metaphyſici, nam inhæſio non pertinet ad quidditatem accidentis, ideſt, quaſi cauſalitas illius, ideoque talis inhæſſio ſolùm pertinet

Digitized by Google

net quantùm ad eſſe accidentis, & nō quantùm ad quidditatem, ac proinde nullo modo inhæſſio poteſt complere accidens in communi. Quo ſuppoſito ad primam obiectionem dico, quòd licet accidens in ſua linea non petat conſtitui, ſeù compleri, vt quod, & ideo inhæſſio non ſic compleat accidens, quia tamen non eſt complementum metaphyſicum accidentis, propter proximè dicta, ideo dicitur abſolutè non eſſe complementum ſubſtantię.

Ad ſecundam obiectionem reſpondeo eſſe magnam diſparitatem, nam ſubſtantia conſtituit ſubſtantiam in ratione totius, & vt complementum metaphyſicum, inhæſio autem nec conſtituit accidens in ratione totius, nec vt complementum metaphyſicum, atquè adeo eſt ſufficiens diſparitatis ratio ad intentum, quidquid ſit de alijs, quæ adduntur in præfata ſolutione, de quibus pro nunc non curo, nam quæ dixi, ſufficiunt ad intentum.

TRACTATVS QVINTVS:

De prædicamentis in communi, & in particulari.

Proæmium.

LIBER prędicamentorum Ariſtotelis in tres partes fuit à nobis ſupra diuiſus ſcilicet in ante Prædicamenta, Prædicamenta, & poſt Prædicamenta; & in vnaquaq; diſputantur à Logicis, & Metaphyſicis variæ quæſtiones; & in prima præcipua eſt de analogia in communi, & de analogia entis de quibus in pręcedenti tract. dictum eſt, nunc autem in præſenti eligam principaliores difficultates, tàm circa prædicamenta in communi, quàm circa vnumquodq; in ſpeciali, relictis alijs facilioribus. Et in primis agam de numero, & diſtinctione requiſita inter prædicamenta. Deinde omiſſo prędicamento ſubſtantiæ, de quantitate aliqua dicam, & ſimiliter de relatione, inſuper de qualitate nihil occurrit diſputandum pro logicis. Et tandem circa ſex vltima prædicamenta alias communes difficultates diſcutiam.

Digitized by Google

CONFERENTIA I.

Vtrum prædicamenta ſint decem, & an inter omnia ſit neceſſaria diſtinctio realis?

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

670. Circa primam partem huius conferentiæ diximus ſupra num. 99 vbi explicuimus, & probauimus numerum prædicamentorum ex doctrina Magiſtri Soto, & maiorem explicationem illius remiſſimus ad illum locũ, non alio fine, niſi ad referendas, & refellendas aliquas opiniones aliquorum modernorum, vt ex illorum impugnationibus magis conſtet veritas doctrinæ Peripateticæ. De qua dubitare [ait Mag. Ioa. à S. Thoma] nefas eſt. Et illam his temporibus negare, eſſe paradoxũ, teſtatur Colleg. diſcalc. diſp. 11. dub. 2. nu. 63. cum quo tamen compatitur aſſertionem aſtruentem numerum denarium prædicamentorum eſſe tantùm propoſitionem probabilem, vt dicebamus ſupra num. 101. & affirmant communiter authores. Sunt autem quædam probabiles propoſitiones ita authoritate firmatæ, vt illas negare nemo audeat. Nihilominus referam breuiter ſententias in hac parte.

671. Prima ſententia docet eſſe vnum tantùm prædicamentum, nempè ipſum ens. Ita opinatus fuit Plato, vt refert Magiſt. Soto, exiſtimauit enim ens eſſe vniuocum ad omnes res, & conſequenter eſſe genus vniuerſale omnium. Pro hac ſententia Colleg. diſcalciatum diſp. 11. logicæ quæſt. vlt. dub. 2. refert Scotum, & plures alios. Secunda ſententia in alio extremo conſtituit viginti prędicamenta. Ita Pytagorici, vt videtur colligi ex Ariſtotele lib. 1. metaph. cap. 5. Inter has autem ſententias extremas ſunt aliæ mediæ. Nam aliqui aſſignant tria, alij quatuor, alij vndecim, alij tandem duo. Et his videtur fauere Pater Albertinus tom. 2. circa prædicamentum ſubſtantiæ diſput. 1. quæſt. 2. num. 11. vbi docet accidens completum eſſe genus ad nouem genera; ex quo, ait, non ſequitur eſſe duo prædicamenta in Ariſtotele; quia prædicamenta ſunt diſtincta ab Ariſtotele propter commoditatem. Et quia prædicamentum accidentis continet vniuerſaliùs quædam capita rerum valde inter ſe diuerſa, quæ non continet prædicamentum ſubſtantiæ, ideo rationabiliter, & commodè diſtinctum eſt accidens ab Ariſtotele, & à veteribus Phyloſophis in nouem Prædicamenta. Et ſanè licet author iſtę videatur aſtruere nouem genera accidentium in re tamen ipſa duo ponit, cum accidens completum doceat eſſe genus, & conſequenter nihil illi deeſt ad conſtituendum vnum prædicamentum.

672. De diſtinctione requiſita inter prædicamenta, quæ eſt ſecunda pars conferentiæ, eſt diuerſitas

Digitized by Google

ſitas ſententiarum. Prima aſſerit ſufficere diſtinctionem rationis ratiocinatæ. Secunda docet requiri diſtinctionem realem entitatiuam. Tertia ſufficere diſtinctionem realem modalem. Quarta aſtruit aliam diſtinctionem realem, quam vocat formalem, & iſtam ſufficere exiſtimat. Inter Thomiſtas eſt communior ſententia docens requiri diſtinctionem realem, non tamen conueniunt in aſſignanda qualitate huius diſtinctionis, ſed differunt iuxta diuerſitatem diſtinctionis realis aſſignatam in hac triplici ſententia.

§. 2.

Reſoluitur prima pars conferentiæ.

673. PRò reſolutione veritatis ſit prima concluſio. Numerus denarius prædicamentorum eſt ſufficiens. Hæc concluſio cōmuniter recipitur in ſchola Peripatetica, & vt ſupra dicebamus num. 101. præcipuè innititur authoritati Phyloſophorum, qui eam tradiderunt, quos poſteriores ſequuti ſunt, & ideo non poteſt reddi ratio demonſtratiua, ſeù conuincens talem numerum denarium, eſt tamen probabilis ratio, quam ſupra nu. 100. propoſuimus deſumptā ex diuerſitate modi prædicandi, ex qua colligitur eſſe decem diuerſos modos prædicandi, ac proinde decem prædicamenta. Hanc autem rationem non repeto, vt ibidem videatur, contra quam aliquæ obiectiones proponuntur, ex quarum ſolutione magis conſtabit illius probabilitas.

674. Obijcies 1. ex P. Hurtado in metaph. diſp. 9. ſect. 2. §. 14. Nam primum prædicamentum ſubſtantiæ videtur curtum, nam erat in duo prædicamenta ſecandū, alterum creatæ, alterum increatæ. Deus enim habet ſua prædicata quidditatiua, quæ in ſerie, & ordine conſtitui poſſunt, quòd ſi non ſit conuenientia vniuoca cum creaturis, ex hoc tantùm colligitur non conſtitui in vno prædicamento cum illis, ſed nulla videtur ſufficiens ratio, vt non conſtituantur duo, ſed potiùs adeſt, vt conſtituantur. Nam ens diuiditur in ens increatum, & creatum, & præcipua pars diuidens eſt ens increatum: ergo ſi pro ente creato, tàm varia, & diuerſa prædicamenta ſtatuuntur, aliud debet aſſignari pro ente increato. Dicere autem, quod ad rationem prædicamenti requiritur, quòd in illo conſtituatur ens vniuocum, & finitum, verificatur in prædicamentis entis creati, & reddenda eſt ratio, quare non poſſit cōſtitui vnum prędicamentum entis increati, in quo prædicata huius coordinentur. Secundò obijcies ex eodem ibidem. Nam quantitas, & qualitas non duo, ſed vnum prædicamentum conſtituunt, nempè accidentis completi, ſiuè abſoluti: vtraquè enim eſt accidens completum abſolutum. Et diſtinctio aſſignata inter quantitatem, & qualitatē ſupponit falſum, nam quantitas non ſequitur materiam, ſed formam, cum ſubiectetur in toto compoſito iuxta ſententiam Thomiſtarum, & reſultet ex forma ſecundùm primum gradum corporeitatis. Et adhuc hoc admiſſo, quòd quantitas ſequatur ad materiam, & qualitas

qualitas ad formam, non ſequitur quòd cōſtituant duo prædicamenta. Nam materia, & forma conſtituunt vnum totum, & ad vnum prædicamentum pertinent: ergo accidentia ſequuta ad illas non debent pertinere ad duo prædicamenta, ſiquidem vtrumque accidens ſequitur ad totum conſtitutum in vno prædicamento. Confirmatur hoc. Nam in eodem prædicamento qualitatis reperiuntur aliquæ qualitates corporeæ repertę in ſolo corpore phyſico, & etiam incorporeę, & ſupernaturales: ergo in eodem prædicamento qualitatis reperiuntur accidentia propria materiæ, & propria formæ, & conſequenter, ex hac parte non debent diſtingui prędicamenta, aliàs eſſent duo pro qualitate.

675. Iſtæ autem obiectiones facilem ſolutionem habent. Ad 1. reſpondeo pro ſubſtantia increata non poſſe conſtitui prædicamentum aliquod ſpeciale, nec ipſam pertinere ad prædicamentum aliud. Et ratio eſt. Nam quod ponitur in prędicamento debet eſſe, vel genus, vel contentum, vt ſpecies, ſub genere, & neutro modo poteſt ſubſtantia increata poni in prædicamento, vt expręſsè docet, & probat D. Th. 1. p. q. 3. art. 5. ex eo quòd genus dicit potentialitatem ac proinde id, quod componitur ex genere, & differentia, habebit in ſe aliquam potentialitatē. Ex quo ſequitur Deum non poſſe poni in prædicamento, ſi loquamur de prædicamento, in ſenſu, quo loquutus fuit Ariſtoteles, ſi autem ſermo ſit magis amplus, & pro prædicamento accipiatur quælibet coordinatio prædicatorum eſſentialium, ſiuè iſta ſe habeant, vt genus, & differentia, & ſpecies, ſiuè tantùm, vt prædicata eſſentialia mutuò ſe includentia, tunc poteſt dari coordinatio prædicatorum eſſentialium Dei, & hæc poterit vocari latiſſimo modo prædicamentum. Cęterum non ſic vocatur communiter, & loquendum eſt cum pluribus. Quapropter ens creatum diuiditur per tàm varia prædicamenta, in quibus diuerſa genera, & ſpecies coordinantur, at ens increatum, ſicut incapax eſt, vt conſtituatur ex genere, & differentia, ita incapax eſt, vt in prædicamento ponatur.

676. Ad 2. obiectionem conſtat qua ratione accidens completū non conſtituat vnum prædicamentum, ſiquidem non dicit aliquam rationē realem, quæ ſit communis omni accidenti completo, ſicut dicit ſubſtantia completa. Cuius rationem inuenies ſupra num. 568. cui nihil addendum occurrit. Et differentia inter quantitatem, & qualitatem optima eſt, cuius ſenſus non eſt, quòd quantitas dimanet à materia, vel illi immediatè inhæreat: ſed quia quantitas immediatè ſequitur ad gradum corporeitatis formæ, qui proximior eſt ipſi materiæ, illique proportionatus, & ratione illius deſponitur ad alios, ideò dicitur, quòd quantitas ſequitur materiam. Qualitas autem ſequitur ad alios poſteriores gradus, & ideo dicitur ſequi ad formam. Vel dicatur cum Mag. Ioan. à S. Thoma, quòd quia quantitas inuenitur in ſolis rebus materialibus, & ex alia parte diſponit ſubiectum ad recipienda alia accidentia materialia, dicitur ſequi ad materiam; at quia qualitas inuenitur tàm in rebus materialibus, quā ſpiritualibus, & inuenitur qualitas diſponens ad agendum, & idcirco habens aliquid actualitatis, ideo dicitur qualitas ſequi ad formam.

Digitized by Google

mam. Item licet materia, & forma conſtituant aliquod vnum pertinens ad vnum prædicamentum, ad quod etiam ipſæ, vt partes illius, reductiuè pertineant; tamen accidentia, quæ ſequuntur ad materiam, diuerſo modo comparantur ad totum cōpoſitum; quàm accidentia, quæ ſequuntur ad formã, & cum aliàs ipſa in ſua linea ſint completa, hinc eſt, quòd diuerſa prædicamenta conſtituant. Ad confirmationem reſpondeo, quòd omnis qualitas ſequitur ad poſteriorem gradum formæ, & hoc ſufficit, vt hac ratione dicantur ſequi ad formam, & licèt tales qualitates ſint corporeæ, hoc ideo eſt, quia ſequuntur ad formas corporeas: ac proinde numquàm verificatur dari qualitates, quæ ſequantur materiam.

677. De qualitatibus ſupernaturalibus ſolet eſſe magna controuerſia an pertineant ad prædicamentum, in quo ponuntur aliæ qualitates naturales. In quo iudico partem affirmatiuam probabiliorem. Eo quòd tales qualitates conſtent ex genere, & differentia, & in ratione qualitatis conueniunt omninò cum qualitatibus naturalibus, & conſequenter nulla eſt ratio ad excludendas qualitates ſupernaturales à prædicamēto qualitatis, & conſtituendum aliud pro accidentibus ſupernaturalibus, vt aliqui volunt. Conſtat ergo rationē illam, qua probauimus ſufficientiam numeri prædicamentorum eſſe ſatis congruentem, & probabilem, nec maior certitudo in his rebus quærenda eſt, maximè quando accedit authoritas tot Phyloſophorum, tàm ex antiquis, quàm ex modernis.

§. 3.

Explicatur quotuplex ſit diſtinctio realis, & excluditur realis formalis.

678. AD intelligendam diſtinctionem neceſſariam inter prędicamenta, oportet hic breuiter explicare varia genera diſtinctionum. Diſtinctio .n. eſt negatio identitatis, ſequiturquè ad omnem entitatem ſingularem. Et cum entitas ſit duplex, alia realis, & alia rationis, eſt duplex diſtinctio ſcilicet realis, & rationis. Rurſus diſtinctio rationis eſt duplex, altera rationis ratiocinantis, quæ ex parte rei nullum præſupponit fundamentum, & altera rationis ratiocinatæ, quæ in re ipſa aliquod fundamentum ſupponit. Deinde circa diſtinctionem realem, eſt aliqua diuerſitas, præcipuè inter Thomiſtas. Nam aliqui aſſtruunt triplicem diſtinctionem realem, nempè entitatiuam, quæ verſatur inter duas entitates, modalem, quæ intercedit inter entitatem, & modum: & formalem, quæ inuenitur inter duas formalitates. Et hac diſtinctione reali formali paſſim vtuntur, & præcipuè ad diſtinguenda prædicamenta, vt videre eſt in Magiſt. Araujo lib. 5. metaph. quæſt. 1. art. 4. alij verò duas ſolas diſtinctiones aſſignant, ſcilicet entitatiuam, & modalem, at in explicanda hac modali diſtin-

ctione

ctione, non ita clarè procedunt: quà propter, vt clarè in hac parte procedamus, & aperiatur via ad intelligendas alias difficultates in alijs materijs, in quibus neceſſaria eſt cognitio diſtinctionis realis, dicam quid ſentio.

679. Exiſtimo enim non dari niſi duas reales diſtinctiones ſcilicet entitatiuam, & modalem; & aliam formalem eſſe ſuperfluam, nec realem eſſe dicendam. Probatur hoc aſſumptum. Nam diſtinctio ſequitur ad entitatem, ita vt qualis fuerit entitas, talis erit diſtinctio. Et ratio eſt. Nam ad omnem entitatem ſequitur ſua vnitas, per quam in ſe eſt indiuiſa, & diuiditur à qualibet alia, ac proinde eo modo, quo eſt entitas, eſt vnitas, & eo modo quo eſt vnitas, eſt diſtinctio: ſed tantùm eſt duplex entitas realis, vel entitas, quæ dicitur, res, vel entitas, quæ dicitur modus: ergo erit duplex tantùm diſtinctio, alia entitatiua, ſi ſit inter duas entitates, quæ ſint, res, vel ſit modalis ſi ſequatur ad entitatem, quæ dicitur modus. Confirmatur, & explicatur hoc 1. deſtruendo illam diſtinctionem formalem. Nam illæ duæ formalitates ſunt à parte rei, & vna non eſt alia à parte rei: ergo à parte rei dantur duæ entitates ſingulares; ſiquidem nihil eſt à parte rei, quod non ſit ſingulare. Tunc vltra: ergo à parte rei dantur duæ vnitates ſingulares, quamlibet enim entitatem ſingularem ſequitur à parte rei ſua vnitas ſingularis: ergo talis diſtinctio eſt realis entitatiua: patet hæc conſequentia. Quia diſtinctio realis entitatiua eſt, quæ verſatur inter duas entitates reales, & ſingulares exiſtentes à parte rei, quarum vna realiter non eſt alia, quia vtraque habet ſuam vnitatem ſingularem, per quam eſt realiter diſtincta ab altera.

680. Confirmatur 2. Nam formalitates illæ ex eo, quòd ſint formalitates non extrahuntur à linea entis realis, quod, vt certum ſuppono: ergo illæ formalitates, vel ſunt entitates perfectæ, & completæ, vel imperfectæ, & modales, & non datur medium à parte rei inter entitatem, & modum entitatis: ſi ſunt entitates perfectæ, & completæ, & à parte rei vna non eſt alia, erit diſtinctio entitatiua, ſi autem vtraquè eſt modus, vel altera illarum, erit diſtinctio realis modalis: ergo altera diſtinctio realis formalis ſuperfluit, imò eſt impoſſibilis. Sit exemplum in actione, & paſſione, quæ in ſententia, quam impugno, diſtinguuntur prædicta diſtinctione formali. Nam actio à parte rei eſt aliqua entitas ſingularis, & paſſio eſt aliqua entitas ſingularis, & vna à parte rei non eſt alia: ergo diſtinguuntur realiter entitatiuè. Si autem dicas, quòd ſunt formalitates, inquiro an ratio formalitatis extrahat actionem à linea entitatis perfectæ, & completæ, & etiam à linea entitatis realis modalis? non poteſt dici quòd in re ſit aliqua realitas, quæ non ſit entitas, vel modus: ergo non extrahitur, & conſequenter eſſe formalitates non tollit inter illas eſſe diſtinctionem realem entitatiuam, vel formalem. Et ſanè exiſtimo plures ex Thomiſtis, qui hac diſtinctione formali vtuntur, pro eodem accipere diſtinctionem realem formalem, & realem modalem.

681. Circa

681. Circa diſtinctionem modalem maximè aduertendum eſt, quòd quando vnum extremum eſt res, & alterum eſt modus, ſolet dici quòd entitas rei, & modi eſt eadem, quaſi non ſint duæ realitates, ſeù entitates. In quo eſt maxima æquiuocatio. Ad illam autem auferendam notandum eſt quòd entitas in ſua generali ratione communis eſt entitati, quæ eſt res, & entitati, quæ eſt modus, res enim eſt entitas perfecta, & completa, modus autem eſt etiam entitas licèt imperfecta, ac proinde res, & modus à parte rei afferunt duas entitates, alteram perfectam, & imperfectam alteram, & contingit deſtrui modum, & manere rem, tunc aliqua entitas deſinit eſſe, & alia eſt entitas modalis. Quando verò dicunt modum non eſſe aliam entitatem, debet intelligi de entitate perfecta, & completa, & hoc modo intelligo diſtinctionem realem modalem.

§. 4.

Explicatur, & probatur qualis diſtinctio ſit neceſſaria.

682. SVppoſita præcedenti doctrina ſit ſecunda concluſio. Neceſſaria eſt diſtinctio aliqua realis inter quælibet prædicamenta, & non ſufficit diſtinctio aliqua rationis. Hæc concluſio admittitur communiter à Thomiſtis contra P. Suarez, & alios, quos refert, & impugnat Magiſt. Arauio vbi ſupra. Et pr. 1. Nam prædicamenta dicunt a parte rei ſuas eſſentias, quarum vna a parte rei non eſt alia, ita vt, ſi nullus eſſet intellectus, adhuc eſſentia quantitatis non eſſet eſſentia qualitatis, & ſic de alijs, illaquè omnia ſunt primò diuerſa à parte rei, ideſt, in nullo ſimpliciter conueniunt: ergo inter omnia prædicamenta neceſſaria eſt aliqua diſtinctio realis, independens omninò ab operatione intellectus. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam diſtinctio realis eſt negatio identitatis realis, verſaturquè inter illa extrema, quorum vnum affert negationem alterius; ſed quodlibet prædicamentum in re affert negationem alterius, & in re vnum non eſt aliud, ſiquidem eſſentia vnius non eſt eſſentia alterius in re: ergo quodlibet prædicamentum diſtinguitur realiter ab alio.

683. Tertia con. Neceſſaria eſt diſtinctio realis entitatiua inter omnia prædicamenta. Hæc concluſio aſtruitur ſpecialiter contra aliquos Thomiſtas, qui aſſerunt, quòd licet aliqua prædicamenta diſtinguantur realiter entitatiuè, non tamen omnia, ſed inter aliqua ſufficere, dicunt, diſtinctionem realem modalem, ſeu formalem. Et pr. hac vnica ratione. Nam omnia prædicamenta ſunt res perfectæ, & completæ, etenim ad prædicamentum non pertinet niſi ens completum, & perfectum, & hoc diuiditur in decem prædicamenta primò diuerſa a parte rei: ergo inter illa neceſſaria eſt diſtinctio realis entitatiua: anſ ſupponitur.

 Et

Et 66a pr. Nam illa, quæ ſunt res completæ,& perfectæ, ſi vna in re non eſt alia, diſtinguuntur tanquam res à re, q̄ eſt diſtinctio realis entitatiua: ergo ſi prædicamenta omnia ſunt res perfectæ,& completæ, & ſunt primò diuerſa a parte rei, & vnum in re non eſt aliud, debent omnia diſtingui tanquam res a re. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam ad diſtinctionem realem modalem, requiritur quòd vnum extremum ſaltim ſit modus; ſed nullum prædicamentum verè;& propriè eſt modus, ſed quodlibet eſt res completa,& perfecta, modus autem eſt quid in completum: ergo nullum prædicamentum poteſt ab alio diſtingui ſola dictione reali modali. Et eadem ratione non ſufficit diſtinctio realis formalis, etiam ſi illa admittatur. Siquidem iſta verſatur inter formalitates eiuſdem rei, & non inter diuerſas res perfectas, & completas: ergo cum omnia prædicamenta ſint res perfectæ, & completæ,& inter ſe diſtinctæ,non ſufficit diſtinctio illa realis formalis.

684. Et ſanè, vt tollatur æquiuocatio,& non ſit quæſtio de ſolo nomine, eſt notandum quòd modus propriè loquendo determinat, & modificat rem, illam afficiendo, ita vt ſine re non poſſit conſiſtere etiam de potentia Dei abſoluta, & vltra addit eſſe aliquid incompletum, & imperfectum in ſua linea, qua ratione ſubſiſtentia eſt vere, & propriè modus ſubſtantiæ complens illam, vt quid incompletum in illo genere, & idem eſt de vnione,& alijs. Cæterum ſunt aliquæ formæ accidentales, quæ, quia non accedunt ad perfectionem aliarum, ita pendent à ſuis ſubiectis, vt ſine illis non valeant conſiſtere, & huiuſmodi ſunt formæ, quæ pertinent ad ſex vltima prædicamenta, verbi gratia, actio, & paſſio, quando, vbi, & inter iſtas ſolet numerari relatio,& hac ratione, ſcilicet, quia aſſimiliantur modis, ſolent vocari modi, ideo dicunt aliqui, prædictas formas diſtingui realiter modaliter. Cæterum ad rationem modi propriè accepti vltra requiritur, ſcilicet, quòd ſit aliquid incompletum, & imperfectum in ſuo genere, cumquè hoc non poſſit verificari de formis illis, conſequens eſt, vt non ſint propriè modi, ſed res perfectæ,& completę. Concludo igitur, quòd ſi illa ſimilitudo cum modis eſt ſufficiens, vt talia prædicamenta ſint, & dicantur modi, ſufficiet inter illa diſtinctio realis modalis: ſed quia in mea ſententia illud non ſufficit, ideo requiritur realis entitatiua diſtinctio.

§. 4.

Proponuntur argumẽta, & ſoluuntur.

685. Contra. 1. concluſionẽ non reſtat alia obiectio ſoluenda, quæ aliquam difficultatem habeat,& ideo arguitur 1 contra con. 2. Nam illa diſtinctio eſt ſufficiens inter prædicamenta, quæ ſufficiat ad verificandam diſtinctionem eſſentialem inter aliqua extrema: ſed ſola diſtinctio rationis ratiocinatæ eſt ſufficiens ad talem diſtinctionem eſſentialem: ergo ſola diſtinctio rationis ratiocinatæ ſufficit ad diſtinguenda prædicamenta. Ma. eſt

certa.

certa. Nam ſi ſemel verificatur prædicaméta diſtingui eſſẽtialiter ẽ ſufficiens diſtinctio inter illa. Et mi. pr. 1. rõne. Nam in vna, & eadẽ entitate reali poſſunt inueniri à parte rei varia, & diuerſa prædicata eſſentialia: ergo in re vna poſſunt à parte rei inueniri diuerſæ eſſentiæ, quæ in re non diſtinguuntur, ſed ſolùm præbent fundamentum, vt ab intellectu diſtinguantur, quæ diſtinctio rationis ratiocinatæ eſt. Pr. 2. Varijs exemplis, & ſit. 1. quod affert Pater Suarez. Nam idem numero calor pertinet ad 1. ſpeciem qualitatis, prout diſponi ſubiectum, vt benè, vel malè ſe hẽat in ordine ad ſuam naturam, & pertinet ad 2. ſpeciem, prout eſt potentia ordinata ad calefaciendum; & eſt eadem entitas realis caloris habens prædicata eſſentialia conſtitutiua primæ, & ſecundæ ſpeciei: ergo ſola diſtinctio rationis ratiocinatæ eſt ſufficiens ad talem diſtinctionem eſſentialẽ. Sit 2. exemplum in logica, quæ, vt vt docens, diſtinguitur eſſentialiter à ſe ipſa vt vtente, cum ſola diſtinctione rationis ratiocinatæ, vt dicebamus num. 283 Et 3. eſt in omni genere, quod eſſentialiter diſtinguitur à differentia, & in natura, quæ eſſentialiter diſtinguitur à ſua ſingularitate, & tamen ſola diſtinctio rationis ratiocinatæ interuenit. Et tandem in prædicatis diuinis, & omnibus tranſcendentalibus, quæ ſola ratione diſtinguũtur, & inter illa eſt diſtinctio eſſentialis: ergo ad iſtam ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ.

686. Ad hoc argumentum reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem. Si intelligatur de diſtinctione eſſentiali adæquata. Repugnat enim dari duas eſſentias adæquatas, ita vt vna adæquatè ſit conſtituta, & ſimiliter alia, & quòd inter iſtas, & ipſas res conſtitutas non ſit diſtinctio realis actualis: ac proinde ſi vtraquè eſſentia adæquata eſt conſtitutiua rei perfectæ, diſtinctio realis actualis erit rei à re, & conſequenter entitatiua, ſi verò aliqua ſaltim conſtituit modum, erit diſtinctio realis modalis. Ad. 1. probationem dico quòd in vna, & eadem entitâte non poſſunt conuenire varia, & diuerſa prædicata conſtituentia diuerſas eſſentias reales adæquatas, benè autem eandem adæquatam eſſentiam, & ideo genus, & differentia, licet inter ſe differant eſſentialiter, quia tamen concurrunt inadæquatè ad conſtitutionem adæquatam eiuſdem eſſentiæ, ideo non diſtinguuntur realiter, & idem eſt de natura, & ſingularitate, quæ ſunt inadęquata, & adæquatè conſtituunt indiuiduum. Eodem pacto in logica eſſe docentem, & vtentem non conſtituunt diuerſas eſſentias, ſed dicitur docens in ordine ad vnum actum, & vtens in ordine ad alium, & cum iſti actus inter ſe ſubordinentur ſub eadem ratione formali, non cauſant diſtinctionẽ eſſentialẽ, & adæquatã in habitu. Et per hæc patet ad tria exẽpla adducta. Ad aliud de calore dico quòd eſt diſtinctus realiter calor, qui eſt diſpoſitio ad formã ignis, nã iſte eſt calor præcedẽs formã ignis, & qui ſe hẽt per modũ potentię naturalis, nã iſte ſubſequitur ad illã formã, vt propria paſſio illius. Ad vltimũ exẽplũ de prædicatis diuinis, & tranſcendentibus reſpõdeo eſſe diſparẽ rationem, nã ex proprijs eſſentijs petunt prædicata diuina adinuicem imbibi, & claudi propter eorũ ſummã actualitatẽ, & infinitã perfe-

Digitized by Google

ctionem, ita vt non poſſit adæquatè intelligi aliquod prædicatum diuinum niſi imbibat, & claudat alia, maximè ſi eſt prædicatum abſolutum, relatiua.n. ex alio principio petunt diſtingui, & non debent eſſentialiter includi in eſſentia. Tandem prædicata tranſcendentia petunt intimè claudi, imbibi in omnibus, & idcirco nulla eſſentia intelligitur adæquatè cõſtituta ſine illis, & cõſequẽter eſt diuerſa ratio.

687. Arguitur 2. contra 2. con. Nam plura ſunt prædicamenta, quæ non diſtinguuntur realiter entitatiuè. Nam actio, & paſſio non diſtinguuntur ſicut duæ entitates, ſunt enim idem motus ſecundùm rem, vt docet D. Thomas lib. 3. Phyſicorum lect. 4. Item relatio pertinet ad aliud prædicamentum diſtinctum ab illo, ad quod pertinet ſuum fundamentum, & tamen iuxta probabilem ſententiam non diſtinguitur realiter entitatiuè à ſuo fundamento: ergo ad diſtinguenda diuerſa prædicamenta non deſideratur diſtinctio realis entitatiua, id eſt, quæ inter diuerſas verſetur entitates. Confirmatur hoc. Nam plura prædicamenta ſunt modi reſpectu ſubſtantiæ, verbigratia, relatio eſt modus, actio eſt modus, & idem de paſſione, & de alijs vltimis: ergo ad illa diſtinguenda ſufficit diſtinctio realis modalis, quæ ab alijs vocatur diſtinctio realis formalis.

688. Ad hoc argumentum reſpondeo negando principale aſſumptum, nam actio eſt entitas realis diſtincta ab entitate paſſionis, & motus, itaquè ſunt tres entitates, quando autem D. Thomas ait quod actio, & paſſio ſunt idem motus intelligitur in ſenſu cauſali, hoc eſt quòd vnus motus reſultat ex actione, & paſſione, ita docent Thomiſtæ defendentes actionem ſubiectari in agente, quorum ſententiam vt probabiliorem ſequemur in lib. 3. Phyſicorum. Ad aliud exemplum de relatione conſtabit ex dicendis conferentia 4. in hoc tractatu, vbi probabimus diſtingui realiter entitatiuè à ſuo fundamento, & ibi dicemus plura alia, quæ hic deſiderari poſſunt. Ad confirmationem cõſtat ex dictis nullum prædicamentum verè, & propriè eſſe modum, licet aliqua propter ſuam imperfectionem reſpectu aliorum, accedant ad ſimilitudinem cum modis. De quo etiam redibit ſermo in dicta conferentia. 4.

CONFERENTIA 2.

Vtrum ſubſtãtia corporea habeat partes realiter diſtinctas ante aduentũ quantitatis.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

689. AD intelligendum proprium, & primariũ effectum formalem quãtitatis mouetur præſens difficultas, quæ celebris eſt non ſolùm inter logicos, ſed etiam inter metaphy- & phy-

& phyloſoph. iſti .n. de illa tractant in libris de generatione explicando terminum nutritionis, prout diſtinguitur a termino augmentationis. Ad cuius intelligentiam notandum eſt. 1. quod non eſt difficultas an ſubſtantia ex ſe ante quantitatem habeat diſtinctionem illam accidentalem, ſeù extenſionem .l. diuiſibilitatem formalem, quæ eſt proprius effectus quantitatis, nam huiuſmodi cum ſit de linea accidentis non poteſt præintelligi in ſubſtantia, prout anteuertit omne accidens. Eſt autem difficultas an præter diſtinctionem partium quātitatis, extenſionem, & diuiſibilitatem quantitatiuam, detur in ſubſtantia, alia diſtinctio ſubſtantialis partium ſubſtantialium, ita vt ante quantitatem vna pars ſubſtantiæ non ſit realiter alia.

690. In qua difficultate ſunt duæ extremæ ſententiæ, & vnaquæquè habet plures modos, quibus à diuerſis defenditur. Prima ſententia docet nullam talem partium diſtinctionem dari ante quantitatem. Secunda ſententia aſſerit ante quantitatem dari prædictam partium diſtinctionem ſubſtantialem. Primus modus defendendi primam ſententiam affirmat quod omnis diſtinctio partium prouenit à quantitate actuali, ita vt ſubſtantia corporea in ſua linea habeat omnimodam indiuiſibilitatē, & adhuc quando eſt ſub quantitate tota ſubſtantia eſt ſub tota quantitate, & tota ſub qualibet parte. Ipſaquè ſubſtantia eſt ſubiectum recipiens diſtinctionem, & diuiſionem accidentalem, & in ſua linea ſubſtantiali permanet omninò indiuiſibilis. Ita diſcurrit Collegium diſcalciātum in logica diſput, 13. quæſt, 2, & 3. Et latiſſimè in libris de generatione diſput. 5. à quæſt. 3. vſquè ad 7. vbi fundat ſatis doctè ſuum dicendi modum in modo loquendi D. Thomæ, & antiquorum Thomiſtarum quos ibidem refert, & eorum verba adducit, & tandem teſtatur conſuluiſſe grauiores Magiſtros, & Thomiſtas, quorum nomina refert, qui prædictum modum dicendi exiſtimant ſatis probabilem, & conformē menti D.Thomæ, & Thomiſtarum. Secundus modus defendendi dictam ſententiam eſt aliorum, qui dicunt ſubſtantiam ante aduentum quantitatis actualis nullam diſtinctionem partium habere, ſed eſſe omninò indiuiſibilem, accipere tamen diſtinctionem ſubſtantialem poſt aduentū quantitatis, ita vt quæ ante iſtam erat indiuiſibilis ſubſtantialiter, per illius aduentum accipiat diſtinctionem ſubſtantialem, ad quam concurrit quantitas, vt conditio. Ita aliqui ex Thomiſtis, qui docent in principio indiuiduationis ſubſtantialis ingredi, vt conditionem, quantitatem actualem.

691. Tertius modus eſt illorum, qui dicunt ſubſtantiam habere partes realiter diſtinctas ante aduentum quantitatis actualis, non autem ante quantitatem radicalem, ideſt, non ante quàm intelligatur ſubſtantia, vt radix quantitatis, aut dicens ordinem ad quantitatem. Itaq; dicunt quòd ſicut principium indiuiduationis ſubſtantialis totalis eſt materia, vt radix totius quantitatis, ita principium indiuiduationis partialis eſt materia, vt radix partium, ſeù quantitatis partialis, v. g. materia, vt radix quantitatis capitis, eſt princicipium indiuiduationis, & diſtinctionis ſubſtantialis capitis, & vt radix quantitatis manus,

nus, eſt principium diſtinctionis ſubſtantialis ipſius manus. Ita plures ex Thomiſtis. Et Mag. Araujo lib. 5. Metaph. quæſt. 3. artic. 1. dub. appendice, videtur in hanc partem inclinare, nam docet ante quantitatẽ inueniri in ſubſtantia diſtinctionẽ aliquam, extenſionem, ſeù diuiſibilitatẽ radicalẽ, quę iuxta principia Thomiſtica non poteſt dari ſine quantitate radicali, ac proinde ratione iſtius eſt talis diſtinctio ſubſtantialis. Tandem Magiſt. Ioan. à S. Thoma in logic. q. 16. artic. 1. §. [Tertium eſt] docet ſubſtantiam habere partes ſubſtantiales ante quantitatem, & non diſtinguit inter quantitatem actualem .l. radicalem, quæ partes, licèt à quantitate non accipiant entitatem, ſeù vnionem ſubſtantialem, accipiunt tamen à quantitate ordinem vnius partis ad aliam, ratione cuius tollitur confuſio, quæ erat in partibus ante quantitatem. Et hanc doctrinam proſequitur, & explicat in toto illo articulo.

692. Altera ſententia docens habere partes ante quantitatem actualem, & radicalem, defenditur varijs modis iuxta diuerſitatem quà defenditur in principio indiuiduationis non ingredi, quantitatem, vel actualem, vel radicalem. De quo videantur PP. Salmanticenſes Diſcalciati tom. 1. in p. p. tract. 1. diſput. 1. dub. 1. & ſequentibus. Et Magiſt. Ioann. à Sancto Thoma in libris de generat. quæſt. 9. art. 3. Principalior tamen modus eſt, ſubſtantiam per ſuam entitatem indiuiduari, & diſtingui ſubſtantialiter, ideoque vocant partes entitatiuas. Ita P. Suarez, quem ſequuntur alij relati hic à Doctoribus.

693. Ex quibus modis dicendi conſtat duo à nobis eſſe diſcutienda, primum cum diſcipulis D. Thomæ. An ſubſtantia ante quantitatem actualem per ſolam radicem quantitatis habeat aliquam diſtinctionem partium. Secundum eſt cũ alijs. An ſcilicet etiam ante aduentum quantitatis radicalis ſit huiuſmodi diſtinctio. At de hoc vltimo tractare non eſt ad rem præſentem, nam agunt de illo in locis citatis de generatione; quapropter relicto hoc, agam de primo, & priùs iudicium feram de alijs dicendi modis, & poſtea eligam quem probabiliorem iudicaui. Et vt omnis confuſio tollatur, relinquam teſtimonia D. Thomæ, de cuius mente dicam in dubio appendice huius conferentiæ.

§. 2.

Impugnantur aliqui modi dicendi Thomiſtarum.

694. PRimus dicendi modus pro prima ſententia defendẽda mihi probabilis apparet, & ſatis conformis modo loquendi D. Thomæ, & Thomiſtarum antiquorum. At quia iudico cum alijs Thomiſtis prædictũ modum nimis rigoroſum, & non iuxta mentem D. Thomæ, licèt videatur conuenire cum modo loquendi illius, ideòq; in præſenti illum impugnabo, & adducam præcipua fundamenta, quæ elegantiſ-

ſimè,

Digitized by Google

ſimè, vt ſolent, afferunt prædicti Patres Complutenſes in locis allegatis. In primis ſic obijcio. Nam ſubſtantia habet partes ſubſtantiales, & ſubſtantialiter diſtinctas, ex quibus reſultat totum ſubſtantiale compoſitum: ergo non eſt indiuiſibilis omninò in linea ſubſtantiæ: Patet conſequentia. Nam diſtinctio illa partium, & compoſitio ponitur à nobis in linea ſubſtantiæ. Et antecedens probatur. Nam in homine, v. g. ſubſtantia capitis non eſt ſubſtantia pedis, ita vt à parte rei vna afferat negationem alterius adhuc in linea ſubſtantiæ: ergo vna diſtinguitur ſubſtantialiter ab altera. Confirmatur hoc, & explicatur. 1. Nam eſſe partes ſubſtantiales, & ſubſtantialiter diſtinctas, non tantùm verificatur eo quòd id quod eſt pars, ſeù quòd diſtinguitur, eſt ſubſtantia, ſed ſenſus formalis eſt, nempè ipſam diſtinctionem eſſe ſubſtantialem, hoc eſt intra lineam ſubſtantiæ, in eo ſenſu, in quo dicimus Petrum ſubſtantialiter diſtingui à Paulo, & quòd ſubſtantia vnius realiter non eſt ſubſtantia alterius: ſed prædicta diſtinctio ſic ſubſtantialis non poteſt prouenire à quantitate, quæ eſt de linea accidentis: ergo ante quantitatem datur in ſubſtantia diſtinctio realis ſubſtantialis partium. Minor eſt certa, & probatur ma. in qua eſt difficultas. Nam vna pars ſubſtantiæ realiter ſeparatur ab altera parte, v. g. ſubſtantia capitis realiter ſeparatur à ſubſtantia pedis, ita quòd quando ſeparatur caput à corpore, non tantùm ſeparetur quātitas capitis, ſed ſubſtantia, quæ erat ſub quantitate illa: ergo hæc ſubſtantia realiter non eſt illa: Patet hæc conſequentia. Nam ſignum euidens diſtinctionis realis eſt realis ſeparatio, ſi enim duo aliquando ſeparantur, euidenter ſequitur ipſa ſemper diſtingui realiter quāuis è contra non valeat à diſtinctione reali ad ſeparationem realē: ergo ſi ſubſtantia capitis, v. g. realiter ſeparatur à ſubſtantia pedis, euidenter ſequitur talem ſubſtantiam ſemper fuiſſe diſtinctam à ſubſtantia pedis. Confirmatur 2. Nam per nutritionem viuens de nouo acquirit ſubſtantiam, ſicut per augmentationem de nouo adquirit quātitatem. Rogo, an ſubſtantia illa, quæ de nouo adquiritur ſit idem realiter cum altera, quæ antea fuit adquiſita? Quis dicet ſubſtantiam, quæ mihi, v. g. hodie acquiritur, eſſe identificatam cum ſubſtantia, quæ hæri in me erat? Id enim quod de nouo aduenit eſt quædam entitas, quæ non erat, quando realiter erat altera entitas ſubſtantiæ: ergo entitas, quæ aduenit realiter diſtinguitur ab entitate, quæ entea erat. Et idem argumentum fieri poteſt de ſubſtantia viuentis, quæ deperditur quotidiè, illa enim realiter non eſt, & altera ſubſtantia permanet: ergo hæc non eſt idem realiter cum illa: aliàs eadem entitas realis eſſet, & non eſſet, quod videtur implicare contradictionem.

695. Ad hoc argumentum reſpondet Colleg. diſcalc. in locis allegatis, & præcipuè in libris de generatione inſiſtens in eo, quòd diſtinctio illa partium ſubſtantialium non ſit de genere ſubſtantiæ, & ad rationes, quibus vrgetur, docet nullum eſſe inconueniens quòd aliquid, quod modò eſt realiter identificatum cum altero, poſſit ab illo

realiter

realiter ſeparari, & è contra id, quod modo non eſt realiter identificatum cum altero, poſſit cum illo realiter identificari. Et ad hoc explicandum aſtruit triplicem diſtinctionem realem .ſ. realem virtualem, quæ communiter vocatur rationis ratiocinatæ, vt inter animal, & rationale, & realem actualem, quæ verſatur inter duas ſubſtantias totales, verb. grat. inter Petrum, & Paulum, inter iſtas autem diſtinctiones, ponit aliam, quaſi mediam, quam vocat realem potentialem, quæ verſatur inter duas res, quæ realiter actualiter ſunt idem, & poſſunt realiter diſtingui, ſeù ſeparari. Quo ſuppoſito ad intentum dicit ex ſeparatione reali, ſolùm inferri diſtinctionem realem potentialem, & hanc eſſe inter ſubſtantiam, quæ aduenit, & quæ erat, & inter eam, quæ deperditur, & eam quæ remanet ſub eadem numero quantitate, licet per ſeparationem maneant actualiter diſtinctę realiter.

696. Hæc autem ſolutio mihi non placet. 1. quia prædicta diſtinctio realis potentialis, in qua fundatur tota doctrina, fictitia eſt, & nullum habens fundamentum, ſiquidem nullus eam huc vſquè aſſignauit, ſolus P. Albertinus tom. 2. circa prædicamentum quantitatis diſp. 3. quæſt. 6. à num 44. vtitur prædicta diſtinctione reali ad ſaluandum partes quantitatis non diſtingui realiter. Iſte enim author negat omnia indiuiſibilia continuatiua, & docet partes quantitatis realiter identificari, & reſpondens argumento communi de ſeparatione reali, confugit ad prædictam realem diſtinctionem potentialem, & ait iſtam ſolam ſequi ex ſeparatione reali. Et ſanè ſi talis diſtinctio realis potentialis admittitur, non eſt efficax argumentum ad probandum partes quantitatis eſſe realiter diſtinctas, & vniuerſaliter non erit efficax argumentum, quo probetur aliqua duo diſtingui realiter, ſi illa inter ſe habeant aliquam coniunctionem, verb. grat. materia, & forma inter ſe coniunguntur, quòd ſi vtamur ſeparatione reali ad probandum diſtinctionem realem, poteſt occurri dicendo tantum inferri diſtinctionem realem potentialem, & idem contingit in multis alijs difficultatibus, in quibus Thomiſtę ad probandam diſtinctionem realem vtuntur ſeparatione reali, qua etiam vtitur prædictum Collegium, vt probet relationem realiter diſtingui à fundamento, & vnionem realiter diſtingui ab extremis vnitis. Non igitur admittenda eſt talis diſtinctio realis potentialis.

697. Secundò oppono in eandem diſtinctionem realem potentialem. Nam aliud eſt quòd aliqua duo poſſint realiter ſeparari, & actù non ſint ſeparata, aliud verò aliqua poſſe diſtingui, & actù non eſſe diſtincta. Primum quidem verum eſt, ſecundum autem videtur mihi falſum, non enim capio quo modo vnum realiter actualiter diſtinguitur ab illo cum quo realiter erat identificatum. Et ratio eſt. Nam diſtinctio ſequitur ad entitatem, ad quam ſequitur vnitas tranſcendentalis, ratione cuius eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa à qualibet alia: itaquè ad entitatem ſingularem poſitam à parte rei ſequitur ſua vnitas ſingularis, qua in ſe eſt indiuiſa numericè, & diuiſa numericè à qualibet alia: ergo entitas

Digitized by Google

realis, quæ ſemel fuit diſtincta realiter ab alia non poteſt cum illa realiter identificari, neq; è contra quæ fuit identificata realiter cum alia, poteſt ab illa realiter diſtingui. Añs eſt certum. Et cõa probatur. Nam prædicta vnitas ſingularis ſemper, & indiſpenſabiliter comitatur entitatem, ſed diſtinctio realis prouenit à prædicta vnitate ſingulari, ratione cuius entitas eſt diuiſa à qualibet alia: ergo entitas, quæ ſemel identificatur, ſemper identificatur. Entitas enim non diſtinguitur realiter actualiter ab alia per aliquid realiter ſuperadditum, ſed per ſuam entitatem, quæ ex ſe non eſt alia, ſi igitur eadem entitas perſeuerat, impoſſibile eſt modò diſtingui realiter actualiter, modò non diſtingui. Confirmatur, & vrgetur hoc. Nam quando duo ſunt coniuncta realiter, & inter ſe non ſeparata, ex eo probamus illa diſtingui actualiter realiter, quia ſunt talis naturæ, vt vna poſſit ab altera ſeparari: ergo ex potentia, quam habent ad ſeparationem infertur actualis diſtinctio realis: ſi igitur tantùm infertur diſtinctio potentialis, idem per idem probaretur. Nam potentia ad ſeparationem, in hoc dicendi modo, eſt ipſamet potentia ad actualem diſtinctionem, & ipſa actualis ſeparatio eſt ipſa actualis diſtinctio: ergo ne idem per idem probetur, neceſſum eſt dicere, quòd ex potentia ad ſeparationem infertur actualis diſtinctio in hoc modo arguendi communiter recepto. Etenim ſi duo inter ſe ita comparantur, vt vnum valeat ſine altero conſiſtere, ſignum euidens eſt, vt vnum actualiter non eſt alterum, & in hoc fundatur prædictus modus arguendi. Quapropter prædicta ſolutio, & doctrina in ea contenta pœnitùs euaneſcit. In ſuper idem modus dicendi poteſt impugnari ratione, qua à priori probabimus noſtram ſententiam, & modum dicendi; nempè ſufficere ordinem ad quantitatem, ſeù radicem iſtius ad dandam diſtinctionem ſubſtantialem partium, vt conſtabit ex infra dicendis.

698. Secundus modus defendendi illorum, qui dicunt ſubſtantiam non habere partes ſubſtantiales ante quantitatem, benè autem poſt aduentum illius, impugnatur. Nam prædicta diſtinctio partium ſubſtantiæ eſt ſubſtantialis, ita vt ex illis reſultet totum ſubſtantiale: ergo hæc diſtinctio non poteſt prouenire à quantitate actuali: patet hæc conſequentia. Nam effectus ſubſtantialis non poteſt prouenire à forma accidentali, ſiquidem totus ordo ſubſtantiæ antecedit totum ordinem accidentium, & ille eſt perfectio iſto: ergo ſi diſtinctio illa formaliter eſt ſubſtantialis, & intra ordinem ſubſtantiæ, vt probatum eſt in præcedentibus, non poteſt prouenire à quantitate actuali, quæ eſt accidens: Confirmatur hoc 1. Nam diſtinctio realis cuiuslibet entitatis non eſt ab aliquo realiter ſuperaddito, ſed ens per ſuam entitatem diſtinguitur, & ſubſtantia per ſuam entitatem ſubſtantialem diſtinguitur realiter ſubſtantialiter ab alia, ſiquidem ad quamlibet entitatem ſingularem ſequitur ſua vnitas ſingularis, per quam formaliter diſtinguitur: ergo ſi ſubſtantia, quando eſt ſub quantitate, habet partes realiter ſubſtantialiter diſtinctas, tales partes

ſemper ſunt ita ſubſtantialiter diſtinctæ: ſemper enim quòd intelligitur entitas ſingularis, debet intelligi vnitas, & conſequenter diſtinctio. Confirmatur. 2. Nam ſi Deus auferat quantitatem à ſubſtantia, in quo nulla eſt contradictio. tunc remanet eadem entitas ſubſtantiæ, & totum id quod ad lineam ſubſtantiæ pertinet; ſed quando ſubſtantia erat ſub quantitate, habebat partes ſubſtantiales ſubſtátialiter diſtinctas, vt affirmat prædictus modus dicendi: ergo adhuc ablata quantitate remanent tales partes ſubſtantiales ſubſtantialiter diſtinctæ.

699. Ad hanc impugnationem poteſt reſponderi ex doctrina Mag. Ioan. à S. Thoma dicto art. 1. ſoluendo argumentum 2. quod apponit contra ſuam reſolutionem ſic .n. docet, quòd ſubſtantia ſub quantitate habet partes duplici modo diſtinctas ſcilicet ſubſtantialiter, & accidentaliter, ſed ſubſtantialis diſtinctio non eſt in actum reducibilis, niſi dependenter à quantitate, vt à conditione, ſine qua illa diſtinctio ſubſtantiæ non exiet in actum. Et concludit poſt ália, quod à ſubſtantia venit ratio conſtituendi partes, à quantitate ratio ordinandi, & tollendi confuſionem, & ipſa diſtinctio ſubſtantialis àb iſta ordinatione, vt à conditione requiſita pendet. Et ad confirmationem 1. ex illius doctrina poteſt dici quod vnitas, ſeù diuiſio ſequitur entitatem, ſed non ſemper abſolutè, ſed dependenter ab aliquo extrinſeco, ſine quo diſtinctio non ſequitur in actu, ſed manet in potentia.

700. Contra hanc ſolutionem, & doctrinam replicatur. 1. Nam iuxta doctrinam Thomiſtarum certum eſt omnem diſtinctionem indiuidualem dependere à quantitate: at communior ſententia docet non pendere à quantitate actualiter informante, ſeù inhærente in ſubſtantia, ſed ſufficit ordo ad quantitatem, ſeù connotatio illius, vel ipſa ſubſtantia, vt radix eſt quantitatis, iuxta varios dicendi modos, & hunc modum dicendi ſequitur ipſe Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma dicta q 9. de generatione art. 4. & præcipua illius, & aliorum ratio eſt. Nam indiuiduum ſubſtantiale diſtinguitur ſubſtantialiter, & ſubſtantialis diſtinctio non poteſt prouenire à quantitate informante, quę prout ſic ſolùm dat aliquod eſſe accidentale: ergo ſi ab illis authoribus admittitur diſtinctio ſubſtantialis partium, hæc non poteſt prouenire à quantitate, vt informante, & inhærente in ſubſtantia: Patet hæc conſequentia, quia tàm ſubſtantialis eſt diſtinctio partium ſubſtantiæ, quando ſunt in toto ſubſtantiali, quàm diſtinctio, quæ verſatur inter duo indiuidua: ſed quia hæc eſt de linea ſubſtantiæ non pendet, nec, vt à conditione, à quantitate informante, & inhærente: ergo ſi illa eſt ſubſtantialis, non dependebit à prædicta quantitate. Et eadem ratione impugnatur ſolutio confirmationis. Non enim negamus talem diſtinctionem dependere à quantitate, vt dicemus in noſtra reſolutione, cęterum dicimus non pendere à quantitate actualiter informante. Quapropter falſum exiſtimamus id quod aſſerit prædicta ſententia, ſcilicet ſubſtantiam ſine quantitate actuali non habere partes ſubſtantialiter diſtinctas, benè autem poſt quantitatem.

tatem ; Nam ſi ſermo ſit de quantitate alio modo, nempè, per ordinem, vel radicem quantitatis, in hoc ſenſu non impugnatur à nobis talis modus dicendi.

701. Secundò replicatur. Nam quando dicitur quòd diſtinctio ſubſtantialis partium pendet ab ordinatione quantitatis, vt à conditione requiſita, vt talis diſtinctio in actum exeat, vel ſermo eſt de ordinatione actuali proueniente à quantitate actù informante, vel de ordinatione proueniente à quantitate, quam reſpicit ſubſtantia, vel connotat, vel ad quam ordinatur. Non poteſt intelligi de quantitate actuali, vt informante, nam hæc non requiritur etiam vt conditio, ad talem diſtinctionem ſubſtantialem: ergo intelligitur de ordine, ſeù reſpectu ad quantitatem, quod à nobis non negatur. Pr. mi. quia diſtinctio ſubſtantialis indiuiduorum prouenit ab ordine, ſeu reſpectu ad quantitatem, & quantitas, vt ſic reſpecta eſt conditio, vt concedit & docet idem Mag. Ioan. à Sancto Thoma dicta q. 9. de generatione art. 4. §. [quapropter] & in præſenti art. 1. §. [fundamentum] docet quòd ad idem principium pertinet ſignatio diſtincta partium, & indiuiduorum: ergo quantitas actualiter informans non erit conditio, vt exeat in actum talis diſtinctio ſubſtantialis partium. Igitur prædicta doctrina Mag. Ioan. à Sancto Thoma non fauet dicto ſecundo modo dicendi, ſi intelligatur de quantitate informante, in quo ſenſu à nobis impugnatur.

§. 3.

Reſoluitur difficultas.

702. PRo reſolutione veritatis ſit vnica concluſio. Subſtantia habet partes ſubſtantiales ſubſtantialiter diſtinctas ante quantitatem actualem, non autem ante ordinem, ſeù reſpectum ad quantitatem. Hæc concluſio, quò ad 1. part. aſtruitur contra aliquos Thomiſtas exiſtimantes ante quantitatem actù informantem nullam dari diſtinctionem indiuidualem ſubſtantiæ, ſiuè totalis, ſiuè partialis, quos referunt Patres Salmanticenſes, vbi ſupra dub. 3. & quoad 2. part. ponitur contra alios extra ſcholam D. Tho. qui diſtinctionem indiuidualem, ſiuè totalem, ſiuè partialem docent eſſe omninò independentem à quantitate, & ordine ad illam. Et quoad vtramquè partem admittitur à pluribus Thomiſtis, præcipuè ab illis, qui dicunt indiuiduationem totalem ſubſtantiæ prouenire ex ordine, vel reſpectu ad quantitatem. Et ita Mag. Ioan à S. Thom. docet in loco proximè relato eodem modo eſſe loquendum de diſtinctione ſubſtantiali indiuiduorum, & partium. Et antequam probetur noſtra concluſio notandum eſt, vt tollatur æquiuocatio, quòd quando dicimus ſubſtantiam habere partes ſubſtantiales, ly partes, non debet ſumi in rigore, prout dicit integritatem accidentalem, nam in hoc ſenſu pars formaliter accepta eſt de linea accidentis; & non inuenitur in linea ſubſtantiæ, ſed ſenſus eſt quòd

entitas ſubſtantiæ, quæ eſt ſub vna parte quantitatis, verbi gratia, ſub quantitate capitis eſt ſubſtantialiter diſtincta ab entitate ſubſtantiæ, quæ eſt ſub quantitate manus, v. g. vel pedis, ſi enim prędictæ entitates ſubſtantiæ ſunt ſubſtantialiter diſtinctæ, habemus intentum, ſiuè dicantur partes formaliter, ſiuè radicaliter, ſiuè in actù, ſiuè in potentia; nam hic modus loquendi parum conducit ad intentum, ſi ſemel oſtenditur illas entitates ſubſtantiæ realiter ſubſtantialiter eſſe diſtinctas. In quo ſenſu loquimur de partibus in impugnationibus aliorum modorum dicendi.

703. Hoc ſuppoſito pr. concluſ. contra Thomiſtas, qui ex vna parte docent ſubſtantiam totalem diſtingui ſubſtantialiter ab altera totali per ſolum ordinem, ſeù reſpectum ad quantitatem,& ex alia parte aſſerunt non diſtinctionem ſubſtantialē partialem ante quantitatem actualem. Et ſic proponitur ratio paritatis. Nam ſubſtantia totalis ante quantitatem actualem, per hoc præciſè quòd intelligatur, vt radix quantitatis, vel cum ordine, aut connotatione quantitatis, intelligitur totaliter ſubſtantialiter diſtincta à qualibet alia ſubſtantia totali: ergo ipſa ſubſtantia, vt radix partium quantitatis, vel cum ordine, aut connotatione quantitatis, habebit partes ſubſtantialiter partialiter diſtinctas. Antecedens ſupponitur. Et conſequentia probatur à paritate. Nam ſi quantitas totalis præhabita, vt in radice, in ſubſtanſtia totali, vel vt ab ipſa reſpecta, & connotata dat totalem ſubſtantialem diſtinctionem, non videtur ratio diſparitatis, vt ipſæ partes quantitates præhabitæ in entitate ſubſtantiæ, non cauſent diſtinctionem ſubſtantialem partialem.

704. Ad hanc rationem reſpondet Collegium diſcalc. loco ſupra citato de gnatione reddendo diſparitatem, quæ in eo conſiſtit quòd ſubſtantia totalis in tantùm indiuiduatur per radicem quantitatis, vel per ordinem ad quantitatem, in quantùm quantitas ex ſe habet partes eiuſdem rationis, ſeù ſolo numero diſtinctas, ac proinde ſe ſola eſt indiuidua, & in ordine ad illam ſubſtantiam indiuiduatur. Si autem ſubſtantia ex ſe haberet prædictas partes, iàm non indiuiduaretur per quantitatem radicalem, ſed ex ſe ipſa. Inſuper addit ſequi inconueniens ex eo quòd ſubſtantia habeat tales partes, nempè dari duo tota, ſcilicet ſubſtantiale phyſicum, & alterum entitatiuum conſtans ex prædictis partibus ſubſtantialibus, quod obſtat maximæ vnitati per ſe ſubſtantiæ. Et cum hoc nec aliud inconueniens ſequatur in alio caſu, ideò eſt diſpar ratio.

705. Contra hanc ſolutionem replicatur. Nam ex eo præciſè, quòd quantitas ex ſe habeat partes eiuſdem rationis, quæ ex ſe indiuiduantur, & diſtinguuntur, ſequitur quòd ipſa quantitas ſit primũ in genere indiuiduationis, & diſtinctionis partium: ſed ad hęc ſufficit quòd ſubſtantia ſit radix quantitatis, vel ad illam dicat ordinem: ergo diſparitas ruit. Maior. eſt doctrina contenta in ſolutione. Et mi. prob. inſiſtendo in eadem paritate. Nam licet quantitas ſit primum in genere diſtinguendi, & indiuiduandi ſubſtantiam totalem

tamen

Digitized by Google

tamen ad iſtum effectum præſtandum ſufficit radicalis præhabitio quantitatis in ſubſtantia, vel ordo iſtius ad illam: ergo licet quantitas ſit primum in genere indiuiduationis, & diſtinctionis partium, ſufficiet radicalis præhabitio partium quantitatis in ſubſtantia, in quo caſu ſubſtantia ex ſe ſola non habet partes ſubſtantialiter diſtinctas, ſed potiùs ipſa vt radix quantitatis, vel vt ad iſtam dicens ordinem. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam ſi ſubſtantia, vt radix partium quantitatis, vel vt ad iſtas dicens ordinem, habet partes ſubſtantialiter diſtinctas, vt à nobis ponuntur, non verificatur ſubſtantiam ex ſe habere prædictas partes, ſed potiùs à quantitate radicata vel reſpecta, ſicut indiuiduatio, & diſtinctio totalis prouenit à quantitate ſimili ratione: ergo falſum eſt dicere quòd ſi ſubſtantia ex ſe haberet partes, non poſſet indiuiduari à quantitate. Si enim ly, ex ſe, excluderet non ſolùm quantitatem actualem, ſed etiam radicalem: vel ordinem ad quantitatem, optimè id ſequeretur: at licèt ad effectum ponendi prædictas partes excludatur quātitas actualis, non tamen excluditur radix, ſeu ordo ad quantitatem: ergo optimè compatitur ſubſtantiam habere prædictas partes ante quantitatem actualem, & indiuiduari ab ipſa quantitate. Itaque in hoc dicendi modo, in omni indiuiduatione, primum eſt quantitas totalis ad totalem, & partialis ad partialem. Nec obſtat id, quod ibidem additur de illo inconuenienti, nam illud non ſequi conſtabit ex dicendis infra num. 618.

706. Sed inquires quid ſit in ſubſtantia eſſe radicem quantitatis, vel dicere ordinem ad quantitatem, vt inde videamus per quid ſubſtantia ſit totaliter diſtincta, & partes illius partialiter diſtinctæ. Reſpondeo huius explicationem ad iſtum locum non attinere, ſed ad libros de generatione, vbi explicatur quid ſit materia ſignata quantitate, quam docuit D. Thomas eſſe principium indiuiduationis ſubſtantialis: Et in præſenti, quia præcipua controuerſia eſt cum Thomiſtis, & præcipuè cum illis, qui docent per materiam ſignatam quantitate non intelligi materiam cum quātitate actuali, eo quòd ante iſtam eſt alia ſignatio, ideo quidquid hæc ſignatio ſit, ſi tamen eſt ante quantitatem actualem, inde ſumo argumentum, & à paritate, & ratione, vt probem idem dicendum eſſe de principio indiuiduationis, & diſtinctionis partium ſubſtantiæ. Nihilominus aliqua dicam infra nu. 622. veniamus ergo ad argumenta.

§. 4.

Proponuntur argumēta, & ſoluuntur.

707. CONtra concluſionem aſſerentem dari partes ſubſtantialiter diſtinctas, ſolent opponi plura argumenta ad probandum, ante quantitatem nō poſſe inueniri partes formaliter, ſed

ſed ad hæc omnia reſpondetur ex dictis ſupra.n.612. ideoque illis relictis,arguitur.1. cōtra noſtrā reſolutionem. Nam ante quantitatem nulla poteſt dari compoſitio partium: ergo nulla poteſt dari diſtinctio.Probatur antecedens. Nam talis compoſitio eſſe accidentalis: ergo non datur in ſubſtantia ante quātitatem actualem talis compoſitio partium.Probatur antecedens.Nam talis compoſitio non fit ex actu, & potentia ſimpliciter, cum vna pars non conſtituat aliam aut det illi eſſe,aut recipiatur in ea,nequè ſint inter ſe primò diuerſæ,ſed eiuſdem rationis, ergo eſt compoſitio accidentalis. Confirmatur, & vrgetur ratione,quam affert Colleg.diſcalc. q.3. de gñatione nu.41 Nam ſi ſubſtantia haberet partes ſubſtantiales ſubſtantialiter diſtinctas, non eſſet vnum per ſe in genere ſubſtantiæ: ſed hoc eſt maximum inconueniens, ergo,&c.Pr:ſequela maioris. Quia in tali caſu eſſent duo tota ſubſtantialia,primum conſtans ex materia, & forma ſubſtantiali, quod dicitur totum phyſicum, & aliud conſtans ex partibus prædictis ſubſtantialibus, quod dicitur totum entitatiuū: ſed ex duobus totis cōpletis ſubſtantialibus nō poteſt fieri vnū per ſe: ſiquidem quod aduenit toti completo ſubſtantiali, aduenit illi accidentaliter: ergo ſi ſubſtantia haberet partes ſubſtantiales, non eſſet vnum per ſe in genere ſubſtantiæ: quod eſſe maximum abſurdum nullus negabit. Nec valet ſi dicas prædicta duo tota diſtingui ſola ratione, ac proinde poſſe conſtituere vnū per ſe in genere ſubſtantiæ. Non,inquam,valet. Nam ſi prædictæ partes ſubſtantiales aſſignantur in ſubſtantia,debent diſtingui realiter a partibus phyſicis.ſ.a materia,& forma: ergo totum reſultans ex illis partibus diſtinguitur realiter à toto reſultante ex iſtis: patet conſequentia.Nam tunc tota diſtinguūtur realiter, quando partes conſtituentes ipſa diſtinguuntur realiter: ergo ſi partes huius diſtinguuntur realiter à partibus alterius, ipſa tota etiam realiter diſtiuguuntur.

708. Ad hoc argumentum reſpondeo negando añs. Ad eius probationem negatur añs. Et ad eius probationem reſpondeo ad compoſitionem ſubſtantialem ſufficere, quod partes ſint in genere ſubſtantiæ, & vnio etiam ſit ſubſtantialis, & iuxta diuerſum modum partium, & vnionis, diuerſificantur compoſita:cum igitur partes componentes, & vnio earum ſint in genere ſubſtantiæ, hinc eſt compoſitionem eſſe ſubſtantialem, & compoſitum eſſe ſubſtantiale, quòd autem vna pars ſe habeat,vt actu,& vt conſtituens, & altera vt potentia, & conſtituta pertinet ad ſpecialem modum cōpoſitionis ſubſtantialis, non autem requiritur ad omnem. Ad confirmationem benè dictum eſt prædicta tota non diſtingui realiter, ſed ſola ratione. Etenim entitas materiæ, & entitas formæ cum vnione ſunt ipſæ entitates reales, quæ à nobis dicuntur partes ſubſtantiales, & iſtæ ſunt ipſæ materia, & forma,in quo ſola diſtinctio rationis interuenit, quatenus illud idem realiter totum conſideratur vt compoſitum ex materia,& forma,& ſic dicitur totum Phyſicum, & conſideratur vt compoſitum ex alijs partibus ſubſtantialibus entitatiuis, & dicitur totum entitatiuum. Ad impugnationem ibi poſitam reſpondeo quòd ſi partes vnius accipiantur ſimul ſumptæ non diſtin-

Digitized by Google

diſtinguuntur realiter à partibus alterius etiam ſimul acceptis, vt dictum eſt, & ſufficit, vt tota reſultantia non diſtinguantur realiter, quidquid ſit de comparatione vnius partis ad totum, verbi gratia, Si comparatur caput cum materia prima diſtinguitur realiter ab illa, & etiam à forma, diſtinctione reali includentis ab incluſo, & ſi comparentur aliæ partes, verbi gratia, caput, manus, brachium, pes, & aliæ ſimul ſumptæ non diſtinguuntur à materia, & forma, ſed ſunt realiter idem. Quapropter dicendum eſt prædictam partium diſtinctionem non obſtare quominus ipſa ſubſtantia ſit totum per ſe in linea ſubſtantiæ.

709. Arguitur 2. principaliter ex eodem Collegio diſcalceiato vbi ſupra n 40. Nam materia prima ſecundum ſe, & intrà propriam lineam materiæ non habet diſtinctionẽ ſpecificam, vel numericam poſitiuam: ergo ex ſe, & intra propriam lineam non habet partes diſtinctas ſubſtantialiter. Antecedens ſupponit probatum ex dictis in Phyloſophia circa diſtinctionem materiæ. Et conſequentia pr. Quia ſi prædictam partium diſtinctionem haberet ex ſe, & intra propriam lineam materiæ, eſſet vna numero poſitiuè, & haberet vnde diſtingueretur numericè poſitiuè. Et ratio huius eſt nam ideo quantitas, à ſe ipſa poſitiuè indiuiduatur, & ſubſtantia indiuiduatur per ordinem ad quantitatem, vel vt eſt radix certæ quantitatis, quia ex ſe, & ex proprijs meritis quantitas habet partes eiuſdem rationis, ac proinde ex ſe numericè diſtinctas: ergo ſi materia ex ſe, & intra propriam lineam habet partes diſtinctas, & eiuſdem rationis etiam ex ſe indiuiduaretur poſitiuè, & ex ſe eſſet vna numero poſitiuè, & non per ordinem ad quantitatem; quin potius in hoc caſu quantitas indiuiduaretur per ſubſtantiam ſiquidem tunc priùs haberet partes eiuſdem rationis, quàm quantitas ipſa. Confirmatur hoc. 1. ex eodem Collegio loco relato ex logica num. 32. quia materia prima hominis, remota quantitate .1. eſt ſimplex, vel compoſita. Si eſt ſimplex, erit indiuiſibilis. Si compoſita, aut prima compoſitione, aut ſecunda. Non prima, nam hæc fit ex potentia, & actu ſimpliciter, vt dicitur lib. 8. metaph. text. 8. materia autem eſt pura potentia. Non etiam ſecunda, quæ eſt ex ſubiecto, & accidenti: quia vbi non eſt prima cõpoſitio, non poteſt eſſe ſecunda: ergo materia prima verè eſt indiuiſibilis remota quantitate, Confirmatur 2. Nam ſi materia prima componeretur ex illis partibus, neceſſariò eſſet ibi diſtinctio partium, ſed hæc eſt impoſſibilis, ergo, &c. Pr. mi. Nam vbi eſt diſtinctio vnius ab alio, neceſſariò interuenit aliquis actus: ſiquidem (actus eſt qui diſtinguit) ex lib. 7. metaph. text. 49. ſed in materia ſecundùm ſe nullus eſt actus, cum ſit pura potentia: ergo ibi non poteſt eſſe diſtinctio partium.

710. Ad hoc argumentum, admiſſo antecedenti, negatur cõa: ad cuius probationem dico quòd quando dicitur materiam ex ſe habere partes, & intra propriam lineam, ſolùm excluditur quantitas actualis, vt præbeat tales partes, non autem excluditur ordo ad quantitatem, vel radix iſtius, ac proinde materia, vt dicens ordinem ad quantitatem, vel vt radix quantitatis eſt

Digitized by Google

eſt vna numero poſitiuè. Si autem ex ſe haberet partes ſine reſpectu, vel dependentia ab alio, ſicut quantitas habet ſuas, tunc aliquid probaret argumentum. Ad confirm. 1. reſpondeo materiam eſse compoſitam ex prædictis partibus. Quæ compoſitio poteſt dici prima, quatenus eſt de linea ſubſtantiæ, non tamen in rigore prima, quia hæc conſtare debet ex potentia, & actu, & ſimiliter ſecunda, atquè adeò poteſt abſolutè dici non eſse primam, aut ſecundam, eſse tamen ſubſtantialem entitatiuam, nec requiri ad iſtam quòd vna pars ſe habeat, vt potentia, & altera, vt actus, vt conſtat in compoſitione partium quantitatis, quæ ſubiectatur in illa. Ad confirm. 2. reſpondeo eſse diſtinctionem inter illas partes, quæ diſtinctio deſumitur ex ordine materiæ ad quantitatem, & ſicut ipſa materia per ordinem ad formam diſtinguitur ſpecie ab alia materia, ita per ordinem ad quantitatem diſtinguitur numericè ab alia, & tandem per ordinem ad diuerſas partes quantitatis habet diuerſas partes ſubſtantiales. Diſtinctio enim prouenit ab actu, vel in ordine ad actum, & ſic debet intelligi illa propoſitio. Quapropter materia prima, etiam ſi ſit pura potentia, quia tamen dicit ordinem ad actum modo dicto, poteſt in ſe habere diſtinctionem.

711. Arguitur 3. Contra noſtrum ſpecialem modum dicendi. Nam quælibet res diſtinguitur ab alia per ſuam entitatem, ad quam ſequitur ſua vnitas, & diuiſio: eſt enim vnaquæquè res per ſe ipſam ens, vnum, &c. ergo abſquè fundamento recurritur ad quantitatem, vt prædictæ partes materiæ ſint ſubſtantialiter diſtinctæ: antecedens ſupponitur. Et conſequentia probatur. Nam quando dicimus, materia, vt dicens ordinem, vel vt radix quantitatis, talis ordo, vel radix aliquid addit ſupra entitatem materiæ, vel nihil addit, ſi hoc, 2. dicatur, iàm materia per ſuam entitatem habebit partes, & ordo, vel radix quantitatis ad nihil deſeruit. Si autem aliquid addit, explicandum eſt quid eſt hoc, nam vel eſt aliquid accidentale, & hoc non poteſt conducere ad diſtinctionem ſubſtantialem, vel eſt aliquid ſubſtantiale, & hoc non poteſt deſumi à quantitate, quæ eſt accidens: ergo ſi vna quæquè res per ſuam entitatem diſtinguitur, abſquè fundamento aſtruitur talis ordo, vel radix quantitatis ad dandam prædictá partiú diſtinctionem ſubſtantialem. Plura alia poterant obiici, quæ omituntur, quia ad alium locum ſpectant.

712 Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinctionem prouenire ab entitate vniuscuiuſquè, non tamen excludere reſpectum, vel ordinem ad aliquid extrinſecum, quapropter materia prima, & totum ſubſtantiale diſtinguuntur per ſuas entitates, quæ ordinantur ad aliquid extrinſecum, ex cuius ordinatione cauſatur in illis prædicta diſtinctio. Quid autem ſit in materia eſſe radicem quantitatis, vel dicere ordinem ad quantitatem, diuerſimodè à Thomiſtis explicatur, quod paucis præſtringam, relictis variis modis à Thomiſtis traditis. Etenim per materiam, vt radicem quantitatis, non intelligo materiam nudè ſumptam antè omnem gradum formæ. Nam cum quantitas oriatur à forma ſubſtantiali ratione primi gradus corporeitatis

tatis

tatis, conſequens eſt, quòd materia, vt actuata per gradú corporeitatis, ſit radix à qua dimanet quantitas, ac proinde gradus ille corporeitatis, cú ſit ſubſtantialis poteſt dare ſubſtantialem diſtinctionem, ſi accipiatur ſecundùm ſe totum, dat totalem diſtinctionem, & ſi accipiatur partialiter, hoc eſt, quatenus eſt radix partium, dat diſtinctionem partialem.

713. Notanda eſt ad hoc intentum elegás doctrina D. Thomæ 1. p. q. 76. art. 6. vbi interrogat, an anima intellectiua vniatur corpori, mediátibus diſpoſitionibus accidentalibus. Et proponit argumentum 2.: Sic [diuerſæ formæ vnius ſpeciei requirunt diuerſas materiæ partes: diuerſæ autem partes non poſſunt intelligi niſi ſecundùm diuiſionem dimenſiuarum quantitatum: ergo oportet intelligere dimenſiones in materia ante formas ſubſtantiales, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei.] Ecce quomodo inquirit principiú diſtinctionis indiuidualis. Et reſpondet ſic [ad 2. dicendum, quod dimenſiones quantitatiuæ ſunt accidentia conſequentia corporeitaté, quæ toti materiæ conuenit. Vnde materia iam intellecta ſub corporeitate, & dimenſionibus poteſt intelligi, vt diſtincta in diuerſas partes, vt ſic accipiat diuerſas formas ſecundùm vlteriores perfectionis gradus.] Hęc D. Thomas, in quibus docet materiam ſub corporeitate ſubſtantiali præintelligi ad diſtinctionem ſubſtantialem materiæ in diuerſas partes; & quando ait intellecta ſub dimenſione, debet intelligi ſub dimenſione, vt connotata à gradu corporeitatis, à quo dimanat, vt à radice. Et hæc ſufficiant pro breui explicatione principij indiuiduationis, de quo alibi latè dicemus.

DVBIVM APPENDIX.

Quænam ſit mens D. Thomæ circa partes ſubſtantiæ.

714. Conſultò in fine huius Conferentiæ diſtuli explicationem mentis D. Thomæ, vt ex ipſius doctrina magis conſtet veritas, & probabilitas noſtræ ſententiæ. In primis Collegium diſcalc. in logica diſp. 3. quæſt. 3. num. 30. affert aliqua teſtimonia, in quibus D. Thomas claré videtur docere à quantitate actuali prouenire omnem diſtinctionem, & diuiſibilitatem. Nam lib. 4. contrag. cap. 65. ſic ait. [remota quantitate ſubſtantia omnis indiuiſibilis eſt, vt patet per Phyloſophum 1. Phyſic.] Item 1. par. quæſt. 50. artic. 2. ſic docet. [materiam autem diuidi in partes non conuenit, niſi ſecundùm quòd intelligitur ſub quantitate: qua remota remanet ſubſtantia indiuiſibilis, vt dicitur 1. Phyſicorum,] quod explicatiùs tradit quod lib. 9. quæſt. 4. artic. 1. dicens. [Impoſſibile eſt, quòd vna materia contrarias, & diſparatas formas recipiat, niſi ſecundum diuerſas partes. Diuerſitas autem partium non poteſt intelligi in materia, non intellecta diuiſione, neque diuiſio non intellecta dimenſione: quia ſubſtantia, quantitate ſublata, remanet indiuiſibilis, vt dicitur pri. Phyſi.] Quæ D. Thomæ teſtimonia adeò expreſſa ſunt, [ait dictum Colleg. diſcalc.] vt abſquè eius iniuria tergiuerſari non poſſint, aut ad alium ſenſum detorqueri.

Eandem doctrinam docet D. Tho. opuſc.70. quæſt.5. art.3. ad 3. cuius verba refert Mag. Ioan. à Sancto Thoma quæſt. 16. art. 1.

715. Inſuper prædictum Colleg. diſcalc. affert in fauorem ſuæ ſententiæ quoddam teſtimoniũ D.Tho. lib. 4. contrag. c. 67. vbi docet totã ſubſtantiam eſſe ſub tota quantitate, & totam ſub qualibet parte, & refert verba D. Thomæ in loco allegato de generat. Sic [alio autem modo ſe habet aliquid ſubſtantiale ad id, in quo eſt, & alio modo aliquid quantum. Nam quantum totum ita eſt in aliquo toto, quòd totum non eſt in parte, ſed pars in parte, ſicut totum in toto. Vnde & corpus naturale ſic eſt in toto loco totum, quod non eſt totum in qualibet parte; ſed partes corporis partibus loci aptantur, eo quòd eſt in loco mediantibus dimenſionibus. Si autem aliquod ſubſtantiale ſit in aliquo toto totum, etiam totum eſt in qualibet parte eius] Hæc D. Tho. ex quibus colligi videtur ipſum docere ſubſtantiam in ſua linea eſſe omninò indiuiſibilem. Et ſimilia docet 3. p. q. 76. art. 1. 3. & 4. explicans quomodo corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus panis, & vini, totum in toto, & totum in qualibet parte: cuius reddit rationem, quia eſt per modũ ſubſtantiæ, cuius eſt proprius prędictus modus eſſendi ſub quãtitate. Nec valet ſi dicas hoc teſtimoniũ ſic eſſe intelligendum, quod tota ſubſtantia, id eſt, tota natura, ſeù ſpecies illius ſit ſub qualibet parte, v. g. ſub qualibet parte aquæ eſt tota ſpecies, ſeù tota natura aquæ, nõ autem verificari poteſt de tota ſubſtantia pro totalitate illa conſtante ex partibus ſubſtantialibus. Non, inquam, valet. Nam inſurgit prædictum Collegium ſic. Quia in hoc quod tota ſubſtantia ſit ſub qualibet parte quantitatis aliquid proprium ſubſtantiæ aſſignat D. Tho. prout ſubſtantia diſtinguitur à quantitate. At in hoc quòd tota natura, & ſpecies ſubſtantiæ ſit ſub qualibet parte conuenit ſubſtantia cum quantitate: ſiquidem tota natura, & ſpecies quantitatis eſt ſub qualibet parte quantitatis: ergo vt D. Thomas aſſignet aliquem modum ſpecialem ſubſtantiæ diſtinctum à modo quantitatis, vt intendit aſſignare, non debet explicari de tota natura, vel ſpecie ſubſtantiæ.

716. His non obſtantibus tenenda eſt noſtra concluſio, vt conformior menti D. Thomæ. Et antequam adducam in fauorem illius aliqua teſtimonia: Noto 1. quòd prædicta teſtimonia adducta proximè num. 624. & plura alia, in quibus eandem doctrinã tradit D. Th. afferuntur ab illis Thomiſtis, qui defendunt quantitatem actualem pertinere ad principium indiuiduationis totalis, de hac enim totali indiuiduatione loquitur D. Thom. & P.P. Salmãticenſes diſcalc. tom. 1. in p.p. tract. 1. dub. 3. adducũt prędicta teſtimonia, & aſſerũt quòd D. Thomas in omnibus illis loquitur de quantitate pro radice, non autem de quantitate actuali. Itaq; dicunt, ad diuiſionem, vel diſtinctionem ſubſtantialem, non concurrit quantitas actualis, ſed ſufficit radix illius, & ad hoc intentum referunt aliqua teſtimonia D. Thomæ. Quapropter ad meum intentum dico illa teſtimonia, quæ tàm clara, & expreſſa videntur à Colleg. diſcalc. non tàm habere vim contra partes eiuſdem totalis ſubſtantiæ, quàm contra indiuiduationem, & diſtinctionem totalem

talem

talem vnius ſubſtantiæ ab alia, ac proinde ſi rectè explicantur à Patribus Salmanticenſibus de quantitate radicali præhabita in ſubſtantia, vt totalé diſtinctionem cauſet, ita dico, & explico eadem ſi intelligantur de partibus eiuſdem totalis ſubſtantiæ, nempè quòd partes quantitatis radicaliter præ habitę in ſubſtantia totali, cauſant diſtinctionem ſubſtantialem partium ſubſtantiæ. Et ſic manent explicata dicta teſtimonia.

717. Noto 2. quod D. Th. in loco allegato ex lib. 4. contrag. cap. 67. poſt verba iam relata ſic ſubdit. [Sicut tota natura, & ſpecies aquæ in qualibet parte aquæ eſt, & tota anima eſt in qualibet parte corporis.] quæ verba non refert prædictum collegium, ſed potius ea relinquens proſequitur teſtimonium D. Thomæ. Nec miror nam in his verbis clarè continetur ſolutio, & explicatio mentis D. Thomæ, quam impugnat. Igitur quando D. Tho. ait totam ſubſtantiam eſſe in toto, & totam in qualibet parte, ſic debet intelligi, vt ipſe expreſsè docet [ſicut tota natura, & ſpecies aquæ eſt ſub qualibet parte aquæ:] ergo loquitur de totalitate naturæ, ſeù ſpeciei ſubſtantiæ, vt dicebat ſolutio, & explicatio adducta. Ad huius impugnationem reſpondeo doctriná D. Thomæ ſic eſſe intelligendam ad intentum illius, quòd ſicut tota natura, & ſpecies ſubſtantiæ panis erat ſub tota quantitate, & tota ſub qualibet parte, ita corpus Chriſti ſuccedens ſubſtantiæ eſt totum in tota hoſtia, & totum ſub qualibet parte, nam ſequitur modum illum ſpecificum, quem ſeruabat ſubſtantia panis ſub ſua quantitate. Diuerſitas autem inter ſubſtantiam, & quantitatem in eo conſiſtit, quòd proprius modus eſſendi quantitatis ſub alio, v. g. quando corpus quantum eſt ſub loco, eſt per extenſionem localem, qua totum commenſuratur toti, & partes partibus: at ſubſtantia habet alium modum eſſendi iam aſſignatum, qui eſt ita proprius ſubſtantiæ, ſicut alter modus eſt proprius quantitatis, & in hoc ponit differentiam D. Thomas, & docet corpus Chriſti in Sacramento ſequi modum illum eſſendi ſubſtantiæ ſub aliquo, non autem modum eſſendi quanti ſub aliquo: qua doctrina manet ſufficienter explicata mens D. Thom. ex proprijs, & formalibus verbis illius.

718. In fauorem noſtræ ſententiæ poterant adduci omnia illa teſtimonia D. Thomæ, quibus Thomiſtę, & præcipuè Patres Salmanticenſes vbi ſupra dub. 3. probant quantitatem actualem non pertinere ad principium indiuiduationis totalis, eſt enim eadem ratio indiuiduationis totalis, & partium eiuſdem ſubſtantiæ, cum vtraquè ſit in genere ſubſtantiæ, vt iam dictum eſt. His autem relictis, eſt expræſſum teſtimonium D. Thomæ 1. 2. quæſt. 17. art. 4. in corpore. Vbi explicans quomodo aliqua poſſint eſſe multa ſecundùm quid, & ſecundùm quid vnum, docet aliqua eſſe ſecundum quid vnũ, & ſimpliciter multa, & aliqua è cõuerſo. Et ſubdit [Et ideò quęcunquè ſunt vnum ſecundum ſubſtantiã, ſunt vnum ſimpliciter, & multa ſecundùm quid. Sicut totum in genere ſubſtantiæ compoſitum ex ſuis partibus, vel integralibus, vel eſſentialibus, eſt vnum ſimpliciter: nam totum eſt ens, & ſubſtantia ſimpliciter: partes verò ſunt entia, & ſubſtantiæ in toto.] Quæ verba ſunt

Digitized by Google

ita clara, vt ponderatione non indigeant. Nihilominus pondero 1. quòd D. Thomas expreſsè docet in genere ſubſtantiæ dari totum compoſitum ex partibus integralibus: ergo tale totum compoſitum intelligitur ante quantitatem actualem, & partes illæ etiam ante quantitatem actualem: Patet hæc conſequentia. 1. quia totum genus ſubſtantiæ eſt ante quantitatem actualem. 2. quia tale totum eſt vnum ſimpliciter, & totum reſultans ex partibus integralibus conſtitutis per quantitatem eſt totum accidentale, & conſequenter totum ſecundùm quid. Pondero. 2. Quod D. Thomas ait quòd tales partes ſunt entia, & ſubſtantiæ in toto, ex quo infero poſſe abſolutè dici dari partes in genere ſubſtantiæ.

719. Reſpondet Colleg. diſcalciatum D. Thomam in hoc loco loqui iuxtà ſententiam probabilem aliorum, non autem iuxtà ſententiam propriam. Sed hæc reſponſio abſquè fundamento ponitur, & eodem pacto poteram dicere quòd doctrina ab ipſo collegio allata ex D. Thoma erat iuxtà probabilem ſententiam aliorum. Si igitur hic modus explicandi teſtimonia D. Thomæ admittitur, nullum erit firmum ad oſtendendam illius mentem. Si autem D. Thomas aliquando vtitur ſententijs aliorum, vel colligitur ex ipſo contextu, vel ipſe expreſsè fatetur, & neutrum inuenitur in teſtimonio à nobis adducto, qua propter non eſt immorandum in impugnatione prædictæ explicationis.

CONFERENTIA 3.

Vtrum primarius effectus quantitatis ſit extenſio partium in ordine ad ſe, & in quo conſiſtat talis extenſio.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

720. CVm plures effectus formales à quantitate proueniant, meritò dubitatur quis nam illorum ſit primarius, ideſt, quis ſit radix, ſeù origo, à qua cæteri dimanent, & quot ſunt effectus, tot ſunt ſententiæ. Prima ſententia docet primarium effectum quantitatis, in quo ſua eſſentia ſita eſt, eſſe rationem menſuræ. Secunda aſſerit eſſe extenſionem localem: Tertia eſſe diuiſibilitatem: Quarta affirmat eſſe extenſionem partium in ordine ad ſe, quæ antecedit extenſionem localem. Inſuper in explicanda hac extenſione in ordine ad ſe, adhuc eſt differentia. Nam aliqui dicunt quòd etiam ſi in ſubſtantia præſupponatur diſtinctio ſubſtantialis partium, quæ dici poteſt extenſio radicalis, tamen primarius effectus quantitatis eſt

Digitized by Google

tis eſt extenſio formalis partium, quæ conſiſtit in eo quòd vna pars ſit extra aliam, ideoquè in huiuſmodi extraneitate conſiſtit primarius effectus quantitatis. Ita Mag. Araujo lib. 5. quæſt. 3. tract. 1. dub. append. nu. 17. vbi prædictam partium extraneitatem vocat diſtantiam poſitiuam vnius partis ab alia. Alij vero hoc ipſum magis explicant dicentes, quòd vna pars dicitur extra aliam, non quia ſit ab ea pœnitùs ſeparata, ſed quia vnitur cum illa, non immediatè quoad totam ſuam entitatem, ſed inadęquatè, & mediatè quoad extremitatem, vel terminum vtriquè parti communem, v. g. caput non vnitur immediatè, quoad totam ſuam realitatem collo, ſed mediante ſua extremitate vnitur illi. Ita Magiſt. Serna Hiſpalenſis in logica diſp. 3. de 2. operat. ſect. 5. art. 2. Eandem doctrinam docuit Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma quæſt. 16. art. 1. §. [ſecundum principium] vbi ait, quòd extenſio partium in toto non eſt quæcunquè vnio earum inter ſe, ſed vnio pœnes extremitates tantùm, ita quòd non vniatur vna pars alteri ſe tota, ſed ſecundùm extremitatem. Et per hanc vnionem partium, ait, tolli confuſionem illorum, nam partes illæ prout ſic ordinantur, cum ante eſſent confuſæ, & non ordinatæ. Videatur etiam idem author ibidem in reſolutione articuli. Alij verò, qui exiſtimant ſubſtantiam eſſe omninò indiuiſibilem, & nullam diſtinctionem partium habere abſquè quantitate actuali, facilè ſe expediunt ab his.

§ 2.

Reſoluitur difficultas.

721. PRo reſolutione veritatis ſit prima concluſio. Sententia docens primarium effectum quantitatis eſſe extẽſionem partium in ordine ad ſe, tenenda eſt cũ cõmuni Thomiſtarum. Pr. 1. authoritate D. Thom Nam 1. p. q. 14. art. 12. ad 1. ait. [De ratione quantitatis eſt ordo partium.] Itẽ lib. 4. contrag cap. 65. ſic docet. [Poſitio, quæ eſt ordo partium in toto, in eius ratione includitur.] Et in 4. diſt. 10. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. ad 2 ſic ait. [quamuis non ſit accipere ordinem partium corporis Chriſti ſecundùm comparationẽ ad partes hoſtiæ, tamen eſt accipere ordinem ipſarum partium ad inuicem in corpore Chriſti ſecundũ propriã quantitatem] in quibus, & in alijs multis locis explicat rationem, ſeù eſſentiam quantitatis in tali ordine partium conſiſtere, qui ordo dicitur cõmuniter à Thomiſtis extenſio partium in ordine ad ſe, & habere partes extra partes: ergo iuxta mẽtem D. Tho. talis ordo, ſeù extenſio eſt primarius effectus quantitatis.

722. Prob. 2. ratione à priori. Nã effectus primarius debet conſtitui ille, qui aliũ non præſupponit, & ab illo cęteri omnes pendent, & in illo radicantur: ſed talis eſt prędicta extenſio partium in ordine ad ſe: ergo conſtituenda eſt, vt primarius effectus illius, maior eſt certa. Et probatur mi. Nam cæteri effectus quantitatis ſunt diuiſibilitas, extenſio localis, & ratio menſuræ: ſed iſti

præ-

Digitized by Google

præſupponunt extenſionem partium in ordine ad ſe,& ex illa oriuntur, nam quia quantitas præbet partes ſic extenſas, ſequitur quod præbeat diuiſibilitatem, ideſt, quòd in illas poſſit diuidi; & quia inter ſe partes ſunt extenſæ, poſſunt extendi in ordine ad locum, & tandem, quia in ſe habet partes, poteſt deſeruire, vt menſura aliorum: ergo prædicta extenſio in ordine ad ſe eſt id, quod primò intelligitur in quantitate, & à qua originantur cæteri effectus quantitatis. Et vrgetur hoc. Nam priùs partes quantitatis debent inter ſe comparari; quàm in ordine ad aliud extrinſecum; ſunt enim inter ſe ordinatæ, & vna extra aliam, vt iam dicemus, quæ ordinatio, & extraneitas non præſupponitur ante quantitatem: ergo in tali ordinatione partium, & extraneitate conſtitui debet eſſentia quantitatis,& primarius effectus illius. Antecedens eſt certum. Nam quælibet res priùs conſideratur in ſe, quam in ordine ad aliud extrinſecum. Et cõa prob. Nam id eſt eſſentia rei, ſeù primarius effectus alicuius formæ, quod prius intelligitur in re diſtinguens illam ab alio: ergo ſi partes quantitatis priùs conſiderantur inter ſe ordinatæ, & vna extra aliam, in quo diſtinguitur quantitas ab omni alio; talis ordinatio, ſeù extraneitas partium eſt eſſentia quantitatis, & primarius effectus illius. Quæ doctrina magis conſtabit ex iam dicendis. Tandem poterat probari noſtra concluſio impugnando aliorum ſententias; ſed quia de hoc ſatis dicunt Thomiſtæ, quibus nihil addendum reſtat, ſuperſedeo ab illorum impugnationibus. Videantur Mag. Araujo,& Colleg. diſcalc. in locis iam allegatis.

723. Secunda concluſio. Extenſio partium in ordine ad ſe conſiſtit in illa extraneitate partium, ratione cuius vna pars poſitiuè diſtat ab alia, quæ extraneitas, ſeù diſtantia poſitiua conſiſtit in eo, quòd vna pars vniatur alteri ſecundùm extremitatem. Hanc concluſionem docent Araujo, Serna,& Fr. Ioan. à S. Thoma relati iam num 630. & pr. Ex ipſis verbis D. Thomæ allegatis pro præcedenti concluſione, in quibus docet ordinem partium in toto eſſe eſſentiam quantitatis, qui ordo nihil aliud eſt, quàm prædicta vnio partium ſecundùm extremitates. Ratione autem probatur. Nam certum, quòd partes corporis inter ſe vniuntur non ſe totis, ſed ſecundùm extremitates, ita vt vna ſit extra alteram: ſed prædicta vnio partium non præſupponitur in ſubſtantia ante quantitatem, nec prouenire poteſt ab alio accidenti quam à quantitate: ergo talis extenſio partium in ordine ad ſe conſiſtit in tali ordine, ſeù vnione partium: Maior eſt certa. Et prob. mi Et quidem quòd prædicta vnio partium nõ proueniat ab alio accidenti, conſtans eſt, & à nullo negabitur. Quod autem non præſupponatur in ſubſtantia, probatur. Nam quamuis ſubſtantia habeat partes ſubſtantiales diſtinctas ſubſtantialiter, vt dictum eſt conferent 2. tamen iſtæ partes ſe totis vniuntur, & inter ſe ordinẽ non habent, ita vt vna ſi poſitiuè extra aliam: ergo talis ordo, ſeù vnio partium non præſupponitur in ſubſtantia antè quantitatem. Pr. antecedens. Nam partes inter ſe habere ordinem, & vniri non ſe totis, ſed ſecundùm extremitates, eſt id, à quo immediatè, & neceſſariò prouenit impenetrabilitas partium;

Digitized by Google

partium; nam ex eo, quòd partes ſint vnitæ ſecundùm extremitates ſequitur neceſſariò, & immediatè vnam eſſe extra aliam, & conſequenter excluditur intraneitas, vt ſic dicam, ex hac autem extraneitate ſequitur immediatè impenetrabilitas, ſicut etiam penetrabilitas ex intraneitate: ſed in ſubſtantia non inuenitur in ſua linea aliquid, ex quo immediatè, & neceſſariò ſequatur impenetrabilitas, cum hæc pertineat ad lineam quantitatis: ergo in partibus ſubſtantiæ in ſua linea non inuenitur talis ordo partium, ita, vt vniantur ſecundùm extremitates, ſed ipſæ ſe totis vniuntur. Itaquè in linea ſubſtantiæ vna pars realiter non eſt alia, v. g. entitas ſubſtantialis capitis non eſt entitas ſubſtantialis pedis, & idcircò habet ſubſtantiales partes. Cœterùm vna pars ſubſtantiæ ſe tota eſt vnita alteri parti ante quantitatem, & ideo ait Mag. Ioan. à Sancto Thom. illas partes eſſe confuſas, & indiſtinctas, & per quantitatem tolli talem confuſionem, & partes diſtingui, ſeù ordinari inter ſe.

724. Et notandum eſt ex eodem diſtinctionem opponi vnitati, & confuſioni, & illam prout oppoſitam vnitati non prouenire à quantitate, ſed prout oppoſitam confuſioni, ac proinde in hoc ſenſu debere intelligi partes ſubſtantiæ diſtingui per quantitatem, quatenus illarum confuſio tollitur. Ex qua doctrina ſequitur quomodò rectè cohæreat ſubſtantiam habere partes ſubſtantialiter diſtinctas, & ſimul quantitatem præbere extenſionem partium in ordine ad ſe, in ſenſu explicato. Quapropter illa diſtinctio partium ſubſtantialis nō eſt dicenda propriè diuiſió, ſeù extenſio ſubſtantialis, nam eſt implicatio in terminis, eo quòd diuiſio, ſeù extenſio eſt de linea accidentis, ideoquè non debet appellari ſubſtantialis, quaſi in linea ſubſtantiæ inueniatur diuiſio, aut extenſio aliqua. Inuenitur enim diſtinctio, quæ eſt radix, ſeù fundamentum extenſionis, ſeù diuiſionis, & ſic talis diſtinctio poteſt dici extenſio, ſeù diuiſio cum addito, nempè radicalis, ſeù fundamentalis, ſed meliùs eſt illam vocare diſtinctionem, & non extenſionem, ſeù diuiſionem, hæc autem doctrina magis explicabitur in ſequentibus.

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

725. Contra primam concluſionem ſunt aliqua argumenta, quæ adducunt, & ſoluunt Thomiſtæ iam relati, & illis ommiſſis. Arguitur 1. contra talem concluſionem. Nam ſubſtantia ex ſe, & in ſua linea habet extenſionem partium in ordine ad ſe: ergo iſta non prouenit à quantitate. Probatur antecedens. Nam ſubſtantia ante quantitatem habet partes ſubſtantiales realiter diſtinctas, vt dictum eſt conferentia 2.: Ergo habet extenſionem partium in ordine ad ſe: Probatur conſequentia. Nam partes ſic diſtinctæ ita inter ſe comparantur, vt vna non ſit alia: ſed hoc ſufficit ad extenſionem partium in ordine ad ſe: ergo ſi ante quantitatem partes illæ ſunt diſtinctæ, & vna non eſt alia, datur extenſio partium in ordine ad ſe ante quātitatem. Nec valet ſi dicas ex tali

diſtin-

Digitized by Google

diſtinctione ſubſtantiali ſolùm ſequi extenſionem radicalem, ſeù fundamentalem. Non, inquam, valet. Nam ſi intelligitur formaliter diſtinctio ſubſtantialis, & partes ſunt formaliter ſubſtantialiter diſtinctæ, non videtur deficere aliquid quominus ſit etiam formalis extenſio, ſeù diuiſio, vel dicatur quid addit iſta formalis extenſio. Et vrgetur hoc. Nam ſaltim ex diſtinctione ſubſtantiali partium ſequetur extenſio ſubſtantialis, ſiquidem ex diſtinctione accidentali partium ſequitur extenſio accidentalis: ergo ſaltim in linea ſubſtantiæ erit talis extenſio ſubſtátialis: ergo ſuperfluit alia extenſio accidentalis: patet hæc conſequentia. Nam quando aliquis effectus formalis pertinet ad lineam ſubſtátiæ, ſuperfluè ponitur alius in linea accidentis; ergo ſi admittitur in linea ſubſtantiæ extenſio, ſuperfluè ponitur alia extenſio quantitatiua in linea accidentis.

726. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens. Ad cuius probationem dico ex diſtinctione ſola non ſequi extenſionem. Nam extenſio ſupra diſtinctionem partium, addit ordinem illarum, qui conſiſtit in eo, quòd partes ſint vnitę ſecundum extremitates, & non ſe totis, vt dictum eſt, & ideo dicuntur partes extra partes, & huiuſmodi ordo, & vnio partium eſt formaliſſimè extenſio partium in ordine ad ſe, in qua conſiſtit primarius, & eſſentialis effectus quantitatis præſupponens diſtinctionem partium ſubſtantialem. Hæc autem diſtinctio dicitur ab aliquibus extenſio, ſeù diuiſio radicalis, ſeù fundamentalis, eo quod eſt radix, ſeù fundamentum extenſionis, & diuiſionis quantitatiuæ: ſed hoc parùm refert ad rem, & ſolùm poteſt eſſe quæſtio de nomine. Nam, vt dictum eſt, extenſio propriè accepta addit ſupra diſtinctionem aliquid pertinens ad lineam accidentis, ideoquè ex diſtinctione ſubſtantiali partium non ſequitur extenſio ſubſtantialis, & ex diſtinctione accidentali facta per quantitatem ſequitur extenſio. Ex quo patet ad impugnationem ſolutionis ibi poſitæ, & ad rationem qua impugnatio vrgebatur.

727. Arguitur 2. & poteſt eſſe replica præcedentis ſolutionis. Nam ſubſtantia antè quantitatem habet partes ſubſtantiales, & ſubſtantialiter vnitas per vnionem ſubſtantialem, quæ in ſuo ordine eſt indiuiſibilis, ſicut vnio partium quantitatis: ergo non ſolùm habet partes diſtinctas ſubſtantialiter, ſed etiam ordinatas, & non confuſas. Patet conſequentia. Nam ordo conſiſtit in vnione vnius partis cum alia ſecundum extremitates, ratione cuius tollitur confuſio. Et antecedens pr. 1. quia ex illis partibus reſultat totum ſubſtantiale compoſitum in genere ſubſtantiæ, vt dicebamus ex D. Thom. ſupra nu. 624. Sed totum non reſultat ex partibus, niſi inter ſe vnitis: ergo ſi in genere ſubſtantiæ dantur partes diſtinctæ, debet dari vnio ſubſtantialis illarum, quæ diuiſibilis non poteſt eſſe, aliàs illa haberet partes vnitas, & ſic procederetur in infinitum, qua ratione ponuntur vniones indiuiſibiles in genere quantitatis, quæ vocantur indiuiſibilia continuatiua, vt dicitur in lib. 6. Phyſicorum, & conſequenter talis vnio indiuiſibilis erit vniens partes non ſe totis, ſed ſecundùm extremitates. Probatur 2. antecedens. Nam quantitas non ſolùm

habet partes, ſed etiam indiuiſibilia, quibus partes vniuntur: ergo in ſubſtantia non ſolùm inueniuntur partes, ſed etiam indiuiſibilia ſubſtantialia, quibus ipſæ partes vniantur. Antecedens eſt certum: & conſequentia pr. Nam quãtitas ſubiectatur in ſubſtantia, ita vt tota quantitas ſit in tota ſubſtantia, & partes quantitatis in partibus ſubſtantiæ: ſed indiuiſibilia quantitatis non poſſunt ſubiectari in partibus ſubſtantiæ, ſiquidèm in his ſubiectantur partes quantitatis: ergo admittenda ſunt in ſubſtantia alia indiuiſibilia, in quibus ſubiectentur indiuiſibilia quantitatis. Explicatur hoc. Indiuiſibilia quantitatis continuatiua vniunt partes illius ſecundùm extremitates, ideoq; ſunt indiuiſibilia: ergo ſi in ſubſtantia admittuntur indiuiſibilia, vt partes vniantur, neceſſum eſt talia indiuiſibilia vnire partes ſecundùm extremitates, & non ſe totis, ſiquidem indiuiſibilia ſunt, & non poſſunt tangere partem diuiſibilem ſecundùm ſe totam.

728. Reſpondet Magiſt. Ioan. a Sancto Thoma dicta queſt. 16 art. 1. §. [Secundum principium] in fine quòd ſubſtantia non habet indiuiſibilia ſubſtantialia, & poſtea in ſolutione confirmationis argumenti 2. ait quòd illa vnio ſubſtantialis partium non poteſt fieri independenter a quantitate, tanquàm a conditione requiſita ad ordinationem, & deſignationem partium, qua deſignatione ſuppoſita, etiam ipſa ſubſtantia partium vnitur, ſicut etiam in ſententia D. Thomæ materia ſignata quantitate, vt conditione requiſita, eſt principium indiuiduationis ſubſtantialis, ſine deſignatione enim materia potiùs eſt principium confundendi, quàm diuidendi, & indiuiduandi. Sic etiam ſubſtantia ſine quantitate, cum non ſupponat ordinationem partium, non poteſt inter illas, vt ordinatas, exercere ſubſtantialem vnionem.

729. Hæc autem doctrina, & ſolutio explicatione indiget, & in primis non admitto quantitatem actualem requiri, nec vt conditionem, ad diſtinctionem ſubſtantialẽ indiuidualem, niſi in ſenſu ſupra explicato de quantitate, vt connotata, ſeù reſpecta a ſubſtantia, vt a radice, ac proinde hac ſententia ſuppoſita, vt in præſenti ſuppono, conſequenter loquendo dicendum eſt ad diſtinctionem ſubſtantialem partium non concurrere, etiam, vt conditionem, quantitatem actualem, & multò minùs ad vnionem ſubſtantialem. Secundò obijcio. Nam vnio illa partium ſubſtantialis eſt, & totum reſultans compoſitum eſt in genere ſubſtantiæ: ergo in eodem genere ſubſtantiæ erit totum, quod requiritur ad talem compoſitionem, & vnionem: ergo ibi non ſolùm reperiuntur partes ſubſtantiales, ſed etiam vnio ſubſtantialis: ad compoſitionem enim vtrumquè requiritur, & partes, & vnio, atque adeò ad compoſitionem in genere ſubſtantiæ requiruntur, & partes ſubſtantiales, & vnio ſubſtantialis. Tertiò. Nam quantitas requiritur ſolùm, vt conditio ad exercendam ſubſtantialem vnionem, vt dicitur in ſolutione: ergo quantitas non eſt ipſa formalis vnio partium: Patet conſequentia. Nam conditio requiſita ad aliquem effectum non eſt ipſa formalis ratio: ergo

 ſi quan-

Digitized by Google

ſi quantitas, eſt ſola conditio, vt exerceatur vnio ſubſtantialis, non eſt id, à quo formaliter ſit talis vnio. Quartò. Nam non videtur conſequens ad doctrinam prædicti Magiſtri, dicere quòd quantitas eſt conditio requiſita ad ordinationem, & deſignationem partium. Siquidem huiuſmodi ordinatio eſt effectus formalis ipſius quantitatis, vt ipſe fatetur, & eſt fundamentũ ſuæ ſententiæ. Et tunc fit argumentum. Nam quantitas ſolùm deſeruit ad ordinandas partes, & ad tollendam illarum confuſionem, non autem ad diſtinguendas illas ſubſtantialiter, nam, vt idem Magiſter fatetur, diſtinctio prout opponitur vnitati non prouenit à quantitate, ſed ſola diſtinctio, prout opponitur confuſioni; ergo illud vnũ ſubſtantiale reſultans ex partibus diſtinctis, & ſi confuſis, eſt independens à quantitate, etiã, vt à conditione. Et adhuc dato dependere à quantitate, vt à conditione, neceſsũ eſt ponere in linea ſubſtantiæ totum, quod requiritur ad illud compoſitum, & hoc eſt habere partes, & vnionem in illo genere.

730. Explicatur, & confirmatur hoc. Nam poſita quantitate, vel partes ſubſtantiæ vniuntur inter ſe ſola vnione prouenientè à quantitate, vel altera vnione ſubſtantiali, quæ reſultat in partibus. Primum non poteſt dici. Nam totum reſultans non erit totum ſubſtantiale, ſiquidem partes non vniuntur ſubſtantialiter, ſed accidentaliter, quod falſum eſt, quia in eo ordine, in quo ſunt partes, & totum, debet eſſe vnio, quæ eſt cauſalitas partium, ac proinde ſi partes ſunt in genere ſubſtantiæ, & etiam totum, neceſſum eſt vnionem eſſe formaliter ſubſtantialem. Secundum autem non concedit idẽ Magiſter, cum abſolutè neget omnia indiuiſibilia ſubſtantialia; quòd ſi id admittat, ſequitur inconueniens, quod intendit euitare: nam tunc partes ſubſtãtiales habebunt totum, quod requiritur, vt ex illis ſequatur impenetratio, nã ſunt inter ſe ſubſtantialiter vnitæ, & ideo vna extra aliam, & ſicut ad huiuſmodi vnionem quantitas eſt ſola conditio requiſita, etiam erit ſola conditio ad impenetrabilitatem ſequutam ex tali vnione, hoc autem dici non poteſt, cum impenetrabilitas ſit proprius effectus quantitatis: ergo reſtat explicare quomodo reſultet totum ſubſtantiale, & non inueniantur indiuiſibilia ſubſtantialia inter partes ſubſtantiales, quas eſſe diſtinctas fatetur idem Magiſter.

731. Ad hoc argumentum, quod difficile eſt in hac parte, reſpondendum eſt tàm in opinione aſtruente indiuiſibilia ſubſtantialia, quàm in contraria negante illa, quamuis P. Rubio lib. 6. Phyſi. q. 1. dub. 4. aſſerat quòd iuxta opinionem noſtram ponentem partes diſtinctas in ſubſtantia, neceſſariò admittenda ſint prædicta indiuiſibilia ſubſtantialia, vt ex illis, & partibus poſſit reſultare totum compoſitum ſubſtantiale. Nihilominus exiſtimo poſſe ſaluari partes ſubſtantiales ſine illis indiuiſibilibus, & his ablatis argumentum principale non habet vim. Nã tunc dicendum eſt partes ſubſtantiales nõ eſſe poſitiuè vnitas, ſeù ordinatas, ſed tantùm negatiuè, & à quantitate accipere prædictam vnionem. At tunc reſtat non parua difficultas tacta in eodem argumento: quomodo reſultat totum compoſitum ſubſtantiale, ſi partes non ſunt ſubſtantialiter vnitæ. Cui reſpondeo, quòd

quòd ad compoſitionem illam partium non requiritur adeſſe poſitiuam vnionem, ſeù ordinationem, ſed ſufficere coniunctionem illarum modo confuſo, & indeterminatè, & quòd hæc confuſio, ſeù indeterminatio expectet aliud, per quod auferatur. Et ratio huius eſt. Nam compoſitio ſubſtantialis in ſuo genere ſiſtens dicit partes eſſe cõfuſas, & non vnam alteri determinatè eſſe vnitam, ſed omnes eſſe coniunctas, & ſimul inter ſe confuſas, ac proinde compatitur eſſe in illo genere compoſitionem partium abſq; vnione illarum per indiuiſibilia; Et ita diſtingui debet illa propoſitio, in qua eſt tota difficultas: Non poteſt reſultare totum compoſitum ex partibus, niſi ſint vnitæ. Si tales partes ſint in toto compoſito abſque confuſione illarum, concedo. Si ſint in compoſito confuſè, & indiſtinctæ, nego. Et ad confirmationem reſpondeo ſubiectum illorum indiuiſibilium quantitatis eſſe ipſas partes quantitatis inadæquatè acceptas, & ſicut iſtæ ſubiectantur in partibus ſubſtantiæ, ita & prædicta indiuiſibilia.

732. Suppoſita ſententia admittente indiuiſibilia ſubſtantialia, eſt maior difficultas in ſoluendo argumento principali, nam iam videtur partes eſſe vnitas, & ordinatas, ac proinde non prouenire à quantitate talem vnionem, & ordinationem partium, vt dictum eſt à nobis. At non obſtat talis difficultas. Nam indiuiſibilia ſunt in ſubſtantia modo confuſó, ſicut ſunt ipſæ partes: & prædicta indiuiſibilia non vniunt partes ſecundùm extremitates, ſed potiùs ſe totis. Et ratio differentię eſt inter indiuiſibilia ſubſtantiæ, & indiuiſibilia quantitatis. Nam hęc ſunt poſitiuè indiuiſibilia, & vniunt partes poſitiuè diuiſibiles, ac proinde non poſſunt vniri ſe totis partes diuiſibiles, ſiquidem quod poſitiuè eſt indiuiſibile non poteſt tangere, ſeù quaſi tangere totum, quod diuiſibile eſt, ideoquè vnit partem non ſe tota, ſed ſecundum extremitates, & ratione illius dicitur vna pars extra aliam. Indiuiſibilia autem ſubſtantiæ ſunt negatiuè indiuiſibilia, & partes etiam negatiuè diuiſibiles: ſiquidem poſitiua indiuiſibilitas, vel diuiſibilitas poſitiua eſt de linea quantitatis, & ideò partes illæ, & indiuiſibilia ſe totis vniuntur, & ſunt in toto, modo quodam confuſo, & indiſtincto. Quæ confuſio tollitur per quantitatem ordinantem, & vnientem partes illas determinatè, ita vt vna ratione extremitatis vniatur alteri, & ſit extra alteram. Ex quó conſtat non ſequi ſubſtantiam ex ſe habere impenetrabilitatem, ſi talia indiuiſibilia habeat, nam impenetrabilitas oritur ex vnione partium ſecundum extremitates, & hæc prouenit à quantitate, vt dictum eſt. Quid autem dicendum ſit de veritate talium indiuiſibilium, non eſt huius loci, ſufficiat pro nunc dicere noſtram ſententiam, & modum dicendi, & explicandi effectum primarium quantitatis non dependere ab exiſtentia, vel non exiſtentia indiuiſibilium ſubſtantialium.

CONFERENTIA 4.

An relatio diſtinguatur realiter à ſuo fundamento.

§. 1.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

733. SVppono ea, quę ſupra num. 130. & noto in præſenti fieri ſermonẽ non de relatione tranſcendentali, ſed de prædicamentali, & de hac inquirimus an diſtinguatur realiter à ſuo fundamento. Inſuper aduerto relationem cõſiſtere in denominatione quadam intrinſeca fundamenti in ordine ad terminum, & non eſſe ſolam extrinſecam denominationem, vt dixerunt aliqui antiqui, contra quos eſt cõis ſententia Peripatetica. Deinde in memoriã reuoco ea quæ dixi in hoc tract. Conf. 2. . Circa diſtinctionem neceſſariò requiſitam inter prædicamenta, nam ex dictis ibidem poterat reſolui pręſens difficultas, & pręcipuè noto varios modos diſtinctionis rationis, & realis ibi enumeratos. Quibus ſuppoſitis inquirimus an relatio prædicamentalis, quæ pertinet ad ſpeciale genus formæ intrinſecè denominãtis, diſtinguatur realiter à ſuo fundamento.

734. Prima ſententia docet diſtingui ſola ratione ratiocinata. Hãc ſententiam tenent multi Authores tàm antiqui, quàm moderni relati à Colleg. diſcalc. in log. diſp. 14. q. 5. Secunda ſententia aſſerit relationẽ diſtingui realiter à ſuo fundamento. Hanc defendunt communiter Thomiſtę, vt refertur à prędicto Colleg. diſcalc. & à Magiſt. Araujo lib. 5. metaph. q. 5. art. 4. Eſt autem differentia in aſſignãda diſtinctione reali. Nam aliqui dicunt diſtingui realiter formaliter, ideſt, pœnes diuerſas rationes formales reales. Alij eſſe diſtinctionem realem modalem exiſtimantes relationem eſſe eſſentialiter modum, & non rem. Alij verò affirmant diſtinctionem eſſe realem entitatiuam, illam ſcilicet, quæ verſatur inter rem, & rem. At Mag. Ioa. à S. Tho. procedit cum diſtinctione dicẽs in con. 1. quòd quæcũq; relatio prędicamẽtalis, diſtinguitur à parte rei à ſuo fundamento remoto, quod eſt ſubiectum. Et in conc. 2. aſſerit quod reſpectu fundamenti proximi probabilius videtur in ſententia D. Thomæ, quòd relatio non diſtinguatur ab illo, tanquam res à re, ſed vt modus. Mediante tamen hoc fundamento, cum quo identificatur, non repugnat realiter diſtingui à ſubiecto, ſi tale fundamentum realiter à tali ſubiecto diſtinguatur.

§. 2.

Reſoluitur difficultas.

735. PRo roſolutione veritatis ſit prima concluſio. Relatio prędicamentalis diſtinguitur à parte rei à ſuo ſubiecto, & à ſuo fundamento proximo. Hæc concluſio aſtruitur contra primam ſententiam aſſerentem diſtingui ſola ratione, & modò non determina-

tur quo genere diſtinctionis realis diſtinguatur, & in hac generalitate admittitur communiter à Thomiſtis. Et prob. 1. expreſſis teſtimonijs D. Tho. adductis in præſenti à noſtris Thomiſtis, & quæ breuiter referam. In primis 1. p. q. 28. artic 2 vbi ſic docet. [Sicut in rebus creatis in illo, quod dicitur relatiuè, non ſolùm eſt inuenire reſpectum ad alterum, ſed etiam aliquid abſolutum : ita etiam & in Deo. Sed tamen aliter, & aliter, nam id quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur ſub ſignificatione nominis relatiui eſt alia res: in Deo autem non eſt alia res, ſed vna, & eadem.] In quibus verbis expreſsè docet D. Th. relationem eſſe aliam rem à fundamento in creatura, ad differentiam relationis diuinæ, & conſequenter loquitur de diſtinctione reali, nam etiam in diuinis relatio diſtinguitur ratione ratiocinata ab abſoluto, & vt ſit maior diſtinctio in creatis, neceſſum eſt quòd aſſignetur diſtinctio realis. Item in 1. diſt. 33. quæſt. 1. docet relationem creatam afferre propriũ eſſe diſtinctum ab eſſe fundamenti, & ideo compoſitionem facere cum illo: non poſſet autem dari talis compoſitio accidentis, & ſubiecti, niſi adeſſet realis diſtinctio. Inſuper expreſsiùs loquitur in eadem diſt. quæſt. 1. art. 1. ad 3. vbi ſic ait. [Relationes diuinæ non differunt ab eſſentia realiter, ſed tãtum ratione, vt dictum eſt; & ideo non ſequitur ibi compoſitio, quod in alijs eſſe nõ poteſt: quia nulla relatio eſt ſubſtantia ſecundùm rem in creaturis.] Hæc, & alia teſtimonia adducuntur communiter in fauorem noſtræ ſententiæ, quæ ita clara ſunt, vt ſuperfluum iudicem illa ponderare.

736. Prob. 2. noſtra concluſio ratione. Et in primis ratio ſupra poſita ad probandum omnia prædicamenta debere realiter diſtingui, probat hanc concluſionem. Siquidem relatio pertinet ad ſpeciale prædicamentum diſtinctum ab illo, ad quod pertinet eius fundamentum, & ſubiectum illius. Nihilominus illa ratione relicta, vtor alia etiam cõmuni inter Thomiſtas, & ſic illam formo. Nam duo ſunt principia, ex quibus infertur realis diſtinctio inter duo. Primum eſt ſeparatio realis, vt dicebam num. 604. Si enim duo inter ſe ita comparantur, vt vnum ab alio ſeparetur, neceſſum eſt realiter diſtingui, & ſic ſeparatio realis ponitur, vt ſignum euidens realis diſtinctionis. Secundum principium eſt mutatio realis, ſeù tranſitus realis ſubiecti, quotieſcunquè ſubiectum tranſit de vno contradictorio extremo in aliud, ibi eſt realis diſtinctio realis inter ſubiectum, & extremum aduenîens: ſed relatio ſeparatur à ſuo fundamento, & ſubiectum realiter tranſit de non relato in relatum: ergo relatio, ex vtroquè principio, diſtinguitur realiter à ſuo fundamento. Maior ſupponitur certa. Et mi. pr. Nam vnum album, v. g. Si coexiſtat aliud album, dicitur realiter ſimile illi per relationẽ realem ſimilitudinis, quòd ſi illud album deſinat eſſe, & fiat nigrum, tollitur relatio illa ſimilitudinis, & conſurgit altera diſſimilitudinis, & tale album tranſit realiter de ſimili in non ſimile, & de non diſſimili, in diſſimile: ergo relatio realis ſeparatur realiter à ſuo fundamento, & iſtud tranſit realiter de non relato in relatum, quę ſunt extrema contradictoria.

737. Nec

737. Nec valet ſi dicas cum communi ſolutione quòd in prædicto caſu, & alijs ſimilibus, non ſeparatur entitas, ſeù realitas aliqua ipſius relationis, ſed, tota entitate manente, tollitur, ſeù ſuſpenditur denominatio illius, eo quòd licèt remaneat tota entitas, ſeù realitas relationis, quia tamen deficit aliquod extrinſecum, à quo pendet, vt denominet, ideo deficit, ſeù ſuſpenditur denominatio, quæ conſurgit poſito illo extrinſeco à quo dependet. Et ita tranſitus eſt in denominatione, & non in entitate aliqua, ſeù realitate, ac proinde non arguit diſtinctionem realem. Non, inquam, valet. Nam in contra ſunt obiectiones cõmunes Thomiſtarum. Prima. Nam implicat quòd deficiat prædicta denominatio, & non pereat entitas ipſius relationis: ergo, &c. Prob. añs. Nam denominatio nihil aliud eſt, quàm ipſa forma communicata, maximè ſi ſumatur denominatio non logicè, ſed phyſicè, vel metaphyſicè, & ſit idem quod effectus formalis: ergo ſi deficit denominatio, ſeù effectus formalis illius formæ, deficit etiam communicatio illius formæ tali ſubiecto, quod denominabat. Vrgetur hæc probatio. Nã implicat quòd entitas alicuius formæ communicetur realiter alicui ſubiecto, ſeù ſit realiter in aliquo ſubiecto, & quòd tali ſubiecto non præbeat ſuum effectum eſſentialem, & primarium, & hoc maximè connaturaliter loquendo, vt optimè notat Mag. Ioan. à Sancto Thoma, quidquid ſit de potentia Dei abſoluta, quæ ad rem præſentem non conducit, & huius non dabitur aliqua inſtantia, quidquid ſit de alijs effectibus ſecundariò prouenientibus à forma. Et ratio eſt iam tacta. Nam ipſa communicatio formæ, eſt ipſe effectus formalis illius, & implicatio eſt, ſuam entitatem formalem communicari, & non communicari eius effectum primarium: ſed primarius effectus relationis eſt referre ſubiectum ad terminum: ergo non compatitur manere in ſubiecto, ſeù fundamento entitatem relationis, & non denominare, ſeù præbere talem effectum formalem. Si ergo denominatio deficit, & ſimiliter effectus formalis, neceſſum eſt deficere ipſam entitatem relationis.

738. Secunda obiectio eſt. Nam quando dicitur quòd deficit denominatio, vel per denominationem intelligunt deficere aliquid reale, vel nihil: ſi nihil deficit, erit ſicut antea, ſi autem deficit aliquid reale: ergo deficit aliqua entitas realis, hæc autem nulla aliqua poteſt eſſe, niſi entitas ipſa relationis: ergo deficit non ſola denominatio, ſed etiam entitas. Et vrgetur hoc. Nam illa denominatio, quæ deficit, realis eſt, & à parte rei habens eſſe: ergo deficiente illa, deficit aliqua entitas realis: Patet conſequentia. Quia entitas realis eſt tranſcendens, & intimè clauſa in omni ſuo inferiori, ac proindè ſi inferius deſtruitur, neceſſum eſt deſtrui entitatem clauſam in ipſo: ergo ſi talis denominatio, quæ realis eſt, deficit, etiam debet deficere entitas ibi intimè clauſa. Et quidem videmus aliquando de nouo aduenire aliquam intrinſecam denominationem, & deſinere eſſe, abſque aduentu, vel deſitione alicuius nouæ entitatis, ex eo præcisè quòd ponatur aliquod extrinſecum, à quo dependebat talis denominatio .l. illud auferatur, qua propter

Digitized by Google

propter ex hac parte videtur deficere hoc commune fundamentum Thomiſtarum. Et reſtat explicandum quando per aduentum nouę denominationis, ponenda eſt noua forma, & per deſtructionem denominationis, debeat deſtrui noua forma intrinſeca, & quando hoc contingit ex præciſa poſitione, vel ablatione alicuius extrinſeci. Hoc enim non vidi examinatum in authoribus, & multum conducit ad intelligentiam huius difficultatis, & aliarum, in quibus paſſim vtimur prædicto argumento ſeparationis realis ad probandam realem diſtinctionem.

739. In qua re ita diſcurro ductus doctrina communi Thomiſtarũ, & ſit prima regula. Si aduenit de nouo aliqua denominatio, vel effectus formalis alterius ordinis, vel generis, ſiuè ſuperioris, ſiuè inferioris, diſtincti ab alio genere, ad quod pertinet denominatio, vel effectus formalis, qui antea erat, tunc neceſſum eſt nouam formam, ſeù nouam entitatem formæ aduenire. Idemquè dicendum eſt ſi pereat denominatio huiuſmodi, neceſſum eſt perire formam, quoad entitatem. Sit exemplum in logica, & metaphyſica. Nam *Vbi* diſtinguitur realiter ab vbicato, non alia ratione niſi quia denominatio aduenìens vbicato eſt alterius ordinis, ſeù generis, & ex eo quòd adueniat de nouo, & pereat manente ipſo corpore, infertur eſſe diſtinctam entitatem, ſeù diſtinctam realitatem à realitate, ſeù entitate ipſius corporis. Idemquè dicimus de alijs prædicamentis tàm inter ſe, quàm in ordine ad ſubſtantiam comparatis. Item in theologia hac ratione probatur quòd in potentijs animæ debet poni aliquid intrinſecum reale de nouo aduenìens, vt denominentur potentes ſupernaturaliter ad eliciendum actum ſupernaturalem, nam hæc denominatio, vel effectus formalis de nouo ſuperueniens eſt alterius ordinis ſuperioris. Potentia enim, v. g. intellectus eſt potens ad actus naturales, & quando denominatur potens elicere actum ſupernaturalem viſionis claræ Dei, huiuſmodi denominatio affert ſecum nouam entitatem formæ ſupernaturalis. Eodem pacto ſi denominatio huius generis deficit, neceſſum eſt deficere entitatem formæ. Secunda regula eſt. Si adueniat denominatio, vel effectus formalis diſtinctus in ſpecie eſſentiali ab effectu formali, vel denominatione antecedenti, neceſſum eſt aduenire nouam entitatem formæ, & quando perit, neceſſum eſt perire talem entitatem formæ: nam ab eadem forma non poſſunt prouenire duo effectus formales diſtincti in ſpecie, ſeù duæ denominationes ſpecificè diſtinctæ. Eo quòd petunt eſſentias adæquatè diſtinctas, & conſequenter entitates diſtinctas iuxta doctrinam ſupra traditam num. 592. & hac ratione omnes ſpecies contentæ ſub eodem genere debent diſtingui realiter. Ex quibus regulis ſequitur quòd ad dandam denominationem nouam pertinentem ad nouum genus, vel nouam ſpeciem diſtinctam à præcedenti, non ſufficit poſitio alicuius extrinſeci, & eodem pacto quando talis denominatio deficit, non eſt per ſolam deficientiam alicuius extrinſeci, ſed per aduentum ſimilis denominationis debet aduenire noua entitas intrinſeca, & illa deficiente debet etiam deficere noua entitas. Qua pro-

propter ad noſtrum intentum conſtat vis rationis ſupra poſitæ. Etenim denominatio relatiua, & effectus formalis relati eſt alterius generis diſtincti. Nam fundamentum, tàm remotum, quàm proximum eſt abſolutum, & ideo cum tali denominatione debet aduenire noua entitas, & deficiente illa, etiam iſta deficere debet. Quæ doctrina magis elucidabitur adducendo aliquas inſtantias, in quibus videtur aduenire noua denominatio, ſine noua entitate, quæ diſſoluentur poſtea nu. 660. ex hac doctrina.

740. Secunda concluſio. Relatio diſtinguitur à ſuo fundamento, ſiuè proximo, ſiuè remoto, tanquam res à re. Hæc concluſio defenditur ab illis Thomiſtis, qui exiſtimant relationem, propriè loquendo, eſſe rem, & non modum, contrà alios aſſerentes eſſe modum. Et quantùm ad hoc, vt dicebamus ſupra, & optimè notauit Pater Rubio lib. prædicam. cap. 7. quæſt. 11. nu. 323. de nomine ferè controuerſia eſt. At quia exiſtimo relationem ſi propriè loquendum ſit, eſſe rem, & non modum, ideo in concluſione aſſero diſtingui à ſuo fundamento, tanquàm res à re. Et pr. 1. ex ipſo modo loquendi D. Thomæ ſupra allegati, nam docet quòd fundamentum relationis eſt alia res, in quo videtur aſſignare diſtinctionem rei à re. Item docet relationem addere nouum eſſe ſupra eſſe fundamenti, & hoc quod eſt habere proprium eſſe, maximè eſſe exiſtentiæ, eſt proprium formæ completæ, quæ eſt res, & non ſolus modus. Prob. 2. ratione, qua ſupra probabamus omnia prædicamenta diſtingui diſtinctione rei à re. Nam relatio conſtituit prædicamentum, in quo non collocantur, niſi res perfectæ, & completæ: ponuntur enim decem genera rerum, ad quæ res perfectæ, & completæ pertinent: ergo qualibet relatio eſt quædam res perfecta, & completa, aliàs in prædicamento non poneretur. Quòd autem ſit quid imperfectum, & ſubſiſtere non valens abſquè ſuo fundamento, hoc tantùm arguit eſſe debiliſſimum, ſeù imperfectiſſimum inter alia prædicamenta, hoc eſt, quòd inter alia genera rerum habeat infimum locum, non autem infert tranſire ad lineam modi, qui, ſi propriè loquamur, in prædicamento non conſtituitur niſi reductiuè. Et ſanè cum quæſtio hæc ſit de nomine, non debemus in illa multum immorari.

741. Ex quo infero, quòd relatio etiã reſpectu fundamenti proximi diſtinguitur, vt res. Nam ſi ipſa in ſe res quædam eſt, ſic debet diſtingui, ſiquidem diſtinctio ſequitur entitatem, ac proinde ſi entitas eſt res, ad illam ſequitur diſtinctio rei, ſi verò eſt modus, diſtinctio ſequuta eſt diſtinctio modi. Et adhuc dato quod relatio eſſet modus, deberet diſtingui diſtinctione modali tàm à fundamento proximo, quàm à ſubiecto etiam quando fundamentum proximum eſt res. Cuius ratio eſt. Nam modus ab omni alia re diſtinguitur realiter modaliter, ſiquidem diſtinguitur per ſuam entitatem, quæ modus eſt, & non per entitatem alterius rei, cuius eſt modus: ergo etiam ſi fundamentum proximum ſit res, tamen relatio fundata, cum ſit modus, non poteſt diſtingui, vt res, ſed vt modus: Sit exemplum. Relatio ſimilitudinis fundata in albedine eſt modus ipſius albedinis, in ſententia

quam

Digitized by Google

quam ſupponimus, & conſequenter diſtinguitur realiter modaliter ab illa, ſi igitur albedo ponatur fundamẽtum proximum, non ob hoc dicendũ eſt, quòd quia albedo eſt res realiter diſtincta à ſuo ſubiecto, ideo relatio, mediante albedine, diſtinguitur realiter, vt res à re à tali ſubiecto. Nam nulla res, ſeù nulla entitas diſtinguitur realiter mediante alia, ſed per ſe ipſam. Et dico, quòd nulla entitas, vt loquar de entitate, vt eſt communis ad rem, & modum.

742. Et ſanè in hac parte non benè percipio, quid intendunt dicere aliqui, quando aſſerunt modum non eſſe entitatem diſtinctam à re, cuius eſt modus, & quod tota entitas modi, eſt entitas rei. Si enim eſt ſenſus quòd non ſunt duæ entitates, quæ ſint res, hoc veriſſimum eſt, cum altera ſit modus. Si verò nullam entitatem aſſignant in modo diſtinctam ab entitate rei, hoc videtur mihi falſum. Nam modus ipſe in re aliquid eſt, quod non eſt res ipſa, & quando aduenit rei, aliquid aduenit entitatis, quod antea non erat, & quando perit, aliquid entitatis perit: ergo modus ex ſe aliquam entitatem habet, ſaltim modalem. Igitur huiuſmodi entitas realis modalis eodem genere diſtinctionis modalis debet diſtingui ab omni alio extremo. Hoc autem dixi, quia Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma docuit relationem eſſe modum, & ſic diſtingui modaliter à ſuo fundamento proximo, & mediante iſto aſſeruit poſſe diſtingui alio diſtinctionis genere à ſubiecto.

§. 3.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

743. Contra fundamentum primæ concluſionis arguitur ad probandum non rectè inferri ex aduentu nouæ denominationis, aduentum nouæ formæ realis, nec ex diſtinctione illius ſequi diſtinctionem huius, ac tandem non ſemper ex tranſitu ſubiecti de vna denominatione in ſuam contradictoriam ſequi aduẽtum nouæ formæ realis, vt dicitur in prædicto fundamento, quod eſt commune in hac, & alijs difficultatibus. Et in primis D. Thomas lib. 5. Phyſicorum lect. 3. docet poſſe vnum dici realiter relatiuè de nouo, abſquè eo, quòd de nouo mutetur, ſeù in ſe aliquid recipiat. Sic enim ait proponens difficultatem. [In illis, in quibus inuenitur relatio realiter in vtroquè extremorum, videtur difficile, quòd aliquid relatiuè dicatur de vno per mutationem alterius abſquè mutatione ſui, cum nihil de nouo adueniat alicui abſquè mutatione eius, cui aduenit.] Hæc D. Thomas. In quibus propoſuit fundamentum præcipuum primæ concluſionis, ex eo enim quòd ſubiectum tranſeat de non relato in relatum, & ex aduentu talis denominationis, inferebamus, aduenire de nouo aliquid in ſubiecto denominato, quòd antea non erat, cui reſpondet D. Thomas ſic [vnde dicendùm eſt, quòd ſi aliquis per ſuam mutationem efficiatur mi-

hi æqualis, me non mutato, iſta æqualitas primò erat in me quodāmodo, ſicut in ſua radice, ex qua habet eſſe reale; ex hoc enim quòd habeo talem quantitatem competit mihi, quòd ſim æqualis omnibus illis, qui eandem quantitatem habent. Cum ergo aliquis de nouo accipit illam quantitatem, iſta communis radix æqualitatis determinatur ad iſtum, & ideo nihil aduenit mihi de nouo per hoc quòd incipio eſſe alteri æqualis per eius mutationem.] Hæc D. Thomas. In quibus ponderandum eſt 1. ipſum abſolutè docere quòd quando ego incipio eſſe, ſeù denominari relatiuè æqualis, nihil de nouo aduenit, niſi ſola mutatio alterius extremi: quæ doctrina directè pugnat cum illa à nobis adducta, vt fundamentum primæ concluſionis. Ponderandum eſt 2. quòd relatio illa æqualitatis, ait D. Thomas, habet eſſe reale ex ſua radice, ſeù fundamento, in quo primò erat quodammodo, in quo videtur inſinuare totam realitatem relationis eſſe ipſam realitatem fundamenti. Et ſanè, ſi attentè legantur verba Sancti Doctoris difficilia ſunt contra noſtram doctrinam.

744. Idem intentum probatur 2. ratione. Nam multæ formæ ſunt, quæ dependent ab aliquo extrinſeco, vt denominent ſubiectū aliquod, & quamuis ſint in ſubiecto, non denominant illud, niſi ponatur tale extrinſecum, quo poſito, abſq; aduentu nouæ entitatis, de nouo incipiūt denominare: ergo ex aduentu nouæ denominationis non ſequitur aduentus nouæ formæ, ſeù nouæ entitatis, & maximè in denominatione formę relatiuæ, quæ in ſui eſſe dependet ab aliquo extrinſeco. Antecedens probatur multis inſtantijs. Sit prima in hac materia. Nam fundamentum relationis, poſito altero extremo, denominatur actù fundans relationem, cum antea non fundaret, v. g. vnum album, altero non exiſtente, non fundat actù relationem ſimilitudinis, & illo altero in re poſito, fundat actù relationem, & tranſit de non fundante actù ad fundans actù, & nihil de nouo aduenit illi, vt actù fundet. Secunda inſtantia eſt in ipſa relatione, quæ vna exiſtēs extenditur ad plures terminos, v. g. Pater, qui vnicum filium habet, refertur realiter ad ipſum, ſi autem habeat alium filium, vel alios, refertur ad omnes eadem relatione paternitatis, & tunc Pater realiter de nouo refertur ad nouos illos filios, & tamen nihil de nouo accipit realiter, ſed ex ſola mutatione extrinſeca, qua poſitus fuit nouus filius, reſultat noua denominatio. Tertia eſt in opinione probabili Thomiſtarum aſſerentium non dari vnionē realiter diſtinctam inter materiam, & formam, & nihilominus materia de nouo recipit formam, & hæc de nouo informat materiam, & nihil ei de nouo aduenit, ſed ex ſola poſitione actionis vnitiuæ, materia vnitur formæ, & forma vnitur materiæ. Quarta eſt in ſpeciebus impreſſis, quas angeli habent; quæ repræſentant naturas vniuerſales, & etiam ipſa indiuidua, quando actù exiſtunt, ita quòd poſita exiſtentia indiuiduorum, ſtatim ſpecies impreſſa repræſentat illa, cum antea non repræſentaret, & hoc contingit abſquè aduentu alicuius nouæ entitatis, ſed ex ſola poſitione extrinſeca indiuiduorum. Et ſanè plures aliæ inſtantiæ ad hanc rem comprobādā poterant adduci, quibus videtur inſinuari fundamentū præcipuū 1. concl.

Ad

745. Ad hoc argumentum dicendum eſt ex proximè dictis num. 653. vbi explicuimus quomodo verificetur quòd ex aduentu nouæ denominationis colligitur noua entitas realis communicata. Ad authoritatem D. Tho. dico illius mentem indagandam eſſe ex ipſo contextu, & ex fine, ad quem prædicta verba adducuntur. Intendit enim D. Thom. ibi docere ad tria tantùm prædicamenta dari per ſe motum, & non ad alia: & probans quod ad relationem non datur per ſe motus, ponit illa verba: quà propter quando aſſerit quòd nihil de nouo aduenit in vno extremo, debet intelligi, ita vt nihil adueniat, quod poſſit per ſe terminare motũ, vel ratione cuius ſubiectum relationis mutetur phyſicè, quod ſufficiebat ad intentũ illius, non autẽ negat aduenire aliquid reale de nouo. Et ex hoc conſtat quid dicendum ſit ad primam illam ponderationem,& ad 2. dico quòd habere realitatẽ à fundamento, nihil aliud eſt, quàm quod ex fundamento immediatè reſultet, ſine alia mutatione phyſica; ad differentiam aliorum, quæ ex vi alicuius mutationis phyſicæ accipiunt realitatem. Et idcircò dicit, quòd relatio primò erat quodammodò in fundamento, vt in radice, quia erat in ipſa, vt in fundamento, & ſimul cauſa immediata per emanationem ſui eſſe, & vt relatio emanet, nihil aliud deſideratur, niſi quòd ponatur terminus quo poſito ex quantitate reſultet relatio illa æqualitatis nulla mutatione phyſica ſuperueniente. Et hæc eſt mens clara D. Thom. Nec poteſt rectè explicari illius mens ex eo quòd relatio ſit modus, & non res. Nam etiam, vbi, eſt modus in ſententia aſſerentium relationem eſſe modum, & nihilominus per aduentum illius mutatur phyſicè ſubiectum, ſiquidem ad vbi datur per ſe motus: ergo ex eo quòd relatio ſit modus non poterat D. Tho. inferre, quòd ex aduentu illius non mutatur ſubiectum. Itaquè intelligitur de aduentu nouæ entitatis, ad quam detur per ſe motus,& non negat entitatem proximè dimanantẽ ſimplici reſultantia ex fundamento, qua poſita ſubiectum mutetur metaphyſicè, hoc eſt, ſe habeat nunc aliter, quàm prius.

746. Ad 2. probationem ex ratione petitam diſtinguẽdum eſt antecedens iuxtà doctrinam ſupra traditã, nempè de denominatione pertinente ad alium ordinem, vel genus, vel ſpeciem, ex hac enim colligitur aduentus nouæ entitatis, non autem de denominatione noua intra eandem rationem ſpecificam, quæ reſultat ex poſitione noui materialis, ad quod ſe extendit ratio illa formalis ſpecifica. Et huiuſmodi ſunt omnes inſtantiæ ibidem poſitæ, vt conſtabit diſcurrenti per ſingulas. In prima enim conſtat quòd fundare actù relationem non eſt aliquid pertinens ad diſtinctum genus, .l. ſpeciem ipſius fundamenti, verb. g. albedo per ſuam entitatem dicit, conuenientiam cum omni alia, & hæc conuenientia, ſeù vnitas eſt fundamentum ſimilitudinis, & vt reſultet neceſſaria eſt poſitio alterius extremi, & tunc dicitur albedo proximè fundare. Secunda inſtantia manifeſtè verificatur de denominatione intra eãdem rationem ſpecificam, nam Paternitas ex ſua ratione ſpecifica reſpicit filiationem, non autem hanc, vel illam, & ideo vnica paternitas reſpicit omnia

ſubiecta, in quibus inuenitur filiatio, ac proinde denominatur pater reſpiciens ſecundum filium abſquè aduentu nouæ entitatis. Ad 3. reſpondeo admittendo illam ſententiam, & dico quòd in materia, & forma, quæ ſunt cauſæ intrinſecæ, quæ cauſant per ſui exhibitionem, non diſtinguitur ipſum actu cauſare ab entitate cauſæ, ſed per ſuam entitatem recipit materia, & per ſuam forma informat, & adinuicem vniuntur ſe ipſis, ideoquè denominatio vnitæ, vel recipientis in materia, & vnitæ, & informantis in forma nihil aliud addit ſupra entitatem, quàm connotationem actionis coniungentis illa. Ad 4. dico indiuidua illa contineri ſub formali ratione ſpecifica repræſentabilitatis obiectiuæ ſpeciei, ideoquè, vt repræſententur, neceſſum eſt ipſa indiuidua exiſtere. Præter quàm quòd exiſtimo quòd ſpecies illa impreſſa, quantùm eſt ex parte ſua repræſentat illa, ſiquidem repræſentatio ſpeciei eſt ipſa entitas illius, & ſicut ſemper eſt eadem entitas, ita ſemper habet eandem repræſentationem. At Angelus non ſemper cognoſcit talia indiuidua, nam vt cognitio terminetur ad illa, neceſſum eſt quod illa exiſtant, & ideo quod Angelus non cognoſcat indiuidua non exiſtentia, non prouenit ex defectu repræſentationis ſpeciei, ſed ex eo quòd ipſa indiuidua non ſunt cognoſcibilia ab Angelo, dummodò in ſe non exiſtant. Nec dabitur aliqua inſtantia, inqua verificetur dari nouam denominationem in nouo genere rerum, vel in noua ſpecie, & quòd non adueniat noua forma, vel noua entitas, à qua procedat talis denominatio noua. Et in hoc conſiſtit vis noſtri fundamenti.

747. Ad cuius maiorem confirmationem aduerto, quòd etiam in inſtantijs adductis ſunt opiniones valdè probabiles aſtruentes aliquam entitatem de nouo aduenire, vt de nouo fiant tales denominationes. Nam aliqui probabiliter exiſtimant quòd vnitas, quæ eſt ratio fundandi relationem ſimilitudinis, eſt aliqua entitas addita qualitati, quæ reſultat poſito termino, ex qua dimanat relatio: & ſimiliter ponunt alium modum diuerſitatis realiter ſuperadditum, ex quo proximè reſultet relatio ipſa. Item in fundamento relationis ſecundi generis aſtruunt actionem, & paſſionem, quæ ſunt rationes fundandi de nouo aduenientes. Et tandem in fundamento relationis tertij ordinis, ſeù generis ponunt alium modum menſuræ de nouo ſuperuenientem, vt fundamentum actù fundet relationem. Quòd ſi hæc ſententia vera eſt, confirmat noſtram. In ſecunda inſtantia eſt ſententia aliquorum quòd vna numero relatio non poteſt reſpicere plures terminos diſtinctos numero, & ita aliqui ponunt tot relationes numero diſtinctas, quot ſunt termini numero diſtincti, alij verò dicunt per aduentum noui termini aduenire nouam relationem, & deſtrui priorem terminatam ad priorem terminum; alij vero alios modos mutationis inuenerunt, non potentes intelligere, quòd vna numero relatio, immutata manens, reſpiciat plures terminos. De quo videantur Pater Suarez tom. 2. Metaph. diſput. 47. ſect. 17. nu. 17. & ſequentibus. Pater Albertinus diſp. 10. circa prædicamentum ad

aliquid.

Digitized by Google

aliquid. Ex quo colligitur in hac ſententia non vigeri, ſed potiùs confirmari fundamentum noſtrum. Circa tertiam inſtantiam eſt ſententia ſatis probabilis, etiam inter Thomiſtas, qui docent dandam eſſe vnionem realiter diſtinctam ab extremis, & conuincuntur argumento à nobis facto de ſeparatione, & aduentu noui effectus formalis, vt videre eſt in Colleg. diſcalc. in Phyſica diſp. 6. quæſt. 2. & tandem non deſunt Thomiſtæ, qui doceant in ſpecie impreſſa angelica ponendum eſſe nouum modum ſuper additum repræſentationis, quo ſpecies ipſa modo repræſentet indiuidua, quæ anteà non repræſentabat. Hæc autem dixi circa inſtantias adductas, noſtrum fundamentum poſſe illis aliquomodo corroborari, ſiquidem ſunt opiniones probabiles aſtruentes in omnibus illis mutationem aliquam. Et quidem ſiuè ponatur mutatio, ſiuè non, eſt diſpar ratio, vt dicebam in prima ſolutione, cui ſtandum eſt. Alia argumenta contra eandem concluſionem facilem habent ſolutionem, & videri poſſunt in authoribus.

748. Arguitur 2. contra ſecundam concluſionem. Nam relatio eſt modus: ergo diſtinguitur à ſuo fundamento, vt modus, & non vt res. Probatur antecedens. 1. ex D. Thoma docente, quòd relatio inter omnia genera habet eſſe minimum, & debiliſſimum, vt dicit lib. 4. contrag. cap. 14. ad rationem. 9. & lib. 12. Metaph. textu 19. lect. 4.: ſed conſtat aliqua genera eſſe modos tantùm, & non realitates, vt vbi, & ſitus, & alia ſimilia: ergo ſi relatio inter omnia genera eſt debiliſſimi eſſe, erit minùs, quàm illa, quæ ſunt modi: ergo ipſa relatio non erit realitas: ſic enim perfectior eſſet illis generibus. Probatur 2. antecedens. Quia in vbi, & ſitu, aliiſquè modis poteſt fundari relatio, v. g. ſimilitudinis, aut diſſimilitudinis, effectus, vel cauſæ, &c. ergo tunc relatio non erit realitas, ſed modus: ſiquidem fundamentum eſt modus, nec poteſt eſſe perfectior entitas fundata, quàm fundans. Si autem ſemel vna relatio eſt modus, reliquæ erunt etiam modi, cum omnes ſint eiuſdem generis, & ad idem prædicamentum pertineant, & ad vnum non poſſunt per ſe, & directè pertinere entitas, & modus. Probatur 3. antecedens. Nam relatio ita debiliſſima eſt in ſuo eſſe, vt nequeat ſeparata conſiſtere à ſuo ſubiecto, etiam ſi interueniat potentia Dei abſoluta: ſed hoc eſt proprium modi, vt diſtinguitur à re, nempè ità inhærere ſubiecto, cuius eſt modus, vt contradictionem implicet, ſine illo ſubiecto conſiſtere: ergo relatio modus eſt, & non res.

749. Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem reſpondeo ex dictis, nullum genus prædicamentale eſſe modum, ſed omnia eſſe genera rerum, & ita vocantur ab Ariſtotele, & D. Thoma, decem prædicamenta [decem genera rerum,] inter quæ debiliſſimum eſſe habet relatio, eo quòd, vt ibidem dicit D. Thomas, in ſuo eſſe dependet ab aliquo extrinſeco, nempè à termino, & conſequenter fatendum eſt, quòd intra lineam rerum relatio habet eſſe imperfectiſſimum,

mum, non tamen ex hoc ſequitur eſſe modum, & non rem. Ad 2. probationem dico, vbi, & ſitum eſſe res, & non modos, niſi tantum per aliquam ſimilitudinem, & ita poſſunt fundari in illis relationes, quæ ſunt res, imperfectæ tamen, vt dictum eſt; & ſi inſtes de relatione fundata in alijs modis, reſpondeo nullum eſſe inconueniens, quòd in modis pertinentibus ad lineam abſolutam fundetur res aliqua pertinens ad lineam relatiuam; quæ, & ſi ſit res, eſt ita imperfecta, vt excedi poſſit à modo alterius generis perfectioris. Itaquè modus ad lineam abſolutam poteſt comparari cum relatione in ipſo fundata, & tunc adinuicem ſe excedunt: & exceſſus in perfectione abſoluta eſt ſufficiens ad fundandam relationem, quæ etiam ſi ſit res, propter ſui debilitatem, & imperfectionem, fundari poteſt in aliquo modo. Ad 3. probationem reſpondeo ex illa inferri relationem propter ſui imperfectionē, aſſimilari modis, non autem eſſe verè, & propriè modum. Nam de ratione eſſentiali modi eſt eſſe quid incompletum in aliquo genere rerum, ad quod reductiuè pertineat, & hoc non verificatur de relatione, & multò minus de alio prædicamento, vt dicebam ſupra num. 594.

CONFERENTIA 5.

Vtrum omnis relatio terminetur ad relatiuum.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

750. Conſtat ex communi doctrina à nobis ſupra tradita nu. 136. dari relationem mutuam, cui ex altero extremo correſpondet alia relatio realis, & non mutua, cui ſola relatio rationis in altero extremo correſpondet. Titulus autem procedit de omni relatione ſiuè mutua, ſiuè non mutua, an terminus formalis illius ſit aliquid abſolutum, vel relatiuum. Nam ſicut in Patre verb. gr. inuenitur ſubiectum, & fundamentum, ſeù ratio fundandi, quæ omnia ſunt abſoluta, ad quæ ſequitur ipſa relatio paternitatis, ita in filio inuenitur ſubiectum, & ratio fundandi quæ ſunt abſoluta, & relatio ipſa. Inquiritur ergo an relatio ipſa Paternitatis terminetur formaliter ad id, quod eſt abſolutum in filio, vel ad ipſam relationem filiationis.

751. In qua difficultate ſunt tres ſententiæ, duæ extremæ, & alia media. Prima docet omnem relationem terminari ad abſolutum. Hanc ſententiam defendunt Scotus, & eius diſcipuli: quos ſequuntur Vazquez, Suarez, Hurtado, Paulus Vallius, Oña, quos refert Colleg. diſcalc. diſp. 14. quæſt. 6. num. 63. & aſſerit quòd in hanc ſententiam videntur inclinare Capreolus, Soncinas, & Soto. Secunda ſentētia aſſerit, omnes relationes terminari formaliter ad relatiuum. Eſt autem differentia, in modo explicandi

plicandi terminum formalem relationis realis non mutuę. Nam aliqui Thomiſtæ, quos ſequitur P. Fonſeca, aſſerunt terminum formalem eſſe relationem rationis, quæ reſultat in alio extremo. Alij verò exiſtimant eſſe extrinſecam quandam denominationem prouenientem à relatione reali alterius extremi. Ita diſcurrit Colleg. diſcalc. vbi ſupra num. 79. referens pro ſe Caietanum, & Nazarium. Tertia ſententia, quę media eſt inter prædictas, diſtinguit inter relationes mutuas, & non mutuas, & docet illas terminari ad relatiuum, & iſtas ad abſolutum. Hanc defendunt Ferraria, Maſſius, Gallego, Rubio, Valentia relati à Colleg. diſcalc. vbi ſupra num. 67.

§. 2.

Reſoluitur difficultas.

752. PRo reſolutione veritatis ſit prima concluſio. Omnes relationes, ſiuè mutuæ, ſiuè non mutuæ terminantur formaliter ad relationem, quæ eſt in termino, & ad abſolutum illius terminantur materialiter. Hæc cõcluſio communior eſt inter Thomiſtas, licèt non deficiant, qui defendant tertiam ſententiam mediã. Pr. autem noſtra concl. 1. ex doct. D. Thomæ. Nam 1. p. quæſt. 40. artic. 2. ad 4. explicans diffinitionem relatiuorum, ſic ait. [Cum dicitur quod relatiui eſſe eſt ad aliud ſe habere: per ly, aliud, intelligitur correllatiuum, quod non eſt prius, ſed ſimul natura.] Ex quibus ſic infertur. Terminus formalis relatiui, qui ponitur in eius diffinitione eſt ſuum correllatiuum, quod eſt ſimul natura cum illo, vt docet D. Thom. ſed id, quod eſt abſolutum in termino non eſt formaliter correllatiuum, nec ſimul natura cum relatione: ergo terminus formalis non eſt aliquid abſolutum. Item lib. 2. contrag. cap 11. ſic docet. [Non poteſt intelligi aliquid ad alterum niſi è conuerſo illud relatiuè diceretur ad ipſum.] quæ doctrina non poteſt verificari de aliquo abſoluto ex parte termini. Et tandem lib. 1. ad Annibaldum diſt. 30. quæſt. vnica artic 1. ad 3. ſic docet. [Terminus non poteſt intelligi, niſi ſub oppoſita habitudine.] In quibus omnibus loquitur de relatione in communi, prout ſe extendit ad mutuas, & non mutuas, cum ſermo ſit formalis, & non reſtrictus ad aliquam ſpeciem.

753. Fundamentum præcipuum huius concluſionis ex duobus pendet, quæ omnia relationi debent conuenire. Primum eſt, quòd inter relationem, & terminum formalem debet eſſe oppoſitio, quæ exerceri non poteſt reſpectu illius, quod eſt abſolutum in termino. Secundum eſt quod relatio debet eſſe ſimul natura cum ſuo termino formali, eſt autem prius natura quidquid abſolutum eſt in termino. Ex his duobus deducuntur duæ rationes, & prima ſic formatur. Nam relatio debet opponi relatiuè cum ſuo termino formali; ſed non poteſt opponi relatiuè cum abſoluto, quod eſt in termino; ſed cum ſola relatione: ergo terminus formalis non eſt abſolutum aliquid, ſed relatio. Maior eſt certa. Nam oppoſitio relatiua non poteſt exerceri inter alia extrema,

ma, niſi inter relationem, & eius terminum formalem. Et mi. prob. Quia oppoſitio relatiua, nihil aliud eſt quàm reſpectus vnius ad alterum, ita vt alterum terminet relationem illius, ad quod ipſum refertur: v. g. filius opponitur relatiuè Patri, quia terminat relationem Patris, ad quem ipſe etiam refertur; ſed terminare relationem, & ſimul referri non poteſt reperiri in abſoluto, quod eſt ex parte termini: ergo oppoſitio relatiua non poteſt reperiri inter relationem, & abſolutum, quod eſt in termino.

754. Si autem dicas in termino formali relationis includi, & rationem terminandi, & referendi rationem, & primam exerceri in abſoluto termini, & ſecundam exerceri per relationem, quod ſufficit ad oppoſitionem. In contra eſt. Nam formalis, & eſſentialis ratio oppoſitionis relatiuæ debet inueniri intra lineam ipſius relationis; ſed ratio eſſentialis oppoſitionis relatiuæ petit vtrumquè munus, & terminandi, & referendi: ergo ratio terminandi non exercetur formaliter per aliquid abſolutum, ſed per ipſam relationem. Maior eſt certa. Nam vnaquæquè oppoſitio inuenitur, quoad eius rationem eſſentialem intra illam lineam, in qua eſt oppoſitio. Et probatur mi. quia hæc eſt natura oppoſitionis relatiuæ, vt verſetur inter illa, quorum vnum refertur ad aliud, quod refertur ad ipſum, ſicut enim ad inuicem vnum refertur ad aliud, etiam ad inuicem vnum terminat reſpectum alterius, & hoc per eandem rationem, qua refertur, terminat, & illa, per quam terminat, refertur: ergo ratio eſſentialis oppoſitionis relatiuæ petit vtrumquè munus, & terminandi, & referendi. Ex quo manet impugnata ſolutio aliorum dicentium eſſe duplicem oppoſitionem, alteram terminatiuam, & hanc exerceri reſpectu termini quò ad abſolutum illius, & alteram relatiuam, quæ exercetur reſpectu relationis illius. Manet, inquam, impugnata. Nam vtraquè ratio terminandi, & referendi adæquatè conſtituit vnam ſpeciem oppoſitionis relatiuæ, ac proinde intra lineam relationis debet inueniri ratio terminandi, & referendi, ita vt terminare, & referri ſint duæ rationes inadæquatæ eiuſdem oppoſitionis: ergo ipſa relatio formaliter, & adæquatè accepta terminat, & refert, & conſequenter non eſt aſſignanda duplex oppoſitio, ſed vna, & eadem cum duplici ratione inadęquata pertinente ad lineam relationis.

755. Confirmatur, & explicatur principalis ratio. Nam ex parte vnius relatiui inuenitur fundamentum remotum, ratio fundandi, & ipſa relatio, verbi gratia, in Patre reperitur potentia generatiua, ipſa actualis generatio, & relatio, quæ reſultat. Et in altero correllatiuo eadem proportionabiliter reperiuntur, verb. grat. in filio ſua ſubſtantia, ipſa actualis generatio paſſiua, & relatio ſubſecuta: ſed potentia generatiua, & actio generandi reſpiciunt per relationem tranſcendentalem totum id, quod abſolutum eſt in filio: ergo relatio ipſa Paternitatis reſpiciet formaliter ipſam relationem filiationis, vt terminum formalem. Patet hæc conſequentia. Nam hoc modo proportionatur abſolutum relatiui cum abſoluto ſui correllatiui, & relatio vnius, cum relatione alterius: & ſicut in vno relatiuo id, quod abſolu-

ſolutum eſt, ſe habet ex parte materialis, ſeù fundamenti relationis, ita in ſuo correllatiuo id, quod abſolutum eſt, ſe habet ex parte materialis, ſeù fundamenti illius quod formaliter terminat. Vbi notandum eſt hanc noſtram principalem rationem æquè probare de relatione mutua, & non mutua, nam innititur in eo quòd relatio, vt relatio, petit oppoſitionem relatiuam, & hoc ęquè inuenitur in omni relatione, cum omnis petat prædictam oppoſitionem relatiuam.

756. Secunda principalis ratio deſumitur ex ſimultate naturæ qua gaudent relatio, & eius terminus formalis, ſed relatio non eſt ſimul natura cum abſoluto, quod reperitur in termino: ergo abſolutum non eſt terminus formalis relationis. Prob. mi. Nam prius intelligitur in fundamento ratio proxima fundandi, quàm ipſa relatio, & in termino prius intelligitur ratio proxima fundandi, quàm relatio ſubſequatur; v. g. in Patre priùs intelligitur generatio actiua, quàm relatio, & in filio priùs intelligitur generatio paſſiua, quàm relatio, imo poſita vtraquè generatione, actiua ex parte patris, & paſſiua ex parte filij, ſtatim reſultat paternitas in Patre, & filiatio in filio: ergo totum quod abſolutum eſt in filio, præſupponitur ad relationem patris, ſicut præſupponitur ad relationem filij, quæ eſt ſimul natura cum illa; & conſequenter Paternitas non eſt ſimul natura cum abſoluto filij.

757. Si dicas cum Patre Hurtado in metaph. diſp. 15. ſect. 7. §. 54. quod licet abſolutum termini ſit prius in ſua entitate, quam relatio, non tamen in ratione terminandi actualiter quia hæc ratio actualis termini eſt denominatio deſumpta à paternitate ad illud terminata, & ita paternitas, v. g. eſt ſimul natura cum entitate abſoluta termini quantùm ad rationem actualis termini. In contra eſt. Nam ſimultas naturæ, quæ inuenitur inter relatiua formaliter, debet eſſe quantum ad exiſtentiam, hoc eſt dicere, in illo inſtanti naturæ, in quo vnum habet eſſe, etiam habet & aliud: ſed hoc non ita verificaretur iuxta prædictam ſolutionem, ſiquidem terminus ſupponitur in ſua entitate ante relationem: ergo non ſaluatur ſimultas naturæ requiſita inter relatiua. Nec ſufficit illa ſimultas naturæ in ratione actualis termini; nam hac ratione omnis cauſa diceretur ſimul natura cum ſuo effectu, ſiquidem iſte non terminat actualiter ordinẽ cauſæ, ſeù influxum cauſæ, niſi dum cauſa exiſtit: at hoc falſum eſt dicere etiam reſpectu cauſæ, vt actu cauſans eſt. Quod ſic probo. Nam cauſa actù cauſans vere influit in effectum in actu, & effectus in actu verè pendet à cauſa in actu cauſante: ſed inter ea, quorum vnum ab alio dependet, non poteſt eſſe ſimultas naturæ: ergo inter cauſam etiã actu cauſantem, & eius effectum actù cauſatum non poteſt inueniri ſimultas naturæ: & quidẽ ipſe actualis influxus cauſæ in effectum, cum ſit ipſamet cauſatio, eſt ipſa met actualis depẽdentia, & ideo non põt in illa fundari ſimultas, ſed prioritas naturæ, ſeù dependentiæ: ergo ad noſtrum propoſitum deueniendo, relatio non poteſt dici ſimul natura cũ abſoluto, propterea quod in ipſa actuali terminatione ſit ſimul, & exẽplum adductũ à P. Hurtado de cauſa in actu cauſante eſt contra ipſum.

758. Secunda concluſio. Terminus formalis relationis non mutuæ nō poteſt conſtitui per illam extrinſecam terminationem relationis ad ipſum, ſed conſtituitur formaliter per relationem rationis, quæ eſt in ipſo termino. Hæc concluſio habet duas partes, & prima ſtatuitur contra illos authores ſupra relatos, qui confugiunt ad extrinſecam denominationem relationis, vt couſtituat terminum formalem relationis non mutuæ. Et probatur. Nam etiam ſi admittamus quòd prædicta relatio extrinſecè denominet terminum, v.g. relatio ſcientiæ denominet extrinſecè ipſum ſcibile, & relatio creaturæ denominet extrinſecè creatorem, tamen hæc extrinſeca denominatio nō poteſt cōſtituere terminum formalem illius relationis: ergo,&c. Probatur antecedens. Nam ad illam extrinſecam terminationem præſupponitur terminus formalis, ex eo enim quòd relatio terminetur ad ſuum terminum formalem, reſultat ipſum denominari extrinſecè à tali relatione, v. g. ex eo quòd relatio ſcientiæ terminetur ad ſcibile, denominatur ſcibile extrinſecè à relatione ſcientiæ; & idem inuenitur in denominatione extrinſeca reſultante ex terminatione ipſa relationis tranſcendentalis cuiuſcunq; potentiæ, habitus, vel actus: ergo per talem extrinſecam terminationem, ſeù denominationem non poteſt conſtitui formaliter terminus, ſed potiùs ad illam præſupponitur. Confirmatur, & explicatur hoc. Nam illa extrinſeca denominatio reſultat ex terminatione, quaſi paſſiua ipſius relationis ad terminum, ſicut extrinſeca denominatio viſi reſultat in pariete ex terminatione paſſiua viſionis ad ipſum: ſed illa quaſi paſſiua terminatio præſupponit terminum formalem, ſiquidem nullus ordo ſiuè tranſcendentalis, ſiuè prædicamentalis tendit niſi ad ſuum ſpecificatiuum formale, quod paſſiuè terminat talem ordinem: ergo talis extrinſeca denominatio, ſeù extrinſeca terminatio non conſtituit terminum formalem. Et ſanè hoc videtur difficile quòd eademmet relatio conſtituat ſuum terminum formalem ratione extrinſecæ terminationis ad materiale, hoc .n. modo facillimo negotio aſſignarentur obiecto formalia cuiuſcumquè potentiæ, habitus, & actus.

759. Secunda pars concluſionis mihi videtur probabilior inter alios modos dicendi, & defenditur à pluribus Thomiſtis. Et pr. ratione. Nam in termino formali cuiuſcumquè relationis debet aſſignari aliquid relatiuum, cum quo opponatur relatiuè ipſa relatio, & cum quo ſit ſimul natura, vt dictum eſt in probatione primæ concluſionis, ſed in termino relationis non mutuæ non poteſt poni relatio aliqua realis, vt ſupponitur, aliàs non eſſet non mutua, & illa extrinſeca denominatio proueniens à relatione in termino præſupponit terminum formalem, & aliàs nihil aliud reſtat aſſignandum, quod conſtituat terminum formalem, niſi relatio rationis reſultans in termino: ergo iſta aſſignanda eſt, vt formale conſtitutiuum termini relationis non mutuæ. Explicatur, & confirmatur hoc. Nam ex eo quòd ſcientia referatur ad ſcibile, intelligit intellectus ipſum ſcibile referri ad ſcientiam, & idē contingit in Deo, ex eo enim quòd Deus terminet relationem creaturæ ad ipſum, intel-

Digitized by Google

ſigit noſter intellectus Deum, vt relatum ad creaturas, & tunc reſultat relatio rationis tàm in ſcibili, quàm in Deo: ſed hæc relatio rationis poteſt conſtituere terminum formalem, cum ratione illius inueniantur omnia requiſita ad terminum formalem, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum in hac Conferentia infra §. 5. ergo illa eſt, quæ conſtituit terminum formalem relationis non mutuæ.

§. 3.

Proponitur primum argumentum, & explicatur, an dentur duo ſuprema genera relationis.

760. CONtra primam concluſionem eſt argumentum commune. Nam ſi relatio in communi terminatur ad relatiuum, ſequitur quòd in communi habeat terminum relatiuum. Pr. ſequela. Nam relatio in communi ſpecificatur à ſuo termino in communi, ſicut quęlibet in particulari à ſuò termino in particulari, ſed id, à quo ſpecificatur, eſt aliquid relatiuum, quod eſt terminus formalis illius: ergo in communi habet terminum relatiuum. Tunc ſequeretur dari duo ſuprema genera in hoc prædicamento. Et prob. Nam relatio eſt vnum ſupremum genus, & eius terminus in communi conſtituet aliud ſupremum genus: ergo ſi habet terminum in communi, erunt duo ſuprema genera. Nec valet ſi dicas relationem in communi non habere terminum ſibi correſpondentem in ſua generalitate, ſed ſatis eſſe illum habere in ſuis inferioribus. Non, inquam, valet. Nam relatio in ſua generalitate, prout abſtrahit à ſuis inferioribus debet ſpecificari ab aliquo, quod reſpiciat: ergo in ſua generalitate debet habere aliquem terminum, à quo ſpecificetur. Et vrgetur hoc. Nam in omni relatione inferiori præter ipſam relationem inuenitur in ſuo termino ratio formalis terminandi: ergo ſicut ab omnibus abſtrahitur ratio communis referendi, ita debet abſtràhi ratio communis terminandi.

761. Ad hoc argumentum diuerſimodè reſpondent Thomiſtæ aſſerentes omnem relationem terminari ad relatiuum, nam in aliorum ſententia non habet difficultatem argumentum. Prima ſolutio eſt, quæ aſſignata eſt, & impugnata in argumento, quæ probabilis eſt, ad cuius explicationem notandum eſt quòd relatio in communi conſideratur per modum cuiuſdam formæ, ratione cuius alia referuntur, & prout ſic concepta in actu ſignato per modum formæ non correſpondet illi in actu ſignato aliqua ratio communis termini, ſed ſufficit, vt quando ipſa inuenitur in ſuis inferioribus correſpondeat vnicuique ſuus proprius terminus. Ad 1. impugnationem reſpondeo ipſum ſpecificatiuum relationis in communi non eſſe aliquid in actu ſignato conceptum, ſed illam ſpecificari per modum formæ, & ſic per hoc, quòd faciat inferiora referri ad ſuos ſpeciales terminos. Ad id, quo vrgetur hæc impugnatio, reſpondeo

quòd ab omnibus relationibus abſtrahitur conceptus relationis, ſeù reſpiciendi terminum, non tamen eſt neceſſarium abſtrahere rationẽ cõmunem termini ad ſpecificandam relationem, nam ſufficit quòd in inferioribus vnaquæque relatio habeat ſuum terminum. Sed inquires, an ſaltim poſſimus abſtrahere talem rationem communem terminãdi, licet id non ſit neceſſarium, & an illa ſic abſtracta conſtituat aliud genus ſupremum diſtinctum à genere ſupremo relationis? Huic autem difficultati fiet ſatis in ſequentibus, in quibus addetur quod deficit huic ſolutioni, vt ſoluat vndequaque argumentum.

762. Secunda ſolutio docet quòd cum ratio formalis terminandi ſit de conceptu eſſentiali relationis, ſicut & ratio formalis referendi, ita vt relatio in ſuo eſſe ſpecifico conſtet ex duplici conceptu in adæquato, terminandi, & referendi, quando abſtrahitur relatio in communi, ratio illa abſtracta vtrumquè conceptum includit, ideoquè prædicta ratio ſic abſtracta conſtituit vnum genus ſupremum conſtans ex duplici illo conceptu inadæquato referendi, & terminandi. Et iſtum duplicem conceptum diuerſimodè aſſignant, nam aliqui dicunt vtrumque æquè primò pertinere ad conſtituendum genus illud ſupremum. Alij verò aſſerunt conceptum referendi per ſe primò conſtituere genus, & alterum conceptum terminandi pertinere reductiuè ad idem genus: de quo videatur Magiſt. Petronius in logica lib. 3. quæſt. 1. artic. 8. quæſtiunc. 1. 2. & ſequentibus, in quibus latiſſimè proſequitur doctrinam pertinentem ad hoc intentum.

763. Tertia ſolutio, vt probabilis defenditur ab eodem Magiſt. Petronio ibidem quæſtiuncula 5. Fatetur nullum inconueniens ſequi ex eo quòd relatio in communi habeat terminum correſpondentem ſibi in ſua generalitate. Et quòd adducitur de illo duplici genere ſupremo relationis, reſpondet neceſſariò aſſignanda eſſe duo ſuprema genera partialia, quæ conſtituant vnum ſupremum genus relationis, hæc autem partialia genera ſunt [relatiuum, & correlatiuum, ſeù relatio, & correllatio.] Et hoc eſſe dicendum infertur ex ipſa natura huius prædicamenti, [cuius totum ſuum eſſe eſt ad aliud] ac proinde debet eſſe aliquid, cuius totum ſuum eſſe ſit ad aliud, & hoc aliud, quod terminet reſpectum illius, & ſic id quod refertur dicitur relatiuum, & illud, quod terminat, eſt correllatiuum, & ex vtroque, vt ex partiali genere, conſtat hoc prædicamẽtum, propter ſpecialem modum illius, qui alteri prædicamento non competit, & idcirco non valet paritas deſumpta ex alijs prædicamentis, in quibus eſt vnum tantum genus non compoſitum ex pluribus partialibus.

764. Contra iſtam ſolutionem objicit Sanchez lib. 5. logica quæſt. 35. Primò. Nam illa duo genera, vel differunt eſſentialiter, vel non. Si non differunt, erunt idem eſſentialiter, & conſequenter non erunt duo, ſed vnum genus. Si differunt eſſentialiter: ergo habent diuerſas diffinitiones: ſed hoc eſt impoſſibile, quia quodlibet diffinitur, cuius totum ſuum eſſe eſt ad aliud, nec poteſt fingi alia diffinitio: ergo non ſunt duo genera. Secundò objicit. Nam quodlibet ex illis partialibus,

libus, vel prædicatur de omni contento in recta linea, vel non. Non poteſt dici hoc ſecundum, aliàs non eſſet ſupremum genus: ergo prædicatur de omni contento: ergo iſtud eſt ſupremum genus: Patet hæc conſequentia. Nam illud dicitur ſupremum genus, quod de omni contento in recta linea prædicatur. Et idem argumentum poteſt fieri de alio genere partiali: ergo non conſtituunt, vt partialia, vnum totale genus. Tertiò opponit. Nam quodlibet eorum determinat ens per modum relatiuum; ergo quodlibet eſt totale genus ſupremum. Quartò. Nam quodlibet eſt relatiuum formaliter, & vt tale diffinitur eſſentialiter: ergo non concurrunt, vt partialia ad conſtituendum vnum totale genus.

765. Has obiectiones adducit Mag. Petronius, & ſoluit ſatis probabiliter ad 1. dicit illa duo partialia genera concurrere partialiter ad conſtituendam vnam adæquatam eſſentiam generis ſupremi, & ideo nõ diſtingui eſſentialiter adæquatè, ſed inadæquatè, & vtrumq; intrare in adæquata diffinitione illius generis. ſ. [cuius totum ſuum eſſe eſt ad aliud] vbi inuenitur relatiuum, & correllatiuum, vt dictum eſt. Ad 2. reſpondet quòd illa quæ continentur in recta linea prædicamentali ſunt genera totalia, & ſpecies totales relationis, & prædicta omnia conſtant eſſentialiter ex relatiuo, & correllatiuo, quapropter genus ſupremũ, quod de illis prædicatur, conſtat etiam ex relatiuo, & correllatiuo, & illud, vt ſic adæquatè conſtitutum prædicatur totaliter de omni contento in recta linea, ſi accipiatur adæquatè. Ad 3. dicit quòd ens determinatur immediate per modum conſtitutiuũ huius prædicamenti, qui modus adæquatè conſtat ex relatiuo, & correllatiuo, & licet iſte modus relatiui immediatè determinet, hoc tamen eſt partialiter, & ſic non impedit ens determinari immediatè per modum correllatiui, & vterque modus partialiter concurrit ad conſtituendum vnum genus ſupremum relationis. Ad 4. reſpondet quòd quodlibet ex illis partialibus poteſt concipi, vt relatiuum, & vt correllatiuum, & ſecundum primam conſiderationem pertinet ad illud partiale genus relatiui, & ſecundùm aliam pertinet ad aliud partiale correllatiui, ideoque ſi accipiatur adæquatè vtrumque debet includere. Inter has autem ſolutiones mihi videtur probabilior prima, quæ communior eſt inter Thomiſtas, & deinde ſecunda iuxta primum modum ſtatuendi illum duplicem conceptum æquè primò pertinere ad eſſentiã generis ſupremi. Et tandem iſta vltima ſolutio etiam apparet probabilis.

§. 5.

Proponũtur alia principalia argumenta contra con. 1.

766. Arguitur 2 contra 1. con. Nam id, quod in vno relatiuo eſt proxima ratio fundandi relationem, eſt etiam proxima ratio terminandi alteram relationem; v. g. in relatiuis primi generis vnitas eſt proxima ratio fundandi relationem ſimilitudinis, & ſic albedo illam fundat reſpectu alterius, & hæc eadem albedo

bedo eſt proxima ratio terminandi relationem ſimilitudinis, & in relatiuis ſecundi generis generatio paſſiua eſt proxima ratio fundandi filiationem, & Pater terminatur ad filium, vt genitum paſſiuè: ſed proxima ratio fundandi relationem eſt aliquid abſolutum: ergo próxima ratio terminandi alteram eſt quid abſolutum. Minor eſt certa, & conſtat in exemplis adductis, & maior, in qua eſt difficultas, ſic probatur eiſdem exemplis. Nam vnum album non refertur ad aliud album, quia habet relationem ſimilitudinis, ſed quia habet albedinem, & eodem pacto aliud ideo terminat relationem ſimilitudinis, quia habet albedinem: ergo ſicut albedo eſt proxima ratio fundandi relationem, ita eadem albedo erit proxima ratio terminandi alteram relationem ſimilitudinis. Ita Petrus, v. g. qui eſt P. Pauli, refertur ad Paulum non alia ratione, niſi quia iſte eſt genitus ab ipſo Petro, & quia Petrus genuit, refertur vt Pater, & quia ille eſt genitus, refertur, vt filius; non tamen eſt ratio formalis quare Petrus refertur ad Paulum, quia Paulus refertur ad ipſum, cum vna relatio non ſit ratio alterius; ergo in his relationibus id, quod eſt ratio proxima fundandi relationem, eſt proxima ratio terminandi alteram.

767. Ad hoc argumentum, quo conuincitur P. Suarez diſp. 47. ſect. 16. nu. 14. reſpondeo negando maiorem, quam ipſe ſupponit, & non probat niſi prædictis exemplis. Ex quibus conſtabit noſtra doctrina. Et vt clarè procedamus diſtinguendæ ſunt illæ propoſitiones cauſales. Nam quando dicitur quòd ideo vnũ album refertur ad aliud, quia habent vnitatem in albedine, tunc ly [quia] dicit cauſam fundamentalem, ex qua conſurgit relatio, & in hoc ſenſu eſt vera propoſitio. Et ſimiliter iſtæ, ideo pater refertur quia genuit, & filius refertur, quia genitus, ſunt veræ in ſenſu cauſali dicente cauſam fundamentalem, quæ eſt quaſi efficiens relationem. Inſuper iſtæ cauſales ſunt veræ. Ideo album refertur quia habet relationem, & ideo Pater, quia habet Paternitatem, & ideo filius, quia habet filiationem, faciunt tamen iſtæ ſenſum formalem, ſicut ſi diceretur ideo Petrus eſt albus, quia habet albedinem, ly, quia dicit cauſam formalem. Quo ſuppoſito ad noſtrum intentum dico quòd proxima ratio fundandi relationẽ eſt proxima cauſa, ex qua reſultet formalis ratio terminandi, & ſic contingit in illis exemplis, in quibus prædictæ cauſales ſolùm dicunt cauſam proximam, ex qua reſultat terminatio formalis, quæ fit per relationem reſultantem. Et in hoc ſenſu explicandæ ſunt aliæ propoſitiones, in quibus dicitur aliquas relationes eſſe cauſæ, & effectus, vnitatis, & diuerſitatis, iſti enim modi loquendi explicant fundamentum proximum relationum, non autem rationem formalem referendi, aut terminandi.

768. Arguitur 3. principaliter. Nam poſito fundamento, & termino, ſtatim reſultat relatio, vt docet commune axioma: ergo terminus præſupponitur ad relationem reſultantem. Nec valet ſi dicas quòd debet intelligi de termino materialiter accepto, ita vt poſito iſto, & fundamento, ſtatim ſequatur relatio, qua conſtituitur terminus formalis. Non, inquam, valet hæc explicatio. 1. Nam etiam ſi ponatur termi-

terminus materialis non reſultat relatio, v. g. ſi in vno extremo ponatur albedo, quæ eſt fundamentum ſimilitudinis, & in alio extremo non ponatur albedo, ſed ſolùm ſit tale extremum, tunc ponitur terminus materialis, & tamen non reſultat relatio: ergo, &c. Non valet 2. Nam axioma illud intelligitur de fundamento proximo: ergo debet intelligi de termino non materiali; ſed formali, aliàs axioma non æqualiter intelligeretur.

769. Ad hoc argumentum reſpondeo: illud axioma ſic debet intelligi quòd poſito fundamento proximo in vno extremo, & ſimul in alio, ſtatim ſequitur relatio, v. g. poſita albedine in Petro, & Paulo, ponitur vnitas in albedine, quæ eſt fundamentum proximum ſimilitudinis, & ſtatim reſultat relatio, & eodem pacto poſita generatione actiua ex parte vnius, & paſſiua ex parte alterius, ſtatim reſultant Paternitas in vno, & filiatio in altero, dicitur autem vnum ex his extremis terminus alterius, & idcirco dicitur poſito fundamento, & termino, ſtatim reſultat relatio in vtroquè extremo, hoc eſt dicere poſita ratione formali fundandi relationem in vno, & proxima ratione fundandi formalem terminationem in altero, ſtatim ſequitur in vtroque relatio ipſa, ita vt vna dicatur relatio, & altera correllatio. Et hæc proxima ratio fundandi formalem terminationem dicitur terminus materialis. Et in hoc ſenſu eſt optima ſolutio aſſignata. Nec obſtant obiectiones poſitæ. Non Prima. Nam non intelligimus terminum materialem ipſum ſubiectum remotum, ſed fundamentum proximum, & hoc non inuenitur in caſu ibi poſito, ſed ſolùm ſubiectum valde remotum: proximum enim fundamentum terminationis formalis eſt vnitas in albedine, quæ ibi ſupponitur non eſſe. Item non obſtat ſecunda nam ſicut ad reſultantiam relationis requiritur fundamentum proximum, ita vt reſultet relatio terminans formaliter requiritur fundamentum proximum illius, & ita intelligitur axioma cum hac proportione, ſeù æqualitate de fundamento proximo, & de termino ſumpto pro proxima ratione fundandi formalem terminationem. Et iſte eſt ſenſus legitimus illius axiomatis.

§. 5.

Proponuntur argumenta contra ſecundam concluſionem.

770. Arguitur 1. ad probandum ſufficere ex parte termini relationis non mutuæ illam extrinſecam denominationem prouenientem à relatione reali exiſtente in altero extremo. Nam relatio realis exiſtens in vno extremo illud denominat realiter, & intrinſecè relatum, & alterum extremum denominat extrinſecè relatum, maximè in relationibus non mutuis: ſed hæc extrinſeca denominatio ex parte alterius eſt ſufficiens ad conſtituendum terminum formalem: ergo per illam ſic iſte conſtituitur. Minor conſtat. Nam illa extrinſeca denomina-

minatio conſtituit illud relatiuum, ſiquidem ex eo quòd terminet relationem realem, dicitur quod totum eius eſt ad aliud, & habet oppoſitionem relatiuam cum illo. Et maior, pr. 1. ex Ariſtotele lib. 5. metaph. cap. 15. vbi inquit, in relatiuis tertij generis, alterum extremum dici ad aliquid, non quia ipſum dicatur ad aliquid, ſed quia aliud dicitur ad ipſum; v. g. ſcibile non refertur ad ſcientiam niſi quia ſcientia refertur ad ipſum. In quibus verbis eſſet manifeſta implicatio, ait Colleg. diſcalc. ex Caietano, niſi ſenſus eſſet alterum extremum eſſe formaliter relatiuum, non à relatione ſibi inhærente, ſed à relatione exiſtente in alio extremo; & hoc ſufficere, vt illud ſit formaliter relatiuum ſecluſa quacumquè operatione intellectus. Prob. 2. ratione: Nam fieri poteſt, vt forma intrinſecè exiſtens in vno, denominet extrinſecè aliud, vt mille exemplis oſtendi poteſt in omni extrinſeca denominatione: ergo etiam fieri poteſt, vt relatio exiſtens intrinſecè in vno extremo, denominet extrinſecè aliud, & ſic relatio exiſtens realiter in ſcientia, denominabit extrinſecè ſcibile relatum.

771. Ad hoc argumentum reſpondeo negando maiorem, non .n. poteſt relatio extrinſecè terminari ad extremum, in quo non ſit formalis eius terminus, qua propter ſi in alio extremo non eſt altera relatio formaliter oppoſita, non eſt formalis eius terminus, & ideo ad illud non poteſt terminari nec extrinſecè relatio illa, terminatio .n. illa extrinſeca ſupponit id, quod conſtituit terminum formalem relationis, vt dicebamus in 2. concl. Ad 1. probationem deſumptam ex doctrina Ariſtotelis reſpõdeo illius mentem non eſſe quòd vna, & eadem relatione referantur ſcientia, & ſcibile, hoc enim impoſſibile eſt: ſed eſt ſenſus quòd fundamentum, & ratio quare reſultet relatio realis in ſcientia, & altera rationis in ſcibili, ſe tenet totaliter ex parte ſciẽtiæ. Nam cum ſcientia ſe habeat vt menſurabilis, & perfectibilis à ſcibili, refertur ad ipſum relatione tranſcendentali, & quia huiuſmodi relatio, & dependentia eſt in ipſa ſcientia, reſultat in illa relatio realis, & in ſcibili relatio rationis. Itaquè in ſumma eſt dicere, tota ratio, & cauſa vtriuſque relationis ſe habet ex parte ipſius ſcientiæ, & nullatenus ex parte ſcibilis, & ſic contingit in alijs relatiuis tertij generis ad differentiam aliorum primi, & ſecundi generis, in quibus ex parte vtriuſquè extremi eſt aliquid, ratione cuius reſultet relatio, & ideo in vtroq; extremo eſt realis. Ad 2. probationem reſpondeo ita verum eſſe: quòd forma in vno intrinſecè inhærens denominet extrinſecè aliud, at hoc intelligitur reſpectu illius, quod eſt capax terminandi talem formam; v.g. viſio denominat parietem viſum, quia in ipſo eſt ratio coloris, ad quem formaliter terminatur ipſa viſio; ſi autem in pariete non eſſet talis ratio coloris, non terminaretur ad ipſum viſio, ac proinde non denominaret illum nec extrinſecè viſum. Ita contingit in præſenti, nam ſi ab altero extremo auferatur relatio, aufertur ratio formalis terminandi, & ideo ad tale extremum, nec extrinſecè terminatur, nec illud extrinſecè denominat.

772. Arguitur 2. ad probandum non ſufficere relationem rationis ad conſtituendum terminum formalem rela-

relationis non mutuæ, & difficultas conſiſtit in duobus. Primum eſt quomodo relatio realis, qualis eſt non mutua, v.g. relatio ſcientiæ, poſſit terminari ad ens rationis, & ab illo ſpecificari, ſiquidem ſpecificatiuum non debet eſſe minoris perfectionis, quàm ſpecificatum. Secundum eſt. Nam relatio illa realis non mutua, v.g. relatio ſcientiæ, ad ſcibile, & creaturæ ad creatorem debet eſſe à parte rei, ita vt nullo intellectu conſiderante detur talis relatio, & conſequenter à parte rei debet dari terminus formalis, & ſpecificatiuus illius, hoc autem non poteſt dici de relatione rationis: ergo relatio rationis non conſtituit terminum formalem relationis realis.

773. Ad hoc argumentum, quantùm ad primum ex quo oritur difficultas, reſpondetur nullum eſſe inconueniens, quod ens reale ſpecificetur, vt à termino extrinſeco, ab ente rationis, conſtat hoc, & in logica, quæ eſt habitus realis, & nihilominus reſpicit ens rationis, vt ſpecificatiuum ſui, & in ipſa cognitione entis rationis, & maximè in ſententia aſſerente dari conceptũ proprium entis rationis, talis conceptus, & cognitio non haberent alium terminum ſpecificatiuum, niſi ens rationis. Ad ſecundum, in quo conſiſtit difficultas diuerſimodè reſpondetur à Thomiſtis. Aliqui dicunt quòd tunc relatio illa realis, quando non operatur intellectus, & conſequẽter non eſt ens rationis, habet ſolùm terminum materialem, & non formalem; & tunc terminatur ad illũ, & nõ ad iſtũ. Ita Sanchez, & alij. Sed hæc ſolutio non placet. Nam deficiente termino formali cuiuſcunquè relationis, ſiuè prædicamentalis, ſiuè tranſcendentalis, non poteſt terminari relatio ad terminum materialem, nam illum attingit, vt veſtitum termino formali, ſicut nulla potentia, habitus, vel actus poteſt tendere ad materiale, in quo non inuenitur formalis ratio ſui obiecti: ergo impoſſibile eſt, quòd ex parte termini relationis ſit ſolùm materiale, & non ratio formalis termini, & nihilominus relatio terminetur ad talem terminum. Ex quo, meo videri, manet impugnata alia ſolutio aſſerens, quòd relatio illa realis reſpicit terminum, qui fundamentaliter proximè eſt terminus, & in ratione vltimi ſiſtit ibi reſpectus, ſed non in ratione oppoſiti: & hoc modo ſaluat relationem illam non eſſe interminatam. Ita Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma quæſt. 17. artic. 5. ad. 1. Manet, inquam, impugnata. Nam impoſſibile eſt, quod relatio ipſa tendat ad fundamentum proximum ex parte termini, niſi ibi ſit formalis ratio oppoſitionis relatiuæ. Si enim formalis terminus, & ſpecificatiuus eſt ipſa formalis relatio, in qua exercetur oppoſitio, & conſequenter ratione illius fundamentum proximum conſtituitur in ratione termini formalis, eſt implicatio quòd terminetur ad fundamentum proximum, in quo talis formalis ratio termini non inuenitur. Et quidem licet in termino formali diſtinguatur illa duplex ratio vltimi, & oppoſiti, tamen vtraquè eſt de linea relationis maximè in ſententia aſſerente relationes non mutuas terminari ad relatiuum, in hoc debent diſtinguere vltimum formaliter, & oppoſitum formaliter: ergo ſi relatio oppoſita non eſt in termino,

non poteſt relatio non mutua ad ipſum terminari, neque vt ad vltimum, nequè vt ad oppoſitum.

774. Alij autem, vt ſoluant hoc argumentum, recurrunt ad probabilem ſententiam illorum, qui aſſerunt ens rationis exiſtere actù, poſito fundamento proximo, etiam ſi intellectus nihil actù operetur. Alij verò dicunt quod licet ens rationis actù non exiſtat, quia tamen exiſtit eius fundamentum proximum, eſt ſufficiens ratio, vt præbeat ſuum effectum formalem, & actù denominet. Quæ doctrina colligitur ex Mag. Ioan. à Sancto Thoma in log. q. 2. art. 4. §. [vnde] & ad hoc ipſum intentum eam affert Mag. Petronius in logica lib. 3. q. 1. art. 6. qla. 1. & 2. His omiſſis ſolutionibus, quia pendent ex alijs doctrinis, de quibus iam ſupra à nobis dictum eſt, reſpondeo ad argumentũ principale quód dùm intellectus actù nõ conſiderat terminum relationis non mutuæ, vt ordinatum, ſeù relatum ad alterum extremum, ex qua conſideratione reſultat relatio rationis oppoſita, non conſurgit relatio realis prædicamentalis, & hoc prouenit ex defectu termini formalis. Itaq; ſcientia refertur ad ſcibile à parte rei, nullo intellectu conſiderante, at huiuſmodi relatio eſt tranſcendentalis, nam prædicamentalis non conſurgit, niſi intellectus formet alteram ex parte termini. Et eodem pacto creatura non refertur per relationem prædicamentalem, niſi ſit in Deo formalis relatio dominij, quæ eſt relatio rationis, refertur tamen ſemper per relationem realem tranſcendentalem, quæ eſt propria entitas creaturæ, vt dependens à creatore. Nec eſt inconueniens relationem realem prædicamentalem exigere ad ſui eſſe exiſtentiam alicuius entis rationis. Nam relatio tranſcendentalis ſcientiæ ad obiectum, eſt magis perfecta, & in noſtra ſententia ſpecificatur ab ente rationis.

§. 6.

Proponitur vltimum argumentum, & explicatur modus ſpecificationis relationis.

775. HVcuſquè remiſimus hoc argumentum, vt ſumpta occaſione, explicemus modum, quo vnum relatiuum ſpecificatur ab alio. Et ſic formatur argumentum. Nam relatio ſpecificatur à ſuo termino formali, ſed non poteſt ſpecificari à ſuo correllatiuo formaliter: ergo non terminatur ad illud formaliter. Maior ſupponitur, vt certa. Et probatur mi. Nam quælibet res dependet in ſuo eſſe ſpecifico à ſuo ſpecificante, per quod eſſentialiter diffinitur, & nulla eſt maior dependentia, quàm diffiniti à ſuo diffiniente eſſentialiter, & ſpecificati à ſuo ſpecificante: ſed relatio non dependet à ſuo correllatiuo formaliter, nam relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione, quæ ſimultas non compatitur dependentiam vnius ab altero: ergo relatio non poteſt ſpecificari à ſuo correllatiuo formaliter. Confirmatur hoc. Nam omne ſpecificans, vt tale, ſe habet vt cauſa reſpectu ſpecificati; ſpecificans enim dat eſſe

ſpeci-

Digitized by Google

ſpecificatò, in quo conſiſtit ratio cauſæ: ſed vnum relatiuum formaliter non eſt cauſa alterius: ergo nō poteſt ſpecificare alterum, & conſequenter non poteſt eſſe term nus formalis illius.

776. Ad hoc argumentum ſoluendum, explicanda nobis eſt ſpecificatio relationis, circa quam varij ſunt modi dicendi inter Thomiſtas, nam aliqui dicunt relationes ſpecificari à ſuis fundamentis, & nullatenus à terminis. Ita Flandria, Nazarius, Caietanus, & Bañez relati à Collegio Complutenſi diſp. 14. q. 7. num. 82. alij verò dicunt ſpecificari à ſolis terminis. Ita Soncinas, & Araujo adducti ab eodem Collegio ibidem num. 83.: Alij autem dicunt ſpecificationem ſumi & à fundamentis, & terminis. Ita Maſſius, Sanchez, & Salablanca, quos refert, & ſequitur Colleg. diſcalc. ibid. nu 84. Inter hos autem eſt diuerſitas in modo quo concurrunt fundamentum, & terminus ad prædictam ſpecificationem, de quo videatur dictum Collegium diſcalc. ibid. nu. 85. & Mag Ioa. à S. Tho. qu 17. art. 6. In qua re exiſtimo ad ſpecificationem relationis vtrumq; concurrere, & fundamentum, & terminum formalem. Et ratio eſt. Nā relatio eſt reſpectus ortus ex fundamento in ordine ad terminum, ita vt tota entitas illius ſit à fundamēto in ordine ad terminū, ac proinde petit eſſentialiter fundamentum, ex quo oriatur, & terminum, in ordine ad quem ſit totum eius eſſe: ergo ab vtroquè ſumit ſpeciem. Diuerſimodè tamen. Nam à fundamento oritur, vt à cauſa efficiente, & ſic in hoc genere cauſæ ſpecificatur ab illo, at reſpicit terminum, vt purè terminum, eo quòd ſicut relatio eſt purus reſpectus, ideò eius terminus debet eſſe purè terminus, ideſt, ita exercet munus terminandi, vt nullum aliud munus cauſæ exerceat, quapropter ly, purè, debet intelligi in ſenſu excluſiuo excludente omne aliud munus præter terminare, ſicut relatio excludit aliud munus præter reſpicere. Specificat igitur terminus, vt purè terminus, ipſam relationem, quæ eſt purè reſpectus, in quo modo ſpecificandi nulla cauſalitas interuenit, ac proinde relatio ſpecificatur à termino, vt ab ſpecificatiuo formali, ſecluſa omni cauſalitate. Et ideo aliqui dicunt, quòd non eſt dicendum relatiuum diffiniri per aliud, ſed ad aliud: nam ly, per, denotat cauſalitatem, & ly, ad, dicit ſolùm reſpectum.

777. Quo ſuppoſito ad argumentum principale facilis eſt ſolutio. Nam ſtat optimè eſſe ſpecificationem abſque omni dependentia, vel cauſalitate, vt dictum eſt, & ideo terminus formalis relationis dat illi eſſe, & ſpecificat in ſuo ordine per hoc præcisè quod purè terminet relationem. Tota autem cauſalitas ſe tenet ex parte fundamenti, à quo accipit relatio ſuam realitatem, & ab illo dependet eſſentialiter. Et per hoc etiam patet ad confirmationem. Ex qua doctrina conciliantur diuerſa teſtimonia D. Thomæ, qui aliquando docet relationes conſtitui, & diſtingui pœnes fundamenta, & aliquando conſtitui, & diſtingui per terminos, & vtrumque eſt verum in ſuo ordine, vt dictum eſt.

CONFERENTIA 6.

Circa vltima prædicamenta reſoluuntur aliquæ difficultates.

§. 1.

Explicatur id quod in hac conferentia tractatur.

778. BReuiter tractant authores de ſex vltimis prędicamẽtis, eo quòd non ſunt circa illa aliquæ difficultates magni momenti, & ſi quæ ſunt pertinent ad alia loca, vt multę circa actionem, & paſſionem pertinent ad lib. 3. phyſic. Et ſic de alijs circa vbi, & quando. Qua ratione nihil diſputamus circa qualitatem, quia principales difficultates pertinent, tùm ad metaphyſicam, tùm ad libros de generatione. Nihilominus ſuppoſita doctrina ſupra tradita de his ſex vltimis prædicamentis, intendimus in præſenti examinare aliquas difficultates, & primò circa illa ſex in communi; deinde circa aliqua in particulari.

§. 2.

Explicatur an ſex vltima prædicamenta ſint extrinſecæ denominationes.

779. PRima difficultas, quæ ſe offert examinanda, eſt circa conſtitutiuum illorum. In qua ſunt diuerſæ ſententiæ. Prima aſſerit conſtitui per aliquid abſolutum cum reſpectu, v. g. Vbi dicit locum cum reſpectu ad locatũ. Secunda docet conſiſtere illorum eſſentiam in ſolo reſpectu fundato ſuper modos corporales ad differentiam relationis prędicamentalis, quę fundatur ſuper res abſolutas ſiuè corporales, ſiuè ſpirituales. Tertia affirmat prędicta prædicamenta eſſe ſolas extrinſecas denominationes, v. g vbi nihil aliud eſt quàm extrinſeca denominatio locati à loco. Quarta aſſignat aliquid abſolutum, & intrinſecum, vt conſtitutiuum cuiuſcunque ex his ſex vltimis prædicamentis. Has quatuor ſententias refert Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma ex doctrina Caietani.

780. Inter quas quarta, & vltima tenẽda eſt cum cõi Thomiſtarũ. Itaq; aſſerit qd actio eſt aliquid, quo agens intrinſecè dicitur agens, ſi actio tranſiens eſt in agente, & ſi eſt in paſſo eſt aliquid egrediens ab agente, quod tranſit in paſſum, & paſſio eſt id, medio quo ſubiectum dicitur intrinſecè recipiens terminum actionis. Item Vbi non eſt locus, ſed aliquid relictum in corpore ex applicatione loci ad corpus, ratione cuius dicitur corpus intrinſecè præſens. Inſuper Quãdo, non eſt tẽpus, ſed aliquid relictùm in re durãte ex applicatione temporis ad ipſã. Et ſic de Situ, & Habere, quæ ſunt aliquid intrinſecum in rebus ipſis denominatis. Et probatur ratione communi Thomiſtarum. Nam ſi ſolùm aſtruantur extrinſecæ denominationes, non poſſunt diſtingui diuerſa prædicamenta: ergo ne deſtruatur numerus prædicamentorũ, aſſignandum eſt vnicuiquè aliquid intrinſecum. Probatur antecedens. Nam extrinſeca denominatio prouenit ab aliqua forma, quæ intrinſecè

ſecè denominat vnum, & extrinſecè aliud: ſed totum hoc eſt vnicus effectus formalis eiuſdem formæ: v.g. viſio denominat videntem,& viſum, & hoc fit vnico effectu formali, & ſimiliter locus, qui eſt ſuperficies, denominat rem extenſam,& corpus, quod continet, denominat extrinſecè locatum: ſed ex præciſa ratione extrinſecæ denominationis, non poteſt conſtitui diuerſum prædicamentum, ſiquidem eſt idem effectus formalis in vtraq; denominatione: ergo ſi ſolæ extrinſecæ denominationes aſſignantur, non poſſunt diſtingui diuerſa prædicamenta, ſeù diuerſa genera rerum. Hoc autem confirmat, & explicat Mag. Ioan. à Sancto Thoma ex diuerſitate denominantis extrinſeci. Nam aliquando denominat ſe ipſo immediatè, ſine aliqua mutatione, vt contingit in viſione,qua denominatur res viſa, & tunc nihil reale mediat, ſeù relinquitur in re viſa ex terminatione viſionis. Aliquando verò denominans denominat mediãte aliqua applicatione ſui ad alterum,ex qua applicatione relinquitur aliquid reale, & intrinſecum in re, cui applicatur, hoc autem, quod relinquitur ex applicatione diuerſi extrinſeci, conſtituit diuerſum prædicamentũ: v. g. ex applicatione loci ad locatum relinquitur præſentia realis, & intrinſeca, quæ conſtituit prædicamẽtum, Vbi, & ſic de alijs cum proportione dicendum eſt. Cui doctrinæ fauet D. Thomas relatus à Colleg. diſcalc & à Mag. Ioan. à Sancto Thoma, qui docet talia prædicamẽta eſſe determinata ad aliquod genus rerum, & eſſe aliquid medium relictum ex adiacentia alicuius extrinſeci. Ex quo ſequitur præfata prædicamenta non conſtitui per relationem aliquam, aliàs non conſtituerent diuerſa prædicamenta; dicunt tamen aliquem reſpectum tranſcendentalem, qui ſit de linea abſoluta, & ideo decipiuntur exiſtimantes iſtum eſſe relationem, cum ſit quid abſolutum.

781. Contra hanc ſententiam obſtant teſtimonia aliqua D. Thom. Nam lib. 3. Phyſic. lect. 5. & lib. 5. Metaph lect. 9. docet hæc vltima prædicamenta diſtingui pœnes diuerſum modum extrinſecum prædicandi, illaquè ab aliquo extrinſeco deſumi. Item 1. p. q. 110. artic. 3. ſic docet. [Mobile ſecundũ locum, non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi, ſed ſolum ad aliquid extrinſecum, ſ. locum] Itẽ lib. 1. contrag. cap. 3. ſic ait. [aliquãdo denominatur aliquid ab eo, quod eſt extra ipſum, vt à loco dicitur aliquid eſſe alicubi.] Ex quibus conſtat quòd D. Thomas ſolùm agnouit denominationes extrinſecas in his ſex vltimis prædicamentis. Et idem probatur ratione. Nã entitates non ſunt multiplicandæ ſine neceſſitate, ſed ex ſola dependentia à forma extrinſeca ponuntur effectus formales, ſeù denominationes horum prædicamentorum: ergo aliæ entitates intrinſecę ſuperfluũt. Probatur mi. Nam quando applicatur locus ad locatum, tunc locus ſe habet per modum formæ denominatis corpus locatum, & pręſẽs loco, eſſe autem locatum, & præſens eſt effectus formalis, ſeù denominatio prædicamenti, vbi, & ſic in alijs ex ſola forma extrinſeca reſultat effectus formalis proprius vniuſcuiuſq;: ergo talis extrinſeca habitudo ſufficit ad effectũ formalẽ vniuſcuiuſq;.

782. Ad hoc argumentum reſpondeo D. Thomam loqui ibidem

de

de illis ſex vltimis prædicamẽtis, ea parte, qua ſumũtur ab aliquo extrinſeco denominante, & hac ratione illa diſtingui, nõ tamen negat præter habitudinẽ illã extrinſecã relinqui aliquid intrinſecum. Et ſic eſt intelligendus in verbis adductis ex lib. 1. contrag. Nã ita eſt quod aliquando poteſt aliquid denominari ab aliquo extrinſeco, at multoties ex applicatione talis denominantis reſultat aliquid intrinſecũ in re denominata, vt dictum eſt. Ad aliud teſtimoniũ dico ibi D. Thom. intendere diſtinguere motũ localẽ ab augmentatione, & alteratione, quantùm ad hoc quòd illi duo motus tendunt ad aliquid omnino intrinſecũ, v.g. augmẽtatio tendit ad quantitatẽ, & alteratio ad qualitatem, quæ non depẽdent ab aliquo extrinſeco, nec per tales motus mobile cõiungitur alicui extrinſeco. At motus localis, licet tendat ad aliquid intrinſecum, quia tamen iſtud dependet ab extrinſeco loco, cui coniungitur mobile per talem motum, ideo dicitur quòd mobile, ſecundum locum, non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum. Ad rationem reſpondeo prædictam extrinſecam denominationem non ſufficere. Nam effectus formalis debet eſſe talis, qualis requiritur, vt conſtituatur diuerſum prædicamentum, quod vt ſic non poteſt conſtitui ex ſola extrinſeca denominatione, vt dictum eſt. Præterquam quòd ex applicatione talis denominãtis extrinſeci debet reſultare aliquid denominans per modum formæ, vt poſſit etiam conſtituere diuerſum prædicamentum, vt etiam dictum eſt.

§. 3.

Explicatur an actiones immanentes pertineant ad prędicamentum actionis, vel qualitatis.

783. Vocantur actiones immanentes, quia manent in ipſo agente, & nihil ad extra producunt, quales ſunt omnes actiones vitales intellectus, voluntatis, & aliorum ſenſuũ tàm interiorũ, quàm exteriorum. Et de his ſolet eſſe dubium an pertineant ad prædicamentum actionis, vel qualitatis. Circa quod. Prima ſententia docet pertinere ad prædicamentum actionis, quã defendunt Conimbricenſes, & Fonſeca relati à M. Araujo lib. 5. metaph. q. 9. art. 3. Et Pater Rubio lib. prædicam. cap. 3. de actione. Eandem exiſtimat valdè probabilem Colleg. Complut. diſcalc. diſp. 16. q. 2. nu. 13. intellectam de illis actionibus immanentibus, quæ verè producunt terminum, ſecus autẽ de illis, ſi quæ ſunt, quę non producunt terminũ. Mag. Ioa. à S. Thoma docet actionem immanentẽ, vt immanentem non eſſe actionem formaliter prædicamenti actionis, ſed tantùm virtualiter, quatenus virtualiter dicit productionem, quod non conuenit omni actioni immanenti. Secunda ſententia docet tales actiones pertinere ad prędicamentũ qualitatis. Hanc defendit Mag. Araujo iam relatus, & refert pro eadem Caietanum, Capreolum, Ferrariã, Soncinatem, Iabellum, Herbeum, Scotũ, & plures Scotiſtas: Et ſequitur Mag. Ioa. à S. Thom. vbi ſupra. Qui omnes docent ad prædicamẽtum actionis ſolùm pertinere illas actiones, quæ fiunt cum motu, vel mutatione. Mag. Petronius vtramquè, vt probabilem defendit lib. 4. q. 1. art. 3.

784 Hæc

Digitized by Google

784. Hæc autem ſecunda ſententia eligitur à nobis, vt probabilior in Schola Thomiſtarũ. Cuius ratio à priori optimè deducitur à Magiſt. Ioan à S. Thom. ex doctrina, quam tradit D. Tho. 1. p. q. 34. art. 1. & 3. vbi ait [quod intelligere, vt diſtinguitur à dicere, quod eſt producere verbum, ſolùm importat habitudinẽ intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, ſed ſolùm informatio quædã in intellectu noſtro, prout intellectus noſter fit in actu per formã rei intellectæ.] Ex quibus formatur ratio. Nam actio, quæ pertinet ad ſpeciale prædicamentum, eſt illa, ex qua aliquid deducitur, ſeù originatur, id eſt, eſt illa, quæ eſt vera productio; ſed actio immanens, prout immanẽs non eſt vera productio, nec ex ipſa aliquid originatur, vt docet D. Tho. ſed ſe habet, vt actus informans potentiam: ergo actio immanens non pertinet ad hoc ſpeciale prędicamẽtum. Maior conſtat ex ipſa natura huius prædicamenti, prout explicatur communiter, nec aliter poteſt intelligi cõſtitutum, & diſtinctum hoc prædicamentũ. Et vrgetur hoc. Nã ſi actio immanens conſideretur, vt actus ſecundus informans potentiam, pertinet ad prædicamẽtum qualitatis, nam prout ſic diſponit potentiã, vt benè, vel malè ſe habeat in ordine ad ſuam naturam, quæ eſt propria ratio qualitatis, quæ eſt diſpoſitio in prima ſpecie: ergo eademmet actio non poteſt pertinere ad prædicamẽtum actionis: Patet cõa. Tùm quia actio immanens, vt immanẽs, ſolùm eſt actus informans pōam. Tũ quia eadem res non poteſt conſtitui in diuerſis prædicamentis, de quo dictum eſt ſupra: nec ſufficit diſtinctio formalis. Nam ibidem probauimus requiri diſtinctionẽ realẽ entitatiuã.

785. Cõtra hãc ſententiã obſtat. 1. teſtimonium Ariſtot. qui loquens de actione prædicamentali, illã diuiſit in tranſeuntem, & immanentem, vt in præſenti capite refertur à P. Rubio. Obſtat 2. Nam actio immanẽs procedit ab intellectu, v. g. qui eſt potentia ad agendum: ergo ipſa eſt vera actio, ſiquidẽ ratione illius potentia dicitur agens; ergo pertinet ad prædicamentum actionis. Patet hęc vlt. cõa. Nam conſtitutiuũ huius prędicamenti eſt ratio actionis: ergo ſi immanens eſt verè actio conſtituẽs potentiam agentem, pertinebit ad prædicamentum actionis. Obſtat 3. Nam à quacunq; eſſentiali cõueniẽtia eſt abſtrahibilis aliquis cõceptus cõis, ita vt ſi eſt conuenientia ſimpliciter, abſtrahatur vnus conceptus vniuocus pertinens ad idem prædicamentum: ſed actio immanens ita eſt ſimpliciter actio ſicut actio tranſiens: ergo ab vtraq; eſt abſtrahibilis vnus conceptus vniuocus actionis pertinens ad idem prædicamentum actionis. Tandem obſtat 4. Nam aliquæ ſunt actiones immanentes, quæ ſunt veræ productiones: ſiquidem omnis intellectio creata producit verbũ, ſeù conceptum mentis: ergo ſaltim iſtæ pertinebunt ad prædicamentum actionis, in quo collocantur illæ actiones, quæ ſunt productiones.

786. Ad hoc argumentum dico Ariſtot. loquutum fuiſſe de actione in latiori ſignificatione, & in hac diuiſiſſe illam in tranſeuntem, & immanentem, non autem fuiſſe loquutum de actione prædicamentali. Ad 2. reſpondeo non ſufficere ad rationem actionis prædicamentalis quòd ſit actio conſtituens, vt cumq; agens, ſed vltra exigitur quòd ſit formaliter pro-

ter pro-

ter productiua ad extra. Ad 3. dico quòd in ratione actionis non conueniunt niſi analogicè tranſiens, & immanens, eo quòd inter ſe dicunt aliquam proportionem, non autem omnimodam cõuenientiam. De quo videatur Mag. Araujo vbi ſup. nu. 16. Ad 4. dico actiones immanẽtes eſſe virtualiter productiones, & ſic virtualiter pertinere ad prædicamentum actionis, non autem formaliter, quia, vt immanentes non ſunt formaliter actiones productiuæ, vt dicebamus.

§. 4.

Explicatur an in prædicamento, Vbi, ponatur etiam vbi Angelicum.

787. SVppono quòd vbi diuinũ, quo Deus dicitur eſſe vbiquè, non pertinet ad prędicamentum, ſicut nec ſubſtantia diuina, nec aliud prædicatum diuinum. Et inquiro an in prædicamentò ponatur ſola præſentia corporalis, an verò etiam ſpiritualis competens angelis. In qua difficultate. Prima ſententia docet ſolam præſentiã corporalem poni in hoc prædicamento. Secunda aſſerit corporalem, & ſpiritualem ad idem prædicamẽtum pertinere. Authores autem refert Magiſt. Araujo lib. 5. metaph. qu. 7. artic. 2. Mihi autem videtur dependere huiuſmodi reſolutio ex modo conſtituendi Angelos in loco. Si enim conſtituantur per actionem, ſeù potentiam operatiuam applicatam, quæ dicitur applicatio virtutis, ita vt nulla alia præſentia reſultet, ſed ſolùm Angelus dicatur præſens per modum agentis, tunc huiuſmodi præſentia non pertinet ad hoc prædicamentũ. Et in hoc ſenſu loquuntur Thomiſtę excludentes illam à tali prædicamento, in quo etiã loquitur D. Thomas 1. p. q. 52. art. 1. dicens Angelos æquivocè eſſe in loco. Si autem præter actionem, ſeù applicationem virtutis, quæ ſe habeat per modum contactus, ponatur alia forma reſultans, ratione cuius Angelus dicatur formaliter præſens, tunc huiuſmodi forma, qua Angelus dicitur formaliter præſens, pertinebit ad hoc prædicamentum, nam eſt vbi diffinitiuum conueniens vniuocè cum vbi corporeo, & nihil deficit, vt in hoc prædicamento ponatur. Ego autem aliquando exiſtimaui dari huiuſmodi formam reſultantem ex applicatione virtutis Angelicæ, modò autem nihil determino, ſed illud relinquo determinandum ſuo loco. Aliæ difficultates circa vbi poterant hic moueri, & maximè an ſufficiat vnum vbi ad denominandum totum corpus, & omnia in eo contenta vbicata, an vero præter vbi conueniens ſubſtantiæ, dentur alia propria vniuſcuiuſque accidentis. Cui reſpondeo cum communi Thomiſtarum ſufficere vnicum vbi primò, & per ſe vbicans totum corpus, & quaſi mediatè, & ſecundariò alia. Nam ſicut vnus motus localis mouet totum corpus, ita vnum vbi conſtituit in loco totum corpus: recipitur autem vbi immediatè in quantitate, quæ eſt ratio proxima recipiendi accidentia materialia. Et hæc ſufficiant de toto iſto tractatu.

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATVS SEXTVS.

De Demonſtratione,

Proœmium.

CORRESPONDET hic tractatus libris, quos Ariſtoteles vocauit de Poſteriori reſolutione, de quorum doctrina quantùm ad regulas, & præcepta requiſita ad conficiendam demonſtrationem, & alia plura conducentia tàm ex parte præmiſſarũ, quàm concluſionis, & effectus cauſati, nempè ſcientiæ, & diſtinctionis iſtius ab alijs habitibus, ſatis ſuperquè dictum eſt à nobis ſupra à numero. 183. in breuem ſummam redigendo quæ latiſſimè tradit Mag. Soto. Nunc autẽ ſe offerunt diſputandæ aliquæ difficultates, & in primis circa prẹmiſſas examinandum eſt quomodo cõcurrant ad concluſionẽ. Deinde, vt explicentur conditiones requiſitæ, vt aliqua veritas ſit demonſtrabilis, tractandum eſt an prima paſſio poſſit demonſtrari de ſuo ſubiecto immediato. Et tandem quia effectus demonſtrationis eſt ſcientia, proponentur aliæ quæſtiones circa ſpecificationem, diuiſionem, & diſtinctionem illius ab alijs habitibus.

CONFERENTIA. I

Vtrum Præmiſſæ demonſtrationis concurrant effectiuè ad concluſionem, & an neceſſitent intellectum ad aſſenſum illius.

§. I.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

788. DVæ quæſtiones ſimul proponuntur circa modum, quo concurrunt præmiſſæ ad concluſionem, altera de influxu præmiſſarum in concluſionẽ, an ſit in genere cauſæ efficientis

Digitized by Google

vel in quo alio. Altera an neceſſitent intellectum ad aſſenſum cõcluſionis. De prima dicemus priùs, & deinde de ſecunda, & de vtraq; breuiter. Quantùm ad primam notãdum eſt quòd præmiſſæ aliæ dicuntur formales, & ſunt ipſi actus intellectus, quibus intellectus attingit veritates illas primas, immediatas, &c. aliæ verò ſunt præmiſſæ obiectiuę: nempè ipſæ veritates, quæ attinguntur per præmiſſas formales. Et tã de iſtis, quàm de illis eſt diuerſitas ſententiarum. Nam aliqui dicunt præmiſas formales, & obiectiuas non habere alium influxũ in concluſionem, prҿter formalẽ, ita vt obiectiuæ influant formaliter extrinſecè, eo modo quo obiectum concurrit ad actũ, & formales etiam concurrant formaliter determinando intellectum, & quia intrinſecè inhærent intellectui, dicuntur aliquando cauſæ formales intrinſecæ; alij verò totũ attribuunt præmiſſis obiectiuis, & dicunt formales deſeruire, vt applicationem illarum ad influendum. Alij autem per aliud extremum dicunt præmiſſas formales, & obiectiuas concurrere efficienter ad aſſenſum cõcluſionis. Tandem alij affirmant præmiſſas obiectiuas concurrere formaliter extrinſecè eo modo, quo obiectum concurrit ad ſpecificãdum actum, & præmiſſas formales coucurrere effectiuè ad aſſenſum concluſionis. Et hæc vltima ſententia eſt communis inter Thomiſtas.

§. 2.

Prima difficultas re. ſoluitur.

789. PRo reſolutiòne veritatis ſit Prima concluſio. Præmiſſæ obiectiuæ influunt in concluſionem ſolùm formaliter extrinſecè, & ſola cauſalitate obiectiua, licet poſſit probabiliter defendi aliquomodo efficienter influere in cõcluſionem. Hæc concluſio, quoad primam partẽ communiter defenditur. Et pr. vnica, & efficaci ratione. Nam præmiſſæ obiectiuę ſunt ipſa obiecta, quæ terminant actus intellectus, qui dicũtur prҿmiſſę formales, ſed influxus obiecti in actum eſt influxus formalis extrinſecus, qui dicitur obiectiuus, eo quod obiectum obiiciendo ſe potentiæ terminat actum illius, & hoc modo determinat, & mouet ad aliũ quemcunquè actum eiuſdem intellectus; ergo prҿmiſſæ obiectiuæ nõ gaudẽt alio influxu præter formalẽ extrinſecum, qui dicitur obiectiuus. Qua ratione ductus in ſummulis tract. 2. de ſignis Cõf. 16 n 151. iudicaui probabiliorem ſentẽtiam docentẽ ſignum nullã efficientiã exercere. Eadẽ concluſio, quòad. 2. partẽ ſatis cõſtat ex dictis in illa Conf. à n. 152. vbi defenſaui probabiliter ſignũ formaliter, vt ſignum, ideſt, vt obiectum medium, exercere aliquã efficientiã, non reſpectu actus, qui ad ipſum terminatur, ſed reſpectu actus, qui terminatur ad ſignatum, eo quod reſpectu primi ſolum ſe ha-

Digitized by Google

habebat vt obiectū terminans illum, & reſpectu ſecundi ſe habebat, vt determinans intellectum ad illum. Quæ doctrina ibi latè eſt proſequuta, & poteſt eadem probabilitate applicari ad hoc intentum dicendo, quòd præmiſſæ obiectiuæ, quia ſolum terminant actus, qui dicuntur præmiſſæ formales, reſpectu horū, exercet ſolam cauſalitatem entrinſecam formalem. Cæterùm quia ipſæ determinant intellectum ad illum actum concluſionis, ideo in tali determinatione exercetur aliquis modus cauſalitatis effectiuę. Et argumenta, quæ contra hoc poſſunt militare, ſunt iam, probabiliter ſoluta in dicta Conferentia. 16 à n. 157.

790. Secunda concluſio. Præmiſſæ formales cōcurrunt efficiēter ad aſſenſum cōcluſionis. Hæc cōcluſio cōmuniter defenditur à Thomiſtis Et pr. 1. autoritate D. Tho. Nam lib. 1. Poſt. lect. 3. ſic ait. (Principia ſe habent ad concluſiones in demōſtratiuis ſicut cauſę actiuæ in naturalibus ad ſuos effectus. Vnde in 2. Phyſ. propoſitiones ſyllogiſmi ponuntur in genere cauſæ efficientis). Et 1. p. q. 14. art. 7 docet, quod diſcurſus, quo per principia deuenimus in concluſiones eſt diſcurſus ſecundùm cauſalitatem. Pr. 2. ratione à priori Nam id cōcurrit efficiēter ad aliquē actū, qđ ſe tenet ex parte principij actiui determinans illud ad prædictū actū eliciēdum; ſed premiſſę ſe tenent ex parte intellectus, qui eſt principiū actiuū aſſenſus cōcluſionis, & ad iſtū eliciendum determinat intellectū: ergo concurrunt efficienter ad talem aſſēſum, Maior coſtat exēplis. Nam in ſententia communi Thomiſtarum ſpecies impreſſę concurrunt effectiuè ad actū intellectus, quia ſe tenent ex parte illius, & determinā̄t ipſum ad eliciendū actum circa tale obiectū, qđ repręſentantur in illis. Itē intētio finis effectiuè cōcurrit cū voluntate ad electionem mediorū, & docet D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 3. & admittitur communiter à Thomiſtis ibidem, nō alia rōe niſi quia tenens ſe ex parte voluntatis determinat ipſam ad prędictā electionē. Cuius plura exēpla adduxi in prędicta Cōfer. ſūmularū; eſt igitur hoc principiū admittendū. qđ quoties aliquid ſe tenet ex parte principii actiui determinā̄s aliquomodo eius actiuitatē, cōcurrit actiuè cū ipſo principio, & maximè hoc explicatur ſi principium aliàs ſit aliquomodo indifferens, & tollatur eius indifferentia per tale determinans. Et minor primi ſyllogiſmi probatur. Nam praemiſſae formales ſe habent ex parte intellectus, & illum actuant, & determinant ad eliciendum aſſenſum concluſionis, ita vt poſitis praemiſis formalibus, neceſsitetur intellectus ad eliciendum aſſenſum concluſionis, vt dicemus num. 711. ergo præmiſſę formales ſe habent ex parte intellectus, & ipſū determinā̄t ad aſsēſū concluſionis, in quo conſiſtit influxus effectiuus. Cōfirmatur, & explicatur hoc. Nam intellectus ex ſe conſideratus eſt indifferens, vt eliciat actū circa hoc vel illud obiectum, vel vt eliciat iſtum, vel illum actum, & quia huiuſmodi indifferentia ad agendum tollitur per ſpeciē impreſsā, qua determinatur ad eliciendum actū

circa tale obiectum repræſentatum, ideò ſpecies concurrit actiuè cum intellectu; ſed per præmiſſas formales tollitur indifferentia, quam intellectus habebat ad aſſenſum huius, vel illius concluſionis; ergo tales præmiſſæ concurrunt actiuè. Et in huiuſmodi determinatione intellectus, conſiſtit cauſalitas, & ob hoc diſtinguitur à D. Thoma diſcurſus ſecundùm cauſalitatem à diſcurſu ſecundùm ſucceſſionem; in hoc enim nulla eſt talis determinatio, vt magis videbitur in ſolutione argumentorum.

§. 3.

Proponuntur argumenta cõtra præcedentem reſolutionem

791. Contra primam concluſionem nihil occurit dicendum præter dicta à nobis in ſummulis dicta Confer. 16. quibus ſuppoſitis arguitur. 1. cont. 2. con. Nam tota virtus effectiua alicuius actus intellectus ſufficienter ſaluatur in ipſa potentia determinata per ſpeciem, & nullus actus poteſt præbere potentiæ virtutem productiuam alterius actus: ergo actus intellectus, qui ſunt præmiſſæ formales, non dant virtutem effectiuam concluſionis ipſi intellectui. Nec valet ſi dicas, quòd quando vnus actus continet alium, poteſt determinare ad efficientiam illius, & ſic contingit in præmiſſis, quæ continent concluſionem. Non, inquam, valet. Nam in tãtùm actus præmiſſarum dicuntur continere concluſionem, in quantùm obiectum iſtius continetur in obiecto illarum; ſed hæc continentia eſt purè obiectiua: ergo ſola determinatio obiectiua facta per obiectum præmiſſarum erit ſufficiẽs, & tunc nulla erit efficientia, ſed ſola obiectiua cauſalitas. Si autẽ dicas vtramquè determinationẽ requiri, ſcilicet hanc obiectiuam, & illam efficientem, ſiquidem obiectum non mouet, niſi attingatur per actum, & tunc iſta determinat ad alium actum. In contra eſt. Nam ſola determinatio obiecti, ſi debitè applicetur intellectui, eſt ſufficiens determinatio; applicatur autem per aliquem actum, quo tale obiectum attingitur, ergo talis actus ſe habebit vt conditio applicans obiectum, & conſequenter influxus illius actus reducetur ad influxũ obiecti, quod applicatur; ſẽper enim influxus conditionis pertinet ad lineam cauſalitatis illius, reſpectu cuius eſt conditio: ergo ſi obiectum, concurrit formaliter extrinſecè, etiam actus applicans tale obiectum, concurrit formaliter extrinſecè. Confirmatur hoc. Nam principia, quæ continentur in præmiſſis ſpecificant ipſam concluſionem, & ſe habẽt, vt ratio formalis illius, ſaltim principia obiectiua; ſed talia principia obiectiua applicantur medijs actibus formalibus ad ſpecificandum concluſionem: ergo prædicti actus non efficienter, ſed ſolùm formaliter concurrunt

792. Ad hoc argumentum reſpondeo quòd actus, propriè loquendo, non dat virtutem potentiæ,

tentiæ, poteſt tamen determinare ipſam virtutem potentiæ, vt potiùs eliciat hunc actum, quàm illum, & hoc contingit quando vnus actus virtute continet aliũ. Ad huius impugnationem dico eſſe duplicem continentiam alteram, qua vnum obiectum continet aliud, & ſic præmiſſæ obiectiuæ continent obiectum concluſionis, & tunc vnum obiectum continens determinat obiectiuè ad aliud, altera continentia eſt ex parte actus, nam vnus cõtinet alium, ſicut obiectum vnius continetur in obiecto alterius, & tũc cum actus ſit in intellectu, & ex parte illius ſe teneat, ipſumquè determinet, hinc eſt quòd actiuè concurrat vnus actus ad eliciendum alium. Ad aliam obiectionẽ contra hoc reſpondeo quòd actus applicat obiectum præmiſſarum, vt obiectiuè moueat, & in hac cõſideratione ſe habet, vt conditio ad mouendum; cæterum ex alia parte ſe tenet ex parte intellectus determinans ipſum per modum actus continentis alium actum, & ſic concurrit actiuè. Itaque, prout eſt applicatio obiecti concurrit cum obiecto, & prout eſt determinatio potentiæ concurrit cum potentia, & in hac vltima conſideratione concurrit actiuè, ſicut ipſa potentia. Ad confirmat. reſpondeo actum eſſe applicationem obiecti ſpecificantis concluſionem, & ſimul eſſe determinationem potentiæ ad efficiendum actum concluſionis, & hac ratione concurrit actiuè.

793. Arguitur 2. principaliter. Nam cauſa efficiens, cum non influat, niſi quando exiſtit, debet eſſe ſimul cum effectu, quem producit; ſed aſſenſus formalis præmiſſarum non poteſt ſimul exiſtere cum aſſenſu concluſionis; ergo ille non concurrit actiuè ad iſtum. Maior ſupponitur. Et probatur minor, tùm quia duo actus intellectus non poſſunt eſſe ſimul, vt docet D. Thomas 1. p. q. 85. art. 4. dicens non poſſe intellectum plura ſimul intelligere, & plura ſimul intelligerentur, ſi ſimul eſſent plures actus. Tum quia præmiſſæ continẽt aſſenſum maioris, & minoris, & ex vtroquè reſultat, ſeu procedit aſſenſus concluſionis, ſed iuxta doctrinã Ariſtotelis maior cognoſcitur priùs tempore quàm concluſio, & minor ſimul tempore; ergo aſſenſus adæquatus præmiſſarum non eſt ſimul cum aſſenſu concluſionis. Confirmatur hoc. Nam intellectus, quando diſcurrit, de vno in aliud tranſit, & diſcurſus dicitur quidam motus ſpiritualis; ſed quando de vno in aliud fit tranſitus, quando adeſt vnus terminus, non eſt alius, nec vnus effectiuè in alium influit, & patet in motu corporali; ergo quando intellectus diſcurrit, dum eſt ſub vno termino non eſt ſub alio, ideſt, dùm cognoſcit concluſionem, non cognoſcit præmiſſas, nec vna cognitio effectiuè influit in aliam.

794. Ad hoc argumentum reſpondent aliqui dicendo quòd ex vi præmiſſarum formalium producitur quædam ſpecies in intellectu, quę immediatè influit in concluſionem, & talis influxus mediatè tribuitur præmiſſis, in virtute quarum talis ſpecies fuit producta, & hæc eſt ſimul cum aſſenſu concluſionis. Hanc ſolutionem refert Collegium diſcalciat.

diſp.

Digitized by Google

diſp. 17. q. 3. num. 34. in fine. Mihi autem non placet. Tùm quia nō videtur poſſe aſſignari aliquid, quod repræſentetur per talem ſpeciem. Siquidem obiectū præmiſſarum per illam non repręſentatur, cum ſit aliquid complexum & adhuc dato quòd repræſentaretur, immediatè determinaret ad cognitionem illius, & non ad aſſenſum concluſionis. Tùm quia aſſenſus præmiſſarum immediatè debet influere in aſſenſum concluſionis, & hoc ita de facto contingit, vt conſtabit ex ſequenti ſolutione, quapropter præfata ſolutio reijcienda. Qua relicta ad argumētum conceſſa maiori negatur minor. Ad 1. probationē dico, quòd illa plura non poſſunt ſimul intelligi, quæ inter ſe nullū habent ordinē, & idcirco dixit D. Th. quòd plura, vt plura non poſſunt ſimul cognoſci, ſi autem plura inter ſe habent aliquem ordinem, non ſunt plura, vt plura, cum igitur obiectū præmiſsarum, & concluſionis habeant inter ſe ordinem poſsunt ſimul intelligi diuerſis actibus, qui etiam erūt ſimul propter ordinē, quem inter ſe ſeruant. Ad 2. probationem dico, quòd ſi maior ſecūdùm ſe accipiatur, & non vt determinata per maiorem, ſic poteſt cognoſci priùs tempore quàm cōcluſio, & ſic intelligitur Ariſtot. ſi autem maior conſideretur vt determinata per minorem, ſeu ipſa minor, vt determinans maiorē, tunc eſt ſimul tpe cum aſsenſu concluſionis, ac proinde adæquatus aſſenſus pręmiſsarum eſt ſimul cum aſsenſu concluſionis. Ad Conf. dico, quòd diſcurſus, qui conſiſtit in ſola ſucceſſione aſsimilatur motui corporali quantùm ad ibidem dicta, cæterum diſcurſus ſecundū cauſalitatem conſiſtit in eo quod vnum cognoſcatur in virtute alterius, & propter alterum, & ideo vnum eſt cauſa alterius, & inter illa non eſt prioritas ſucceſſionis, vt inter terminos motus corporalis; ſed ſolum prioritas ſecundùm cauſalitatem, quæ eſt prioritas naturæ, quæ compatitur ſecum ſimultatem temporis.

795. Si autem inquiras an præmiſsæ ſint cauſa vniuoca, vel ęquiuoca, principalis. l. inſtrumētalis? Reſpondeo communiter dici eſse cauſam æquiuocam, quia producit effectum diſtinctum in ſpecie, eo quòd aſsenſus præmiſsarum diſtinguitur ſpecie ab aſsenſu concluſionis, & ad rationem cauſæ æquiuocæ non requiritur, quòd producat plures effectus diſtinctos in ſpecie inter ſe; quia hoc eſt de ratione cauſæ vniuerſalis, ſed ſufficere ad cauſam æquiuocam producere effectum, à quo diſtinguatur ſpecie. Quantum ad ſecundum etiam cōmuniter dicitur eſſe cauſam inſtrumentalem, licet alii dicant eſse principalem, ego autem exiſtimo non eſse propriè principalem, aut inſtrumentalem; debere tamen dici principalem ea parte, qua ſe tenent ex parte intellectus, & ſunt perfectiores, quàm concluſio, licèt ex alia parte, qua ſunt determinationes potentiæ videantur declinare ad cauſam inſtrumentalem: ſed quidquid horum ſit, parùm intereſt ad principale intentum.

§. 4.

Proponitur, & reſoluitur ſecunda difficultas.

796. SEcunda difficultas eſt an cognitis præmiſſis neceſſitetur intellectus ad aſſenſum concluſionis: Et eſt duplex neceſſitas, alia quoad ſpeciem, & alia quoad exercitium. Prima eſt quando intellectus eſt determinatus ad eliciendum actum in tali ſpecie, verbi gratia, aſſenſus. l. diſſenſus, ſicut quando voluntas eſt determinata ad talem ſpeciem actus, verbi gratia, amoris, vel odij, dicitur neceſſitata quoad ſpeciem. Secunda neceſſitas eſt quando intellectus non poteſt ſuſpendere actum, ita vt teneatur in illum exire, ſicut quando voluntas eſt determinata ad ponendum actum, nec poteſt illum ſuſpendere dicitur neceſſitata, quoad exercitium. Quo ſuppoſito eſt difficultas, an ex vi præmiſſarum neceſſitetur intellectus ad ponendum aſſenſum concluſionis, & qua neceſſitate. Aliqui aſſerunt neceſſitari quoad ſpeciem actus, non verò quoad exercitium, ita vt poſitis præmiſſis, non poſſit nō elicere aſſenſum, licet poſſit ſuſpendere actum, & nullum producere. Alij verò docent neceſſitari vtraque neceſſitate.

797. Et iſta vltima ſententia à nobis eligitur, quæ cōis eſt inter Thomiſtas, & ſic intelligitur quòd cognitis præmiſſis, & ſimul bonitate conſequentię, ſi intellectus aliàs non eſt impeditus, non ſolum tenetur elicere aſſenſum, ſed nec poteſt ſuſpendere actum. Et probatur prima neceſſitas, quoad ſpeciem. Nam præmiſſæ demonſtrationis ſunt veræ, & vt tales cognoſcuntur à noſtro intellectu, ergo ex vi illarum non poteſt intellectus elicere alium actum niſi circa verum; ſiquidem ex vero non poteſt ſequi niſi verum; ergo neceſſitatur ad eliciendum aſſenſum, & non poteſt elicere diſſenſum: patet hæc conſequentia. Nam circa verum non poteſt verſari niſi ſolus aſſenſus: ergo ſi ex vi præmiſſarum neceſſitatur circa verum, neceſſitatur etiam ad aſſenſum, & conſequenter ad ſpeciem actus. Et ſanè de hac neceſſitate nulla eſt diſſenſio inter authores. Eſt tamen aliqua circa ſecundam, quam aliqui negant. Illam autem dari ſic probatur. Nam ex aſſenſu pręmiſſarum naturaliter, & neceſſario ſequitur aſſenſus concluſionis, ergo poſito illo primo, non eſt in poteſtate voluntatis ſuſpendere ſecundum. Patet conſequentia. Nam voluntas non poteſt ſuſpendere actum, qui neceſſariò ſequitur poſito alio, niſi impediendo ne ponatur iſte, ad quem ſequitur alius. Et antecedens probatur. Nam circa obiectum ſufficienter propoſitum intellectus agit, vt potentia naturalis, & omninò neceſſaria, nec à voluntate impediri poteſt ne operetur circa tale obiectum: ſed ex vi pręmiſſarum proponitur ſufficienter concluſio; ergo circa illā non poteſt ſuſpendere actum, ſed omninò naturaliter agit. Cuis ſignum eſt, quòd

Google

in eodem inſtanti, quo ponitur minor præmiſſa, ſtatim ponitur aſſenſus concluſionis. Confirmatur, & explicatur hoc exemplo potentiæ viſiuæ. Nam propoſito ſufficienter obiecto, & potentia viſiua non impedita, v.g. apertis occulis, non poteſt voluntas impedire potentiam ne videat obiectum, & rāo eſt. Nam omnes ſunt cauſæ naturaliter agentes: ſed ſic contingit in noſtro caſu, nam potentia ſupponitur non impedita, & concluſio ſufficienter propoſita ex vi præmiſſarū, quæ ſe habent ſicut lux ad illuminandum colorem; ergo non poteſt voluntas ſuſpendere actum impediendo intellectum, ne exeat in illum.

798. Contra hanc vltimam neceſſitatem obijcitur. 1. Nam voluntas nō poteſt neceſſitari quòad exercitium ab aliquo bono particulari, ſed verum, quod obijcitur per concluſionem eſt aliquod bonum particulare; ergo ad illud non neceſſitatur quoad exercitium. Obijcies. 2. Nam voluntas non neceſſitatur ad aſſenſum cōcluſionis verſantis circa verum practicum, aliàs nunquàm circa falſum operaretur, ergo non neceſſitatur ad aſſenſum circa verum ſpeculatiuum. Obijcies 3. quia ex præmiſſis rectè diſpoſitis verbi gratia, in, Barbara, poteſt ſequi duplex concluſio altera directa quæ eſt ipſius, Barbara, & altera indirecta, quæ eſt in Baraliptō; ergo ad vtramquè ſimul eſt neceſſitatus intellectus, cum non ſit maior ratio vnius, quàm alterius, quod videtur impoſſibile.

799. Ad 1. obiectionem dico eſſe duplicem neceſſitatem, alteram abſolutam, & alteram ex ſuppoſitione, & ad bonum particulare non neceſſitatur abſolutè voluntas, benè autem poteſt neceſſitari ex ſuppoſitione, quòd ponatur aliquid neceſſariò connexum cum altero. Et ſic contingit in noſtro caſu. Quapropter abſolutè poteſt impedire aſſenſum concluſionis per hoc quòd faciat intellectum non attendere ad præmiſſas, ſeù illas non conſiderare; at poſitis præmiſſis, & attentione intellectus circa illas, non poteſt actum ſuſpendere, & hæc dicitur neceſſitas ex ſuppoſitione. Ad 2. dico eodem modo neceſſitari ad verum practicum, & ſpeculatiuū, ſi præmiſſæ ſunt euidētes, & rectè diſpoſitæ, at poteſt voluntas diuertere intellectum, vel ipſum retrahere ne conſideret, vel attendat ad præmiſſas ſyllogiſmi practici, & tunc operari poteſt circa practicum falſum, ſi autem ad præmiſsas euidentes attendat, neceſſitatur ex ſuppoſitione ad aſſenſum concluſionis falſæ. Ad 3. reſpondeo quòd ex vi præmiſſarum neceſſitatur intellectus ad eliciendam concluſionem directam, eo quòd iſta eſt immediatus effectus illarum pręmiſſarum, & deinde mediatè ſequitur concluſio indirecta, ſequitur enim ex concluſione directa per conuerſionem, & ita non ſequitur immediatè ex præmiſſis; ſed mediatè, & ideo eſt diſpar ratio vtriuſquè.

CON-

CONFERENTIA 2.

Vtrum Prima paſſio ſit demonſtrabilis de ſuo ſubiecto immediato.

§. 1.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

800. ALiqua dixi in ſummulis circa hanc difficultatem tract. 2. Confer. 1. n. 11. & 12. Supponens ſententiam aſſerentem primam paſſionem eſſe indemonſtrabilem, etiam quoad nos, ex quo intuli bonitatem cõſequentiæ (adhuc admiſſo eſſe paſſionem) non demonſtrari a logica, quia erat prima paſſio diſpoſitionis ſyllogiſticæ, ſeù conſequentiæ. Modò autem directè tracto pręſentem difficultatem, cum iſte ſit eius proprius locus, & ex illius reſolutione conſtabit magis doctrina à nobis tradita in ſummulis dicta confer. 1. Et in primis ſuppono quòd idem eſt propoſitio immediata, prima, per ſe nota, & indemonſtrabilis, vt dicebam ſupra n. 194. & 198. Item admittenda eſt illa diſtinctio propoſitionis immediatæ, ſeu per ſe notæ ſecundùm ſe, & quoad nos in ſenſu ibidẽ à nobis explicato n. 199. & ita admittitur communiter à Thomiſtis cum D. Tho. 1. p. q. 2. a. 1. contra Scotum, & Molinam.

801. Quibus ſuppoſitis Prima ſententia docet primam paſſionem eſſe indemonſtrabilem ſecũdum ſe, demonſtrabilem autem quoad nos. Ita Caietanus, Soto, Maſſius, Colleg. diſc. M. Ioa. à S. Tho. & alij, qui ferè omnes, ſolùm agunt de hac difficultate, vt explicent diffinitionem propoſitionis immediatæ, ſeù per ſe notæ, & nõ ex profeſſo, quorum mentem poſtea explicabimus. Secunda ſententia aſſerit primam paſſionem eſſe indemonſtrabilem nõ ſolum ſecundum ſe, ſed etiam quoad nos. Ita Sanchez lib. 7. logicę. q. 14. in qua ex profeſſo tractat pręſentem difficultatem.

§. 2.

Explicatur diſtinctio propoſitionis immediatæ ſecundum ſe, & quoad nos.

802. COnducit ad intentum noſtrum explicare huiuſmodi diſtinctionem, vt inde colligatur, an prima paſſio ſit demonſtrabilis quoad nos. Igitur Propoſitio immediata eſt illa, quæ caret medio, quo à priori poſſit probari; & hæc eſt duplex, altera, cuius termini ſunt omnibus noti, & conſtat omnibus de quidditate ſubiecti, & prædicati, verbi gratia, illud communiſſimum principium, (quodlibet eſt, vel

non eſt) eſſe;& non eſſe ſunt termini noti omnibus , & ſic de alijs, quæ dicuntur immediatè ſæcundum ſe, & quoad nos. Altera propoſitio eſt , quę caret medio , quo probetur prædicatum conuenire ſubiecto , termini tamen illius , quia ſunt particulares , non ſunt omnibus noti, nec cõſtat omnibus de quidditate ſubiecti, & prædicati, ideoquè indigent explicatione, quæ ſit à ſapientibus, qui cognoſcunt prædictos terminos , & quidditatem ſubiecti , & prædicati, & idcirco dicitur immediata ſecundùm ſe , quia caret medio,non vero quoadnos, quia terminos ignoramus. Hæc eſt cõmunis doctrina Thomiſtarum, à qua recedere non licet, nec recedemus.

803. Aduertendum autem maximè eſt quòd termini qui nobis non ſunt noti , & quidditas illa ſubiecti,aut prædicati, quæ omnibus non eſt nota, poteſt dupliciter explicari , ſeu notificari . Primò per aliquem diſcurſum , qui ſit verè demonſtratio, & hæc debet eſſe à poſteriori,nam nulla quidditas poteſt à priori demonſtrari;& ſic contingit in hac propoſitione, (Deus eſt) quæ non eſt immediata quoad nos, quia quidditas ſubiecti manifeſtatur nobis per effectus, & conſequenter per demonſtrationem à poſteriori. Secundò poteſt explicari quidditas ſubiecti, vel prædicati, ex ſola terminorum explicatione facta à Doctore, vel per aliquẽ diſcurſum , qui verè non ſit demonſtratio , ſed tantùm maior terminorum explicatio , verbi gratia Hæc propoſitio (homo eſt animal)eſt immediata ſecundùm ſe , ſi autem aliquis ignoret de quidditate ſubiecti, poteſt talis quidditas à Doctore, vel ſapiente explicari abſque aliqua vera demonſtratione , ſed ſola explicatione ipſius termini , vel aliquo diſcurſu talem quidditatem explicante. Quapropter Caietanus lib. 1. Poſt. cap. 3. docet ex imbecilitate noſtri intellectus, vt communiter inuenitur in hominibus, oriri quòd prædicti termini non ſint noti nobis, ac proinde ignorantia noſtra poteſt illo duplici modo tolli, de quo videatur etiã Magiſter Gonzalez 1. part. q. 2. diſput. 11. & Magiſter Ioann. à Sancto Thoma ibidem diſp. 3. articul. 1. qui optimè ſoluunt rationem aduerſariorum negantiũ hanc diſtinctionem propoſitionis immediatæ. Hæc autem à nobis dicta ſufficiunt ad noſtrum intentum.

§. 3.

Reſoluitur difficultas.

PRO reſolutione difficultatis ſit Prima concluſio . Prima paſſio ſecundùm ſe eſt indemonſtrabilis de ſuo ſubiecto Immediato , Hæc concluſio admittitur communiter à Thomiſtis. Et eſt expreſſa D. Thomæ lib. 1. Poſt. cap. 36. circa medium. vbi ſic ait. (Patet ex Præmiſſis quòd ſicut ſunt quædam principia indemonſtrabilia affirmatiua , in quibus vnum de alio prædicatur ſignificando quòd hoc eſſentialiter eſt illud, ſicut genus prædicatur de proxima ſpecie,vel hoc ſit in illo, ſicut cum paſſio prædicatur de proprio, & immediato ſubiecto , ita

ita etiam ſunt principia indemonſtrabilia in negatiuis, &c.) In quibus expreſſe docet eſſe principium indemonſtrabile, cum paſſio prædicatur de proprio, & immediato ſubiecto. Quæ verba ſaltim debent intelligi de indemonſtrabili ſecundùm ſe, & ita intelliguntur communiter à Thomiſtis. Et in eodem ſenſu explicat Caietanus verba D. Thom. ex opuſc. 39. de fallacijs, quæ adducta ſunt à nobis in ſummulis tract. 1. Conf. 1. num. 12. in quibus D. Thomas docet committi fallaciam petitionis principij, quando ad probandum aliquid de ſubiecto aſſumitur, vt medium, diffinitio ſubiecti, quæ aſſumi debet ad probandum paſſionem conuenire ſubiecto immediato. Explicat Caietanus dicens D. Thomã intelligi de proceſſu ſecundùm ſe, tunc enim committitur petitio principij, non autem de proceſſu quoad nos, ac proinde colligitur ex tali doctrina primam paſſionem eſſe ſecundùm ſe indemonſtrabilem.

805. Probatur ratione. Nam illa propoſitio eſt ſecundùm ſe indemonſtrabilis, quæ ſecundùm ſe eſt immediata, ſeu carẽs medio, quo poſſit à priori probari prædicatum conuenire ſubiecto, ſed talis eſt propoſitio in qua prima paſſio prædicatur de ſuo ſubiecto immediato; ergo iſta eſt ſecũdùm ſe indemonſtrabilis. Maior eſt certa. Et Probatur minor. Nã inter ſubiectum immediatum, & primam paſſionem nihil mediat, & qui penetraret quidditatem ſubiecti, ſine aliquo diſcurſu aſſentiret tali veritati; ergo ſecundum ſe eſt immediata, ſeu carens medio; Probatur antecedens. Nam ſi aliquid mediaret maximè diffinitio ſubiecti, quæ poſſet aſſumi, vt medium: ſed diffinitio ſecundum ſe non mediat, ſed tantùm quoad nos, vt ſcilicet cognoſcamus quidditatem ſubiecti, & ſubiectum, & ſua diffinitio solùm diſtinguuntur penes explicitum, & implicitum, clarum, & confuſum; ergo talis propoſitio ſecũdum ſe caret medio, ac proinde eſt indemonſtrabilis ſecundum ſe.

806. Secunda concluſio. Prima paſſio eſt demonſtrabilis de ſubiecto immediato, quoad nos, nõ demonſtratione, quæ verè, & propriè ſit demonſtratio, ſed ſolùm diſcurſus aliquis magis explicatiuus eiuſdem veritatis. Hæc concluſio, quoad. 1. partem docetur à Thomiſtis iã relatis; Et quoad 2. ab ipſis non explicatur. Docent enim primam paſſionem eſſe demonſtrabilem, quoad nos; non tamen explicant an præfata demõſtratio ſit verè, & propriè demonſtratio, an verò ſit ſolùm aliquis diſcurſus explicatiuus eiuſdem veritatis. Et hoc vltimum aſſero in 2 parte cõcluſionis. Prima autem probatur ratione. Nam illa propoſitio eſt demonſtrabilis, quoad nos, quæ habet medium, quo probetur quoad nos: ſic eſt talis propoſitio. Nam per diffinitionem ſubiecti poteſt probari paſſio illi conuenire, eo quòd diffinitum, & diffinitio diſtinguuntur penes clarum, & confuſum, & quod diffinitum dicit confuſè, dicit clarè, & explicitè diffinitio; ergo ſaltim quoad nos poteſt prima paſſio demonſtrari de ſubiecto immediato aſſumendo pro

Digitized by Google

medio ipſam diffinitionem ſubiecti.

807. Secunda pars concluſionis probatur. Nam quando aſſumitur diffinito ad probandum aliquid de diffinito, tunc talis diſcurſus non verè demonſtrat, ſed tantùm eſt maior explicatio eiuſdem veritatis; ſic contingit quando demonſtratur prima paſſio de ſubiecto immediato: ergo talis diſcurſus non eſt vera demõſtratio. Probatur maior. Nam vera demonſtratio eſt illa, quæ vtitur aliqua cauſa, vt probet conuenientiam prędicati cum ſubiecto, cum hac proportione quòd demonſtratio quæ eſt à paiori, & ſecundùm ſe, afferat cauſam à priori, & ſecundùm ſe, illa verò, quæ eſt à poſteriori, vel quoad nos, adducat effectum, quę eſt cauſa quantùm ad cognitionem noſtram, vel aliam quæ quoad nos ſaltim ſit cauſa: ſed diffinitio ſubiecti nullo modo ex dictis eſt cauſa, ergo quando aſſumitur, vt medium, ad probandum aliquid de ſubiecto, talis diſcurſus non eſt verè demonſtratio. Maior eſt certa. Et probatur minor. Nam diffinitio, & diffinitum habent eundem conceptum obiectiuum, & conceptus formales ſolùm diſtinguuntur in eo quòd conceptus diffinitionis eſt clarus, vt fatetur Caietanus vbi ſupra citatus: ſed idem conceptus obiectiuus non poteſt eſſe cauſa, neque quoad nos, vt aliquid ſibi ipſi conueniat; ergo diffinitio, non poteſt aſſumi, vt cauſa, etiam, quoad nos ad probandum aliquid conuenire ſubiecto.

808. Confirmatur, & explicatur hoc. Nã ideo propoſitio, quæ ſecundùm ſe eſt immediata, & indemonſtrabilis; dici poteſt mediata, & demonſtrabilis, quoad nos, quia termini non ſunt nobis noti, & indigent aliquo diſcurſu, vt cognoſcantur, vt docuit Mag. Ioãnes à S. Thoma in loco allegato: ſed multoties termini poſſunt nobis notificari abſque vera demonſtratione, vt paulò antea dicebamus num. 717. verbi gratia, ſi ſubiectum non ſit nobis notum, poteſt manifeſtari per explicationem diffinitionis ipſius, quę explicatio non fit per demonſtrationem, ſed fieri poteſt à Magiſtro, vel ſapiente proponente, & explicante talem diffinitionem, cui ſtatim aſſentitur lumen naturale principiorum; ergo in tali caſu, talis propoſitio non eſſet verè demonſtrabilis; Patet conſequentia. Nam in tantùm dicitur demonſtrabilis, in quantùm ſupponit aliquem diſcurſum manifeſtantem terminos, qui nobis erant ignoti, ſed huiuſmodi diſcurſus non ſemper eſt verè demõſtratiuus, ſed ſolùm magis explicatiuus, & illius concluſioni aſſentitur lumen naturale, ergo talis propoſitio verè non eſt demõſtrabilis, & licet probetur, hoc tamen fit per maiorem explicationem eiuſdem veritatis. Cum igitur ita contingat in noſtro caſu, in quo prima paſſio prædicatur de ſubiecto immediato, tunc enim ſubiectum notificatur nobis per eius diffinitionem, quę notificatio fit abſquè vera demõſtratione, ſed ſolo diſcurſu explicante ſubiectum per ſuam diffinitionem, qua explicatione poſita, ſtatim intellectus ſolo lumine principiorum aſſentitur propoſitioni

tioni

Digitized by Google

tioni in qua paſſio prædicatur de ſuo ſubiecto immediato, hinc fit quòd talis propoſitio verè non demonſtretur, etiam quoad nos.

§. 4.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

809. Arguitur. 1. contra doctrinam traditam de diſtinctione propoſitionis immediatæ ſecundum ſe, & quoad nos. Nam propoſitio non inuenitur in rebus; ſed in cõceptibus repræſentantibus res ipſas, vel in vocibus, ſed in his non poteſt diſtingui aliquid notum ſecundum ſe, & nobis non notum; ergo prædicta diſtinctio propoſitionis valdè impropria eſt. Probatur mi. Nam. l. conceptus illi ſunt ignoti, & confuſi reſpectu intellectus, à quo formãtur, & hoc modo non erit propoſitio per ſe nota ſecundùm ſe, nec nobis, vel tales conceptus ſunt nobis noti, & clarè repræſentantes res, & ſic iam propoſitio conſtans ex illis, erit ſecundũ ſe, & nobis nota; ergo talis diſtinctio noti ſecundum ſe, & nobis non reperitur in conceptibus repræſentantibus res. Confirmatur hoc ratione, quam ex Aureolo affert Caietanus. Nam Petrus, verbi gratia, formans propoſitionẽ, quam vocat per ſe notam ſecundùm ſe tantum, putà, Deus eſt, aut fert intuitum ſuum ſuper illos conceptus, ex quibus per ſe conſurgit notitia illius propoſitionis, aut ſuper alios; ſi ſuper illos: ergo illos habet, & eſt ſibi per ſe nota. Si ſuper alios, non fert intuitum ſuum ſuper illam propoſitionem, ſed ſuper aliam, ſiquidem ex alietate conceptuum conſurgit diuerſitas propoſitionis.

810. Ad hoc argumentum reſpondeo cum M. Ioa. a Sancto Thom. iam relato in 1. p. q. 2. diſp. 3. art. 1. ad 1. quòd duplex eſt propoſitio, alia formalis, quæ ſunt ipſi conceptus formales, & hæc dicitur propoſitio ſignificatiuè, & ſolum inuenitur in conceptibus formalibus, ſeù vocibus ſignificantibus. Alia eſt propoſitio obiectiua, & eſt obiectum illud, quod repræſentatur per propoſitionem exiſtentem in intellectu. Quo ſuppoſito propoſitio obiectiua dicitur per ſe nota ſecundum ſe, & per ſe nota nobis, iuxta diuerſum modum, quo repræſentatur per cónceptus, ſi enim repręſentatur per conceptus confuſè repræſentantes, dicitur propoſitio per ſe nota ex ſe, quia ſecundum ſe nota eſt, non verò quoad nos, nam conceptus illi non ſunt noti nobis, ſed confusè repreſentant. Si autem talis propoſitio repræſentetur per cõceptus clarè, & diſtinctè repræſentãtes, tunc eſt nota etiam nobis. Quapropter, vt ait Caietanus in reſponſione ad rationem Aureoli, conceptus obiectiuales ſunt iidem, & ſola eſt diſtinctio penes conceptus formales repręſentantes clarè. l. confusè. quæ diſtinctio non variat propoſitionem obiectiuam, quæ ſemper eadem eſt, licet diuerſimodè repræſentetur. Ad confirmationem reſpondeo quòd Petrus formans illam propoſitionem fert intuitum ſuum ſuper eoſdẽ cõceptus obiectiuos,

ctiuos, quos habet ipſa propoſitio ſecundùm ſe, quia tamen in illos tendit per conceptus formales confusè repræſentantes tales conceptus obiectiuos, dicitur talis propoſitio non nota nobis; eſt igitur eadem propoſitio obiectiua conſtans ex eiſdem conceptibus, licet conceptus formales diuerſificentur.

811. Arguitur 2. contra 1. concluſionem. Nam diffinitio eſt verè medium ſecũdùm ſe ad probandum aliquid de diffinito; ſed prima paſſio poteſt demonſtrari de ſubiecto per ſuam diffinitionem: ergo eſt demonſtrabilis ſecundum ſe. pr. añs. 1. ex D. Thoma qui opuſc. 38. ſic ait. (Eſt ergo demonſtratio potiſſima, quando prædicatur paſſio de ſubiecto vniuerſali per medium quod eſt diffinitio dicens quid, & propter quid.) Et explicans quid ſit diffinitio dicens quid, ait quòd (eſt diffinitio data per eſſentialia, & eſt diffinitio ſubiecti) Item explicat quid ſit diffinitio ꝓpter quid (eſt diffinitio data per cauſam, & quæ eſt diffinitio paſſionis, quia diffinitio paſſionis dicit cauſam inhærentiæ paſſionis in ſubiecto, per quod ſubiectum paſſio habet eſſe.) Et concludit quod medium in potiſſima demonſtratione, qua pr. paſſionem conuenire ſubiecto vniuerſali, eſt vtraq; diffinitio, quid, & propter quid, id eſt, diffinitio dicens quidditatem ſubiecti, & altera dicens cauſam inhærẽtiæ paſſionis in ſubiecto. Et quamuis Opuſculum iſtud non habeatur pro certo eſſe D. Thom. nihilominus doctrina illius ſine dubio eſt D. Tho tradita in lib. 1. Poſteriorum; quam etiam nos ſupra nu. 244. ex Mag. Soto docuimus dicentes quidditatem rei, vt explicatam in ſua diffinitione, eſſe medium in demonſtratione, & ideo in ſecundo libro poſteriorum agitur de diffinitione, & de modo inueſtigandi quidditatem rei. Tunc ſic. Sed potiſſima demonſtratio eſt demõſtratio ſecundùm ſe, ſiquidem demonſtratio ſecundùm ſe eſt magis perfecta, quam demonſtratio quoad nos tantùm; ergo ſi diffinitio eſt medium in potiſſima demonſtratione, vt D. Thom. docet, eſt medium ad demonſtrandum aliquid ſecundum ſe, & non tantùm quoad nos.

812. Secundò probatur idem antecedens ratione. Nam diffinitio ſubiecti, licet in re nõ ſit medium inter ſubiectum, & paſſionem, quia in re non diſtinguitur à ſubiecto, tamen eſt medium ſecundùm rationem, & ſecundùm rationem mediat, & diſtinguitur à ſubiecto; ſed hoc ſufficit, vt ſit medium ad demonſtrandum aliquid ſecundum ſe; ergo, &c. Probatur mi. tùm in demonſtrationibus metaphyſicis, in quibus de ente demonſtrantur aliquæ paſſiones per demonſtrationes ſecundùm ſe, & tamen omnes paſſiones entis inter ſe, & ab ente ſola ratione diſtinguuntur penès implicitum, & explicitum. Tum in demonſtrationibus Theologicis, quibus plura attributa demonſtrãtur, & tamen iſta inter ſe, & ab eſſentia diſtinguuntur ſola ratione, & nihilominus demonſtrationes illæ ſunt tales ſecundùm ſe. Tum etiam, & eſt ratio à priori. Nam demonſtratio eſt inſtrumentum rationis, quo ex vno cognoſcitur

cſitur aliud mediante aliqua cauſa; ſed ad hoc ſufficit quòd intellectus diſtinguat inter extrema, & inter iſta,& medium, ſeu cauſam, & tunc erit medium rationis; ergo diffinitio diſtinguitur ſecundùm rationem à diffinito, & poteſt aſſumi ab intellectu ad probandum aliquid conuenire ſubiecto.

813. Ad hoc argumentum ſoluendum notanda eſt elegans doctrina Caietani lib. 1. Poſteriorũ cap.3 ſoluendo quartum argumẽtum Scoti, & illam transcribam hic, eo quòd valde conducit ad explicandum noſtram ſententiã, ſic enim ait.(ad clariorem horum noticiam;aduerte, quòd demonſtratio,etiam potiſſima inſtruentum intellectus humani coniuncti eſt, & non rerum proprietas. Quia autem demonſtratio intellectus noſtri eſt inſtrumentum, ad diſcurſiuè concludendum in materia neceſſaria, & inſtrumentum oportet eſſe conforme vtenti illo, & proportionatum materiæ,circa quam verſatur, oportet demonſtrationem conformẽ eſſe intellectui noſtro, & ſcibili vt ſic. Ineptè enim imbecilli artifici daretur inſtrumentum non facilè mobile, propterea quòd materia exigeret inſtrumentum adeò graue;meliùs enim proportionatum ſibi inſtrumentum traderetur, vt poſſet ſecundùm vires operari. Demonſtratio enim, & ſi ſecundùm ſe,ſeu ratione materiæ,quod idem eſt, exigat quòd concluſio eius non ſit ex rationibus terminorum nota,attamen ex imbecillitate intellectus, quæ communiter inuenitur in hominibus: qua ſit, vt aliquid ignoret de diffinito, quod nouit de diffinitione; oritur quòd demonſtratio conformis noſtro vſui ſit illa, in qua medium eſt quidditas alterius termini, & conſequitur quòd in ea prætermittatur id, quod ex ſe exigeret. Propterea Ariſtoteles,& cæteri confecturi demonſtrationẽ, talem nobis edidere, qualem vtilẽ eſſe cognoſcebant, nec tamen ſiluerunt,quòd aliæ eſſent eius conditiones, ſi noſtra non obſtaret infirmitas) Hæc Caietanus. Ex quibus optimè infertur quomodo ſit demonſtratio, illa, in qua medium eſt diffinitio ſubiecti; licet enim illa dicatur potiſſima, hoc tamen eſt, quia eſt magis accomodata nobis,attenta imbecillitate noſtri intellectus,& ideo licet in illa prætermittãtur conditiones requiſitæ ad demõſtrationem, dicitur tamen demõſtratio quo ad nos. Et ſic debet intelligi doctrina D.Thomæ, & quæ à nobis tradita eſt. Etenim admitto demonſtrationem ſecundnm ſe eſſe perfectiorem ſecundum ſe, quam demonſtratio, quoadnos, hęc autem dicitur potiſſima,quia magis accommodata noſtro vſui, quod potiſſimè attendendum eſt in inſtrumentis. Et per hoc patet ad 1.probationem primi ãntis.

814 Ad 2. probationem ex ratione petitam reſpondeo notando quòd diſtinctio rationis ratio cinatæ habet latitudinem, datur què vna maior altera. Prima. n. & quæ maior eſt, verſatur inter diuerſos conceptus obiectiuos, quorum vnus excludit alium, vt contingit inter genus, & differentiam. Secũda eſt quæ verſatur inter conceptus mutuò ſe includentes,& non mutuò ſe explicantes,

&

& hoc modo diſtinguuntur paſſiones entis inter ſe, & ab ipſo ente, & etiam attributa diuina inter ſe, & ab eſſentia. Tertia diſtinctio, & omnium minima eſt, quæ verſatur circa eundem conceptum obiectiuũ per hoc, quòd clarè, vel confusè attingatur, & ſic diſtinguuntur diffinitio, & diffinitum. Hoc ſuppoſito dicimus quòd ad demonſtrationem ſecundum ſe non requiritur diſtinctio realis inter medium, & ſubiectum, ita vt medium realiter mediet, hoc enim nullus ſomniauit, nec ſufficit quęcunquè diſtinctio rationis ex prædictis, ſed requiritur vel prima, vel ſecunda. Nam in vtraq; poteſt inueniri aliquid, quod verè mediet ſecundùm rationem, in prima manifeſtè conſtat, nam ſi ſunt duo cõceptus obiectiui mutuò ſe excludentes, vnus poteſt aſſumi, vt medium, & alter, vt extremum. In ſecunda, cum vnus cõceptus explicet aliquid, quod nõ explicat alius, & vnuſquiſque explicitum diſtinctum habeat, eſt ſufficiens diſtinctio, vt alter ſit medium, & alter ſit extremum. Et propterea demonſtrationes Metaphyſicæ, & Theologicæ ſunt tales ſecundùm ſe. Et per hoc patet ad inſtantias ibi adductas, et ad rationem à priori. At, cum diffinitio, & diffinitum diſtinguuntur ſolùm penes hoc quòd idem confusè, vel clarè attingatur, non eſt ſufficiens diſtinctio, vt conceptus formalis vnius ſit medium, & cõceptus formalis alterius ſit extremum, eo quòd ex parte conceptus obiectiui nulla eſt diſtinctio, vt contingit in prima, & ſecunda diſtinctione rationis. Et diſtinctio ex parte conceptuum formalium ad ſummum ſufficiet ad demonſtrationem, quoad nos, de qua in ſequentibus.

815. Arguitur 2. principaliter cõtra 2. con. Nam demonſtratio, in qua aſſumitur diffinitio, vt medium, ad demonſtrãdum aliquid de diffinito, vocatur à D. Thoma potiſſima demonſtratio, & à Caietano iudicatur inſtrumentum magis vtile, & accommodatum noſtro vſui; ergo ſaltim quoad nos erit verè demonſtratio. Et rõe pr. Nam demonſtratio, quæ verè eſt demonſtratio, diuiditur in demonſtrationem ſecundum ſe, & quoad nos, ita vt demõſtratio ſecundum ſe ſit illa, in qua datur aliquid, quod ſit medium ſecundum ſe, & aliqua, quæ ſecundum ſe ſint extrema; Demonſtratio aũt quoad nos ſit illa, in qua inuenitur aliquid medians quoad nos inter duo extrema; ſed diffinitio mediat quoad nos, inter diffinitum, & primam paſſionem; ſiquidem diſtinguitur quoad nos, à diffinito, cum diſtinguatur ratione diſtincti conceptus diſtinctè repræſentantis idem, quod cõceptus diffiniti repræſentat confusè; ergo demonſtratio, in qua diffinitio eſt medium, eſt demonſtratio quoad nos, & cõſequenter verè demonſtratio, vt potè contenta ſub demonſtratione. quę verè eſt demonſtratio.

816. Confirmatur hoc ex doctrina D. Thom. in illo Opuſc. 39 de fallaciis cap. 12. vbi poſt quàm explicuit quomodo accidat petitio principii, quando aſſumitur, ſeù petitur diffinitio ad probandum aliquid de diffinito, cuius verba adduximus nos in ſummulis tract. 1. conf. 1, num. 12. ſubdit in

fine

ſne illius capit. ſic. (Et eſt ſciendum quòd hæc fallacia non peccat contra vim illatiuam argumentandi, quia benè ſequitur cõcluſio, datis præmiſſis, cum ſeruetur debita habitudo inferentis ad illatum, ſed peccat contra probationem argumenti. Nam probatio debet eſſe magis manifeſta, quod hic non obſeruatur, vnde hic non accidit deceptio ex eo qđ concluſio nõ infertur ex præmiſſis, cum illationes prædictę ſint ſecundum locos dialecticos: ſed accidit deceptio ex eo quod petitur idem concedi, ac ſi eſſet diuerſum; vnde ſi in primiſſis modis argumentandi accipiantur præmiſſæ ex eo quòd ſint magis notę, & non quaſi petitæ, non erit argumentum ſophyſticum, ſed dialecticum.) Hæc D. Thomas. Ex quibus infertur quòd tunc ſolùm adeſt fallacia petitionis principij, quando ab arguente petitur concedi idem, acſi eſſet diuerſum: & quando prædictæ præmiſſæ accipiuntur, vt magis notę, tunc, expreſsè ait D. Thomas, non eſt argumentum ſophyſticum, ſed dialecticum, & ſecundùm locos dialecticos. Tunc ſic ad noſtrum intentum. Sed quando aſſumitur diffinitio, vt medium ad probandum primam paſſionem de ſubiecto, tunc accipitur diffinitio, vt magis nota nobis, ergo tunc non erit fallacia, ſed potiùs argumentum dialecticum.

817. Ad hoc argumentum reſpondeo ex ipſa doctrina Caietani adducta num. 127. quòd talis demõſtratio dicitur potiſſima, quia magis accommodata nobis, & ad illam reducuntur omnes aliæ demonſtrationes, in quibus demonſtrantur de ſubiecto aliæ poſteriores paſſiones; at cum hoc compatitur quòd non ſit verè demonſtratio, cum in ipſa non ſeruentur conditiones requiſitæ ad veram demonſtrationem, vt etiam ipſe Caietanus ibidem fatetur in vltimis verbis ſic dicens. (Propterea Ariſtoteles, & cęteri confecturi demonſtrationem, talem nobis edidere, qualem vtilem eſſe cognoſcebant; nec tamen ſiluerunt, quòd alię eſſent conditiones, ſi noſtra non obſtaret infirmitas) Sentit ergo alias eſſe conditiones demonſtrationis, & quòd illa dicitur demonſtratio propter noſtram infirmitatem, qui, vt ipſe ait, aliquid ignoramus de diffinito quod nouimus de diffinitione, & hæc ignorantia tollitur per talem demonſtrationem, cumquè tollatur, vt dictum eſt à nobis, ſola maiori explicatione illorum terminorum, qui continentur in concluſione illius demonſtrationis, hinc eſt, quòd talis demonſtratio non ſit verè demonſtratio probatiua, ſed magis explicatiua ſolùm eiuſdem veritatis. Ad rationem ibi deductam reſpondeo quòd etiam ad demonſtrationem, quoad nos, requiritur quòd medium ſit tale quoad nos, ideſt, quòd apprehendatur à nobis, vt medians inter extrema, quod non inuenitur in pręſenti; nam diffinitio nobis eſt magis manifeſta, quàm diffinitum, cæterum non apprehendimus illam, vt medium inter diffinitum, & paſſionem, ſed potiùs apprehenditur, vt idem diffinitum magis explicatum, cum hæc ſit eſſentia diffinitionis, ſcilicet, explicatio eius conceptus, quem dicit cõfusè diffinitum, ac proinde nec quo-

ad nos exiſtimatur, vt medium, & conſequenter demõſtratio vtẽs illa, vt medio, non eſt verè demõſtratio, quoad nos. Erit igitur illa verè demonſtratio, quoad nos, quando aſſumitur aliquid, quod ſaltim quoad nos mediet, & ſic contingit quando per effectus demonſtratur quidditas ſubiecti, & huiuſmodi eſt illa demonſtratio, qua demonſtratur Deum eſſe, & aliæ ſimiles.

818. Ad Confirmationem, vt reſpondeatur, notandum eſt cum communi doctrina Ariſtotelis, quam adducit M. Maſſius in fine logicæ lib. vno, quem inſcribit de Reprehenſionibus Sophiſtarum cap. 1. vbi ait quòd fallax ratiocinatio, alia eſt captioſa propter ſolam materiam, cum alioquin obtineat rectam formam, & alia eſt fallax propter ſolam formam, cum interim propoſitiones, ex quibus conſtat, ſint veræ; alia autem eſt fallax propter vtrumquẽ. Hac doctrina ſuppoſita ait D. Thomas, quòd quando accipitur diffinitio quaſi petita, ad probandum aliquid de diffinito, tunc fallacia non ſe tenet ex parte formæ, quia forma recta eſt, ſed ſe tenet ex parte materiæ, & ita ait tunc eſſe peccatum contra probationem quæ debet eſſe manifeſtior, Abſolutè tamẽ ibi adeſt fallacia, & talis ſyllogiſmus eſt fallax ad quod ſufficit defectus ille in probatione. Cæterùm quia diffinitio ipſa poteſt accipi, non vt petita, ſed potiùs, vt nobis magis manifeſta, in hoc caſu, ait D. Thomas, quòd (non eſt ſyllogiſmus fallax, ſed argumentum dialecticum.) Ideſt, procedẽs ex quodam loco Dialectico, qui dicitur à diffinitione ad diffinitum. Totum hoc concedimus arguenti & ex quo ad noſtrum intentum dicimus quòd ſi ſemel admittitur illud eſſe argumentum dialecticũ, non poteſt eſſe demonſtratio. Cũ conſtet ex dictis à nobis ſupra n. 270. quid ſit argumentum dialecticum, quid locus dialecticus. Argumentum enim dialecticum opponitur demonſtrationi, nam hæc infert concluſionem neceſſariam, & illud infert concluſionem probabilem. Et in communi modo loquendi, quo ſæpè ſæpius vtitur D. Thomas ſyllogiſmus dialecticus eſt idem quòd ſillogiſmus cauſaus probabilitatem. Et hæc eſt mens D. Thomæ in prædicto Opuſculo, quam aliqui nõ plenè percipiunt eo quòd non cõſiderant diſtinctionem inter argumentum dialecticum, & demõſtrationẽ, & falluntur ex eo quòd exiſtimant pro eodem ſumi dialecticum, & logicum, cum dialectica in modo loquendi D. Thom. & antiquorum, ſit pars ipſius logicæ

819. Arguitur 3. contra eandem 2. con. Nam vna diffinitio poteſt verè demonſtrari de ſubiecto per alteram diffinitionem, vt conſtat in ipſa demonſtratione; de qua probatur diffinitio accepta ex cauſa finali, per diffinitionẽ deſumptam ex cauſa materiali. Et ita ſupra à nobis dictum eſt nu. 229. cum Magiſt Soto, non dari circulum vitioſum quando idem per idem probatur, ſi ſit in diuerſo genere cauſæ, vbi dicebamus, quòd per diffinitionem importãtem cauſam materialem poteſt demonſtrari diffinitio importans cauſam efficientem, vel finalem, & è contra. Et ſupra tract. 1. cõſ. 3. num. 257. etiam docuimus vnã diffini-

Digitized by Google

diffinitionem per aliam verè demonſtrari;ergo etiam poterit verè demonſtrari primam paſſionẽ conuenire ſubiecto', accipiendo diffinitionem ſubiecti pro medio. Antecedens ſupponitur. Et conſequentia probatur. Nam in primo caſu licèt vna diffinitio non dicat aliquem conceptum obiectiuum diſtinctum, poteſt aſſumi, vt medium , ad probandum aliquid de diffinito: ergo etiam in noſtro caſu licet diffinitio non dicat conceptum aliquem diſtinctum,poteſt aſſumi, vt medium, ad probandam primam paſſionẽ de ſubiecto. Explicatur hoc. Nã ideò dicebamus quòd diffinitio non poterat aſſumi vt medium ad probandum aliquid de diffinito, quia diffinitio, & diffinitum habent eundem conceptum obiectiuum, & ſolũ diſtinguuntur penes conceptus formales repræſentantes confusè,ſeù diſtinctè; ſed hoc non obſtante vna diffinitio eſt medium inter diffinitum, & alterã diffinitionẽ ſaltim quoad nos, & prout ſic verè eſt demonſtratio illa, qua vna diffinitio per alteram demonſtratur ; ergo totum fundamentum noſtrum ruit, & illa diſtinctio diffinitionis à diffinito erit ſufficiẽs , vt diffinitio aſſumatur, vt medium in tali demonſtratione.

820. Ad hoc argumentum reſpondeo proceſſum illum,quo vna diffinitio per aliam oſtenditur , non eſſe verè demonſtratiuum. quòd expreſsè docuit Ariſtoteles lib.2.Poſt.cap.3. & Caietanus ibidem fatetur hanc eſſe mentem Ariſtotelis,& D.Thomæ; quamuis ipſe conetur explicare doctrinam Ariſtoteles,& D. Thomæ de proceſſu demonſtratiuo ſecundũ ſe, & doceat iſtum reprobari ab Ariſtotele, & D. Thoma,non autem reprobari proceſſum demonſtratiuum quoad nos Quod verũ eſt de proceſſu demõſtratiuo quoad nos , qui ſit non verè demonſtratiuus, ſed tãtùm maior explicatio eiuſdem veritatis: ac proinde eodem modo diſcurrendum eſt in vtroquè caſu , quia vtriuſque videtur eſſe eadem ratio. Quando autem dicimus demonſtrationem procedere poſſe ad idem per idem probandum ſi ſit in diuerſo genere cauſæ, tunc ibi tantùm intendimus docere in tali modo procedendi non committi circulum vitioſum , ac proinde ex hac parte non eſſe defectuoſum. Cæterum , vt ſit vndequaquè vera demonſtratio , deficit ratio medij , quia ſi accipitur vna diffinitio , vt medium, non diſtinguitur à ſubiecto,vt dictum eſt , nec contra hoc aliquid diximus in prædicto num.229. Præter quàm quòd ibi ſolùm gerebam officium expoſitoris M.Soto, eius doctrinam explicando,& in ſummam redigendo. Et in Conferentijs propriam mentem explico ſequens ſemper aliquos graues Thomiſtas. Item in dicto tract.1. Conf.1.num.257. ad ſaluãdum in logica eſſe aliquas demonſtrationes , quæ ſint tales verè,& propriè, dixi iuxta aliorũ ſententiam proceſſum illum, quo diffinitio per alteram oſtenditur, eſſe verè demonſtratiuum ; nam ad intentum illud ſufficiebat vti opinione probabili aliorum , & etiam ibi vſus fui opinione Caietani docentis illum proceſſum eſſe verè demonſtratiuum quoad nos . Cuius oppoſitum ſentio , & in præſenti defendo. Explicatio autem ibidem adducta de illo du-

plici modo demonſtrandi, nempè alium eſſe quo demonſtratur diffinitionem eſſe quidditatiuam illius, alium, quo oſtenditur talia prædicata conuenire tali ſubiecto, optimè impugnatur à Caietano lib. 2. Poſt. ſuper caput. 3. Ariſtotelis. Si enim præmiſſæ illius proceſſus ſunt propoſitiones quidditatiuæ, & vt tales cognoſcuntur ab intellectu demonſtrante, impoſſibile eſt quòd concluſio non ſequatur tanquã propoſitio quidditatiua, verbi gratia, ſi præmiſſæ ſunt per ſe, & neceſſariæ, concluſio, quę ſequitur, erit per ſe, & neceſſaria, ita ſi pręmiſſæ ſunt quidditatiuæ concluſio ſequuta erit quidditatiua. Videatur Caietanus ibidem.

CONFERENTIA 3.

Vtrum ſcientiæ ſumãt ſuam vnitatem, & diſtinctionem ex abſtractione, ſeù immaterialitate obiecti.

§. 1.

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

321 INter difficiles difficillimam appellat præſentẽ quæſtionem Collegium diſcalciatum, &, vt teſtatur Mag. Ioa. à Sancto Thoma, diuerſorum authorum placitis, & explicationibus facta eſt obſcurior, & implicatior. Ne autem nos in hoc vitium incidamus referẽdo ſententias, priùs breuiter explicato pũcto difficultatis, breuiter referemus ſententias, quæ inter modernos hodie amplectuntur, relictis alijs antiquorum. Igitur in primis ſupponendum eſt vnitatem cuiuſcumquè potentiæ, actus, & habitus, & ſimiliter diſtinctionem ſpecificam, de qua in preſenti loquimur, deſumendã eſſe ab vnitate, vel diſtinctione obiecti in ratione obiecti. Supponendum eſt. 2. qđ obiectum cuiuſcunq; ſcientiæ debet ad duo genera pertinere, & ad genus entis, & ad genus ſcibilis, & idcircò diſtinguenda eſt duplex ratio formalis in quolibet obiecto, altera, qua conſtituatur in genere entis, & altera, qua conſtituatur in genere ſcibilis, illa dicitur ratio formalis, quæ, & hæc vocatur ratio formalis, ſub qua, & licet vtraquè in ſuo genere ſit ratio formalis, tamen ratio formalis, quæ, vocatur materialis reſpectu rationis formalis, ſub qua. Hanc doctrinam, vt expreſſam D. Thomę, defendunt communiter Thomiſtæ contra P. Vazquez negantem pręfatam diſtinctionem rationis formalis quæ, & ſub qua. Supponendum eſt 3. quòd abſtractio à materia eſt duplex, altera eſt actiua, & eſt ipſa actio intellectus depurantis, ſeù denudandis rem à materia; altera eſt abſtractio paſſiua, & eſt ipſa actualitas, ſeu immaterialitas rei, quæ in ipſa inuenitur ſecundùm naturam, & ſpeciem. Et hæc ſolet dici abſtractio radicalis, ſicut, & illa vocari formalis. Quo ſuppoſito eſt difficultas, an ſcientiæ ſumant ſuam vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam

cificam ex abſtractione, vel immaterialitate.

822. In qua prima ſententia docet vnitatem ſcientiæ deſumi ex vnitate principalis obiecti, ad quod omnia alia partialia ordinã tur, vel à quo dependent, vt à principaliori. Ita Pater Suarez in Metaph. diſp. 44. ſect. 11. P. Fõſeca lib. 5. Metaph. cap. 7. q. 5. ſect. 2. Quam prius tenuit Scotus, & explicat, & defendit Merinero relatus à M. Ioa. à S. Thom. in logica q. 27. ar. 1. Secunda ſententia aſſerit vnitatem ſcientiæ deſumi ex principijs, ſeu medijs, & iuxta horum vnitatem, vel diſtinctionẽ debẽt conſtitui, & diſtingui ſciẽtiæ. Pro hac ſententia referuntur Mag. Nauarrete 1. p. controu. 9. & Ferrara lib. 1. contrag. cap. 16. Tertia ſententia affirmat vnitatẽ ſcientiæ deſumi ex abſtractione radicali, ſeu immaterialitate obiecti, per quã conſtituitur in ratione ſcibilis. Hanc defendunt Caietanus, Capreolus, Soto, Gõzalez, Maſſius, Sanchez, Arauio, & communiter Thomiſtæ, quos refert Collegium diſcal. in logica diſp. 19. q. 4. num. 43. Quarta ſententia ait qđ ad rationem formalẽ ſpecificatiuam ſcientiæ concurrunt, & abſtractio illa radicalis obiecti, & medium, ſeu principium demonſtrationis, per quod cognoſcitur concluſio, cum hac tamen differentia: qđ ex abſtractione à materia accipitur vnitas, & diſtinctio generica ſcientiarum, ita vt illæ ſcientiæ ſint vnius generis, quæ habuerint eandem abſtractionem; vnitas autem, & diſtinctio ſpecifica ſumitur ex vnitate, vel diſtinctione ſpecifica principiorum intra idem genus ſcibilis, ſeu intra eandem abſtractionem. Hãc ſententiam defendit Collegium diſc. vbi ſupra à n. 53. & pro eadem refert plures Thomiſtas.

§. 2.

Reſoluitur difficultas.

823. PRO reſolutione veritatis ſit prima concluſio. Vnitas ſcientiæ non poteſt deſumi ab obiecto in eſſe entis, nec ſufficienter explicatur per hoc quòd deſumatur ex vnitate obiecti principalis, ad quod omnia alia partialia ordinantur. Hęc concluſio habet duas partes. Prima aſtruitur contra Patrem Vazquez aſſerentem ex vnitate obiecti in eſſe entis deſumi vnitatem ſpecificam ſcientię. Et pr. Nam ſcientia debet ſumere ſuam vnitatem ſpecificam à ſuo obiecto in ratione obiecti conſiderato; ſed obiectum in eſſe entis non conſideratur, vt obiectum formaliter: ergo ab obiecto in eſſe entis non accipitur vnitas ſcientiæ. Maior eſt certa. Et min. probatur. Nam eadem res in eſſe entis poteſt habere plures ſpecies, imo, & plura genera ſub ſe, & in ratione obiecti habere vnitatem ſpecificam: ergo obiectum in eſſe entis non conſideratur, vt obiectum formaliter. Pr. antecedens pluribus exemplis. Nam color in eſſe entis, ſeu qualitatis eſt quoddam genus habens ſub ſe plures ſpecies, & tamen in ratione obiecti viſus eſt vnum ſecũdũm ſpeciem, Item ens ſub ſe continet omnia genera rerum, & tamen in ratione obiecti intellectus, vel meta-

phy-

Digitized by Google

phyſicæ habet vnitatem ſpecificā: ergo eadem res in eſſe entis poteſt habere ſub ſe plures ſpecies, imò, & genera, & in eſſe obiecti habere vnitatem ſpecificam. Cōfirmatur hoc. Nam circa eandem rem poſſunt verſari, & de facto verſantur diuerſæ ſciētiæ, quæ diſtinguuntur ſpecie, imo, & genere; ergo ex parte illius rei debet aſſignari aliquid ratione cuius poſſit terminare illas diuerſas ſciētias. Antecedens conſtat multis exemplis. Etenim quantitas continetur ſub obiecto Metaphyſicæ, & Matematicæ, & Phyloſophiæ, & adeſt commune exemplum de hac veritate, terra eſt rotunda, quæ demonſtratur à diuerſis ſciētiis; ergo circa eandem rem tàm diuerſæ ſcientiæ verſantur, quà propter aliquid aſſignandum eſt præter rationē entis, quo res conſtituatur formaliter in ratione obiecti ſpecificantis ſcientiam. Et fauet D. Thom. in locis infra citandis pro noſtra reſolutione, in quibus clarè diſtinguit rationem entis, & rationem ſcibilis, & ab iſta, ait, ſcientias ſumere ſuam vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam.

824. Secunda pars concluſionis ſtatuitur contra P. Suarez, & antequam impugnetur, explicandum eſt in quo conſiſtat eius ſententia. Ipſe enim fatetur eſſe difficillimū ſtatuere quid ſit illud per quod conſtituitur obiectum vnū in ratione obiecti, & reiectis alijs modis explicādi rem, ſtatuit proprium dicens. Quòd quando aliqua ratio formalis obiecti ſcibilis, quæ ſolet dici ratio, quæ, eſt talis, vt in ea contineantur, quæ in illa ſcientia tractantur, aut demonſtrantur, quia per illam, aut in ordine ad illam, reliqua inquiruntur, tunc illa ratio conſtituit omnia illa ſub vna ratione ſcibilis, ſiuè illa ſit ratio ſpecifica in eſſe rei, ſiuè non. Quæ verba refert Collegium diſcalc. ex eodem P. Suarez dicta ſect. 11. num. 68. quē dicendi modum eſſe inſufficientem ſic probatur. Nam ſolum ait quòd quando aliqua ratio continet omnia, quæ in tali ſciētia tractantur tunc conſtituit omnia illa ſub vna ratione ſcibilis. At non explicat quid habet, vel habere debet talis ratio, vt tali modo contineat illa omnia, & quis ſit iſte modus continentiæ. Nec ſatisfacit id quod addit, nēpè quòd tunc illa continet, quando omnia per illam aut in ordine ad illam rationem inquiruntur. Non, inquam, ſatisfacit. Nam reſtat explicare in quo conſiſtat iſte ordo omniū ad illam, imo aliquid inuenitur in illa ratione formali, ratione cuius petat omnia propter illam, & in ordine ad illam inquiri, & hoc, quod inuenitur, erit id per quod conſtituatur vna ratio formalis reſpectu omnium. Nec ſufficit reſpondere quòd ex modo diffiniendi illam rationem formalem, & reliqua omnia, colligitur vnitas, vel diuerſitas illius. Nō ſufficit. Nam eſto verum ſit quòd diuerſus modus diffiniendi faciat cognoſcere diuerſitatem rationis formalis, tamen talis diuerſus modus diffiniendi oritur ex aliqua ratione inuenta in ipſa re, & non omnis diuerſus modus diffiniendi facit cognoſcere diuerſitatem, ſiquidem in eadem ſcientia ſunt valde diuerſæ diffinitiones, & naturæ diffinitæ; ergo reſtat huic dicendi modo explicare quid ſit illud, ex quo oritur diuerſus

Digitized by Google

modus diffiniendi, & quæ diuerſitas requiratur, & ſufficiat in tali diffiniendi modo, vt inde colligatur diuerſitas, vel vnitas rationis formalis ſpecificantis, & hæc omnia explicabuntur ex expreſſa doctrina D. Thom. qua magis conſtabit in ſufficientia prædicti modi, de cuius impugnatione videatur P. Rubio, Colleg. diſcalc. & M. Ioa. a ſancto Thoma in loci iã allegatis.

825. Secunda concluſio. Vnitas tàm generica, quã ſpecifica obiecti, in ratione ſcibilis ſumitur ex abſtractione, ſeù immaterialitate illius, & ab illa ſumunt vnitatem genericam, vel ſpecificam ſcientię. Hæc concluſio, quantùm ad vnitatem genericam admittitur ab omnibus ferè Thomiſtis, quos refert, & ſequitur Colleg. diſc. Et quantum ad ſecundam partem videtur negari à prædicto Collegio aſſerente vnitatem ſpecificam deſumi ex principiorum vnitate. Et quidem quantum ad vtramquè partem noſtra concluſio eſt expreſſa D. Tho lib. 1. Poſt. cap. 41. vbi poſt quam docuit vnitatem ſcientiarum non deſumi ex vnitate obiecti in eſſe rei, ſed in eſſe ſcibilis, eo quòd illa eſt materialis, & hæc formalis, ſic ait. (diſtinguuntur autem genera ſcibilum ſecundùm modum cognoſcendi, ſicut alio modo cognoſcuntur ea, quæ diffiniuntur cum materia, & ea, quæ ſine materia. Vnde aliud genus ſcibilium eſt corpus naturale, & corpus mathematicum, &c.) Hucuſquè refert Colleg. diſcalc. verba D. Thom. qui ita immediatè proſequitur. (Et vtrumque horum generum diſtinguuntur in diuerſas ſpecies ſcibilium ſecũdum diuerſos modos, & rationes cognoſcibilitatis.) Ecce quomodo vtrãquè vnitatem, ſcilicet genericam, & ſpecificã reducit in vnitatem modi cognoſcibilitatis.

826. Explicatur amplius mens D. Tho. Nam loquens de vnitate ſcientiæ docet ad illam requiri, & vnitatem ſubiecti, & vnitatem principiorum. Sic. n. ibidẽ ait (ad hoc autem quòd ſit vna ſcientia ſimpliciter vtrumquè requiritur, & vnitas ſubiecti, & principiorũ) Et poſt pauca ſic docet (Nec tamen intelligendum eſt, quòd ſufficiat ad vnitatem ſcientiæ vnitas principiorum primorum ſimpliciter, ſed vnitas primorum principiorum in aliquo genere ſcibili.) Et ſtatim proponit verba in numero antecedenti relata, in quibus docet genera ſcibilium diſtingui ſecundùm diuerſum modum cognoſcendi, & concludit ſic (vnde ſunt diuerſa principia prima vtriuſquè generis, & per conſequens diuerſæ ſcientiæ.) Ex quibus omnibus rectè ponderatis ſequitur quòd D. Thomas loquens de vnitate ſcientiarum docet ad illam concurrere vnitatem ſubiecti, & principiorum, & vlteriùs inquirens a quo principio proueniat vnitas ſubiecti, & principiorum, aſſerit prouenire ex diuerſo modo cognoſcendi, ſeù ex diuerſa cognoſcibilitate. Quãpropter ad vnitatem genericam ſcientiæ requiritur vnitas generica ſubiecti, & principiorum, quę prouenit ex vnitate modi cognoſcendi, vel cognoſcibilitatis, & ad vnitatem ſpecificam etiam vtraquè vnitas, & ſubiecti, & principiorũ requiritur, quæ etiam ex diuerſo modo ſpecifico cognoſcendi, vel ex diuerſa ſpecie cognoſcibilitatis pro

ueniunt

Digitized by Google

neniunt, & conſequenter eodem modo, cum proportione, loquendũ, & ſentiendũ eſt de vnitate generica, & ſpecifica, & dicendum vtrãqnè deſumi ab immaterialitate, ſeu abſtractione obiecti.

827. Ratio autem à priori vtriuſque partis concluſionis deſumitur ex D. Thoma Opuſc. 70. ſuper Boetium q.5.art.1,in corp. vbi loquens de ratione formali ſpecificatiua ſcientiæ ſpeculatiuę ſic ait.(Speculabili autem ſecundum quod eſt obiectum ſpeculatiuæ potentiæ, aliquid competit ex parte potentiæ intellectiuæ, & aliquid ex parte habitus ſcientiæ, quo intellectus perficitur, Ex parte quippè intellectus competit ei quòd ſit immateriale, quia,& ipſe intellectus eſt immaterialis; ex parte verò ſcientię competit ei quòd ſit neceſſarium, quia ſcientia de neceſſarijs eſt, vt probatur 1.poſt Omne autem neceſſarium, in quãtum huiuſmodi, eſt immobile,quia omne, quod mouetur, in quantùm huiuſmodi, poſſibile eſt eſſe,& non eſſe ſimpliciter, vel ſecundùm quid,vt dr.10.Metaph. ſic igitur ſpeculabili, quod eſt obiectum ſpeculatiuæ ſcientiæ, per ſe competit ſeparatio, & à materia,& à motu,vel applicatio ad ea, & ideo ſecundùm ordinem remotionis,& à materia, & à motu ſcientiæ ſpeculatiuę diſtinguũtur.) Hæc D.Thomas.

828. Ex quibus formatur ratio à priori. Nam obiectum formale ſpecificatiuum ſcientiarum continetur formaliter ſub obiecto formali ſpecificatiuo intellectus, & iſtud determinat, ſicut.n. habitus ſcientiæ determinat potentiam ad talem actum ſecundũ ſpeciem, ita obiectum formale ſcientiæ determinat obiectũ formale intellectus ad tale genus.l. ſpeciem; ſed obiectum formale Intellectus conſtituitur per immaterialitatem, ſiquidem in tantum aliquid eſt intelligibile, in quantùm eſt in actu, & conſequẽter ſeparatum à materia; ergo obiectum formale ſcientiæ debet determinare talem immaterialitatem,ac proinde conſtituetur in ratione talis per talem immaterialitatẽ. Confirmatur,& vrgetur hoc. Nam obiectum formale ſciẽtiæ,ea parte,qua pertinet ad lineã obiecti intellectus,debet conſtitui per immaterialitatem, ſiquidem debet participare rõem formalẽ ſpecificatiuã obiecti intellectus, quæ eſt immaterialitas: & ea parte, qua pertinet ad obiectum formale ſcientiæ determinat obiectum intellectus per hoc, quòd ſit immateriale neceſſarium, cum ſcientia ſit de neceſſarijs: ergo in ratione formali obiecti ſcientiæ conſtituitur per ſpecialem modũ immaterialitatis. Antecedens eſt certum, & conſtat ex Doctrina D.Thom. Et cõa pr. Nam in tantùm aliquid eſt neceſſarium, in quantum eſt immobile, & in tantum eſt immobile, in quantum ſeparatum à motu, ſed in tantùm aliquid eſt ſperatum à motu, in quantùm eſt ſeparatnm à materia; illa enim quæ minus habẽt de materia, minus ſubduntur motui, cum materia ſit prima radix mutationis,& contingentię, vt docet D.Thom. ergo de primo ad vltimum in tantùm eſt aliquid neceſſarium, in quantùm ſeparatum, ſeu abſtractum à materia, & ideo ſi obiectum ſolum addit eſſe neceſſarium,in ratione talis conſtituitur per ſeparationem à materia

ria

ria, & conſequenter per immaterialitatem.

829. Conſtat igitur quòd ſcibile genicè acceptum conſtituitur per talem immaterialitatem genericè acceptam, & ſcibile ſpecificè ſumptum per talem immaterialitatem ſpecificè ſumptam. Nã ſcibile genericum eſt immateriale neceſſarium, & ſcibile ſpecificum addit ſpecialem modum neceſſitatis, ac proinde ſicut neceſſitas in genere dicit immobilitatem in genere, quæ conſtituitur per ſeparationem à materia in genere, ita neceſſitas in ſpecie dicit immobilitatem in ſpecie, quæ conſtitui debet per ſpecificam ſeparationem à materia, quæ à nobis dicitur abſtractio à materia, ſeu immaterialitas. De cuius diuerſitate tàm generica quàm ſpecifica aliqua dicemus in ſequentibus.

§. 3.

Explicantur varij modi abſtractionum, ex quibus diſtinguũtur ſcientiæ.

830. TRiplex gradus abſtractionis à materia diſtinguitur à D. Thoma in Opuſc. 70. relato, & deſumitur ex triplici materia, à qua poteſt obiectum aliquod abſtrahi. Materia enim ad preſens intentum, alia eſt ſingularis, alia ſenſibilis, & alia intelligibilis. Materia ſingularis dicitur omne id, quod pertinet ad indiuiduationem, ſeu ſingularitatẽ rei. Senſibilis dicitur omne id, qđ ad ſenſus pertinet, & per aliquem illorum percipi poteſt. Tandem materia intelligibilis dicitur illa, quæ per ſolum intellectum attingi poteſt, verbi gratia, ſubſtantia ipſa corporea, & materia prima. Ex quo reſultat triplex abſtractio, altera à materia ſingulari, altera à materia ſenſibili, & altera à materia intelligibili, iuxta quas diſtinguuntur tria genera ſcibilium, aliud eſt ſcibile Phyloſophicum, quod dicitur naturale, quod conſideratur prçcisè, vt abſtractum à ſola materia ſingulari, & concernens alias, & tale ſpecificat Phyloſophiam, quæ dicitur ſcientia naturalis. Aliud ſcibile eſt mathematicum, quod abſtrahit à materia ſingulari, & ſenſibili, & concernit materiam intelligibilem, verbi gratia, quantitas, quæ eſt obiectum quod attingitur à Mathematicis, qui illam conſiderant, nihil curando de alijs qualitatibus ſenſibilibus. Aliud ſcibile eſt quod abſtrahit ab omni materia, quod attingitur à Metaphyſica, quæ tractat de rebus, quæ ſine materia eſſe poſſunt, vel licet non poſſint eſſe, ab ipſa ſine illa conſiderantur. Inter quas abſtractiones cum iſta vltima ſit maior, eſt perfectior, & ideo obiectum ſcibile in ratione talis perfectius eſt, & ſcientia perfectior. Deinde ſequitur ſecunda abſtractio, & tandem tertia, quæ minor eſt alijs, & conſequenter obiectũ per illam conſtitutum imperfectius, & etiam ipſa ſcientia ab ipſo ſpecificata.

831. Præter iſtas tres abſtractiones, quibus conſtituitur triplex genus ſcibilium, docuit D. Thomas dari alias ſpecies diuerſas

Digitized by Google

tas ſecundùm diuerſos modos intelligibilitatis. Et vt intelligatur huiuſmodi diuerſitas,notanda eſt elegans doctrina Magiſtri Bañez quam adducit Mag. Ioa. à Sancto Thoma dicta q.27.art.1. aduertit enim,quòd abſtractio à materia conſideratur per modum cuiuſdam motus,in quo conſideratur terminus à quo,nempè materia, quę derelinquitur per abſtractionem,& terminus ad quem, qui eſt ipſa actualitas, quæ remanet in re abſtracta, ex vi abſtractionis. Ex parte igitur abſtractionis, prout reſpicit terminum à quo, diſtinguitur prædictum triplex genus ſcibilium, & omnia, quæ continentur ſub vnoquoque genere ,conueniunt æqualiter in derelictione talis materiæ. Cæterum ex parte termini ad quem, etiam poſſunt diſtingui diuerſi modi actualitatis in rebus ipſis ſic abſtractis, & penes iſtos diuerſos modos actualitatis, seù immaterialitatis, diſtinguuntur variæ, & diuerſæ ſpecies ſcibilium. Hoc autem exemplis fiet manifeſtum. Nam Theologia, Metaphyſica,& Logica reſpiciũt obiecta ſua, quæ conueniunt in eo quòd omnia abſtrahunt ab omni materia, cum prædictæ ſcientiæ nullam ex tribus materijs ſupra enumeratis conſiderent ex parte obiecti;& tamen diſtinguuntur ſpecie ratione diuerſæ actualitatis, ſeù immaterialitatis, quæ in obiecto ipſo cõſideratur. Theologia enim conſiderat Deũ,vt obiectum, qui ſummam actualitatem in ſe habet, & illum attingit,ſub lumine diuinæ reuelationis virtualis. Metaphyſica agit de ente ſub communiſſima ratione. Logica autem tractat de ſecundis intentionibus, quæ propter ſui minimam entitatem, minimam actualitatem habent, quã aliqui vocant negatiuam. Item Geometria,& Arithmetica abſtrahunt à materia ſenſibili, in quo æqualiter conueniunt,nam nulla ex illis conſiderat aliquam materiam ſenſibilem in ſuo obiecto, & ſub iſta abſtractione diſtinguũtur ſpecie. Quæ ſpecifica diuerſitas deſumitur ex diuerſa immaterialitate, quæ inuenitur in ipſis obiectis abſtractis. Nam Arithmetica agit de quantitate diſcreta, quę minus materiæ concernit, quàm quantitas continua,de qua tractat Geometria, eo quod diſcreta minus dependet à loco, & tempore,quàm continua. Deniquè Phyloſophia, & Medicina conſiderant obiectum, quod tantùm abſtrahit à materia ſingulari, & tamen diſtinguuntur ſpecie propterea quod corpus ſanandũ magis concernit materiam, quã corpus mobile. Ecce quomodo per abſtractionem, vt reſpicit actualitatem,& immaterialitatem in termino à quo, nempè in re abſtracta,relictam,diſtinguũtur ſpecie diuerſæ ſcientiæ, & hæc eſt mens D. Thomæ, aſſerentis diſtingui ſpecie per diuerſos modos cognoſcibilitatis. Inſuper addo quòd etiam in prædicta diuerſitate ſpecifica obiecti poſſunt diſtingui diuerſi termini à quo derelicti, nam ad explicandam diuerſam illam actualitatem in termino ad quem,recurrimus ad maiorem vel minoré acceſſum ad ſupremam actualem, & receſſum à minori,ac proinde poſſunt diſtingui, & varij termini à quo,& diuerſi termini ad quem in prædictis actualitatibus. At vtrumquè in re eſt idem, ſiue hoc vel illo

modo

modo explicetur, & ex doctrina tradita multæ difficultates euaneſcunt.

§. 4.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

832. ARguitur 1. contra noſtram reſolutionem. Nam ſcientiæ non poſſunt ſpecificari ab obiecto in eſſe ſcibili: ergo ſpecificãtur ab illo in eſſe entis. Pr. añs. Nam obiectum, vt ſcibile, præſupponit ipſam ſcientiã iam conſtitutam, etenim eſſe ſcibile eſt denominatio extrinſeca prou eniens à ſcientia. Ex eo.n.qđ obiectum terminet scientiam, dicitur ſcibile; ergo ab illo in eſſe ſcibili non ſpecificatur. Si autem dicas qđ ſcibile poteſt ſumi dupliciter, & pro ſcibili extrinſecè, & ſic eſt extrinſeca denominatio, & pro ſcibili intrinſecè, ideſt pro illo, quod eſt in obiecto, ratione cuius terminat ſcientiam, & à ſcibili in hac conſideratione ſcientiam ſpecificari. In contra eſt. Nã ante extrinſecam illam denominationem ſcibilis, nihil reale eſt in obiecto, quod non pertineat ad genus entis, ergo ſi ſcientia ſpecificatur ab illo, cõns eſt, vt ſpecificetur ab obiecto in eſſe entis. Pr. añs. Nam qđ inuenitur realiter in obiecto eſt ſua quidditas actualis, ſeu actualitas, per quam cõſtituitur quidditatiuè in ſua ſpecie; ſed totum hoc pertinet ad genus entis; ergo totum, quod inuenitur ante extrinſecam ſcibilitatem, pertinet ad genus entis. Confirmatur hoc. Nam abſtractio illa fundamentalis, ſeu radicalis, quæ ſe tenet ex parte obiecti, & à nobis aſſignatur, vt ratio formalis ſub qua obiecti, eſt de linea entis. Nam nihil aliud eſt, quã propria actualitas vniuſcuiuſquè, vt dictũ eſt, ſed prædicta actualitas conſtituit rem in ratione entis actualis: ergo eſt de linea entis, & conſequenter non eſt diſtinguenda illa duplex ratio, quæ, & ſub qua, ſed à ratione entis ſufficiẽter poſſunt ſpecificari, & diſtingui ſcientiæ.

833. Ad hoc argumentum optimè dictum eſt diſtinguendo illã duplicem acceptionem ſcibilis, ſicut etiam diſtinguitur obiectum ſenſibile, ita vt ſenſibile dicatur ex ſola terminatione potentiæ ſenſitiuæ, vel ratione propriæ entitatis. Et tunc rectè dictum eſt qđ ſciẽtia ſpecificatur à ſcibili, prout dicit intrinſecam ſcibilitatem, quæ eſt ante terminationem illã extrinſecam. Ad impugnationem huius negatur antecedens. Ad cuius probationem reſpondeo, quòd præter entitatem intrinſecã obiecti, reperitur intrinſeca intelligibilitas, quę oritur ex propria actualitate, itaquè actualitas conſtituit rem in eſſe entis actualem, & fundat intelligibilitatem intrinſecã, & hæc eſt de linea obiecti, & ab iſta, vt abſtractione formali ſub qua ſpecificantur sciẽtiæ Ex quo patet ad confirmationem, & ideo dixit Caietanus lib. 1. Poſt. c. 22. qđ diuerſitas entis non cauſat diuerſitatem in ſcientia, niſi ſecundum quod ad diuerſitatem in genere entis, ſequitur diuerſitas ſcibilium. Stat. n. optimè duo inter ſe ſpecificè diſtingui, & tamen conuenire in aliqua rõe actualitatis, & intelligibilitatis, quam at-

ſtingit vna ſcientia.

834. Arguitur 2. Nam ſtat optimè dari aliquam ſcientiam, quæ ſit vna ſecundùm ſpeciem infimam, cuius obiectum in rõe ſcibilis non ſit vnum in ſpecie; ergo vnitas ſcientię ab obiecto in eſſe ſcibilis nõ deſumitur. Pr. añs. Metaph. eſt vna ſecũdùm ſpeciem infimam, vt modò ſuppono; & tamen eius obiectum eſt ens in tota ſua latitudine, prout eſt commune ad Deũ, & creaturas, ad ens reale, & rõis; ergo eius obiectum non põt eſſe vnũ in ſpecie, etiã rõe ſcibilis Pr. cõa. Nã nulla ratio vniuoca, quæ ſit realis, põt eſſe cõis enti reali, & rõis, Deo, & creaturis, ſed ratio ſcibilis eſt aliqua ratio realis; ergo non põt inueniri vniuocè in prædictis ratio entis, quam, vt obiectũ reſpicit metaph & conſeſequenter huius obiectum non eſt vnum ſecundum ſpeciem. Si autẽ dicas cũ M. Bañez, Zumel, & alijs, qđ licet obiectũ non ſit vnum ſecundũ ſpeciem, poteſt tamen dare ſcientiæ vnitatem ſpecificã, eo qđ ſe habet per modũ cauſę formalis. quæ põt dare id, qđ non habet, ad differentiam cauſæ efficiẽtis. In contra obijcit Mag. Gõzalez 1. p. q. q. 1. art. 3. diſp. 3. num. 48. Nam omnis cauſa ſaltim, vt quo, dẽt in ſe habere id, qđ dat, albedo enim quæ dat eſſe album in genere cauſæ formalis, licet non ſit alba vt quod, eſt tamen alba, vt quo, ergo eodem pacto, ſi obiectum ſcientiæ dat ipſi vnitatem ſpecificam, debet formaliter, & vt terminat habitudinem illius ſcientiæ, præhabere in ſe vnitatem ſpecificam, licet in se materialiter habeat aliam minorem vnitatem. Secundò poteſt obijci. Nam D. Thom. ad diſtinguenda varia genera ſcientiarum, diſtinguit varia genera ſcibilium, & ad diſtinguendas varias ſpecies ſcientiarum recurrit ad varios modos ſpecificos intellectualitatis in obiecto; ergo ſentit quòd talis vnitas erit in ſcientia, qualis in obiecto, ita vt ſi obiectum eſt vnum genere, ſpecificet vnam ſcientiam genere; & vnam in ſpecie, ſi obiectum eſt vnum ſecundùm ſpeciẽ; at in obiecto metaphyſicę, non reperitur aliqua vnitas ſiuè generica, ſiuè ſpecifica, & in ipſa ſcientia inuenitur vnitas ſecũdùm ſpeciem; ergo ab obiecto, adhuc in ratione ſcibilis nõ deſumitur vnitas ſcientiarum.

835. Ad hoc argumentum, relicta ſolutione data, reſpondeo Metaphyſicam eſſe vnam in ſpecie infima, & obiectum illius in rõe ſcibilis eſſe vnum ſpecificè, propterea quòd ratio formalis, ſub qua, illius eſt abſtractio ab omni materia, quæ indiuiſibilis eſt ſecundùm ſpeciem. Et ad huius improbationem reſpondeo, nullum eſſe inconueniens quòd Deus, & creatura conueniant vniuocè in aliquo modo abſtrahendi à materia, & tunc ratio illis communis erit de genere intelligibilis, & non de genere entis: Quo circa licet ratio entis ſit analoga Deo, & creaturis, poteſt tamen dari aliqua ratio de genere intelligibilis vniuoca, ſicut etiam datur ſubſtantiæ, & accidenti, & enti reali, & rationis, vt dicebamus in ſummulis tractat. 2. Conf. 9. num. 101. & ideo licet ratio formalis, ſub qua, obiecti metaphyſicæ ſit communis Deo, & creaturis, tamen vniuoca eſt. Et eodem modo poteram reſpondere etiam ſi eſſet communis enti

reali,

Digitized by Google

reali, & rationis, nempè nullum eſſe inconueniens, imo ita de facto accidere quòd detur aliqua ratio vniuoca communis vtriquè, vt conſtat ex dictis loco allegato ex ſummulis, & in hoc opere tractat. 1. Conſ. 3. n 270.

836. Arguitur 3. Nam ſub eadem abſtractione, & immaterialitate obiectiua, reperiuntur plures ſcientię diuerſę ſecondùm ſpeſpié, v. g. ſub abſtractione ab omni materia reperiuntur Theologia, Metaphyſica, & Logica, & ſub abſtractione à materia ſenſibili continentur Geometria, & Arithmetica, & ſub abſtractione à materia ſingulari Phyloſophia, & Medicina, imo diuerſe partes eiuſdem phyloſophiæ, nempè tractatus de cęlo, & de generatione quæ diſtinguuntur ſpecie, & tamen in omnibus eſt eadem abſtractio; ergo vnitas. l. diſtinctio ſcientiarum non poteſt deſumi ex abſtractione. Nec valet ſi dicas quòd prædictæ abſtractiones conſtituunt diuerſa genera ſcibiliũ, & ſub vnoquoquè conſtituuntur plures ſpecies ſcibilium, & conſequenter plures ſpecies ſcientiarum, quæ enumeratæ ſunt. Nam contra eſt. Nam hoc dici non poteſt de abſtractione ab omni materia, quæ non poteſt accipere magis, & minus, ſi enim eſt abſtractio ab omni materia, nullam poteſt concernere, & conſequenter non admittit latitudinem; ergo ſub ſe non poteſt comprehendere varias ſpecies abſtractionis, quod erat neceſſarium, vt ſub ſe contineret varias ſpecies ſcibilium.

837. Ad hoc argumentum cõſtat ex dictis num. 745. quòd etiam ſi abſtratio ea parte, qua reſpicit terminum, à quo, ſcilicet materiam, quam derelinquit, ſit æqualis, tamen ex parte termini ad quẽ relinquit varios modos actualitatis, & intellectualitatis, ſecundùm quos poſſunt diſtingui variæ ſcientiæ ſpecificè. Et ibidem adduximus prædicta exempla. Quibus addidi etiam poſſe verificari diuerſas abſtractiones, & diuerſos terminos ad quem. Et ita ſaluatur quòd ſub eodem genere abſtractionis contineantur diuerſi modi actualitatis, & intellectualitatis. Nec obſtat impugnatio ibi poſita. Nam licèt non ſit maior abſtractio, quàm illa, quæ eſt ab omni materia, quãtùm ad terminum à quo, quem derelinquit, tamen poteſt dari maior acceſſus ad actualitatem, quæ eſt terminus ad quem, & per hoc diſtinguuntur diuerſæ ſpecies actualitatis. Vel dicatur quòd illa abſtractio ab omni materia intelligibili etiã admittit magis, & minus, nam licet obiectum Metaphyſicę abſtrahat ab omni, permittit tamen ſuum obiectum cum aliqua materia cõiungi, at obiectum Theologiæ ita purum, & actuale eſt, vt illi omnino repugnet aliqua materia ſiuè Phyſica ſiuè metaphyſica, cum Deus ſit omninò expers non ſolùm materiæ phyſicæ, ſed etiam cuiuſcunquè potentialitatis. Abſtractio autem pertinens ad logicam minima omnium eſt, vt diximus, quibus aliqui addunt, logicam concernere materiam, ſaltim denominationis, quod ſufficit ad ſaluandum dari latitudinem in prædicta abſtractione ab omni materia.

Si autem opponas ſequi ex dictis quòd Theologia ſit ſub eodẽ genere cum Metaphyſica, ſiquidem continentur ſub eadẽ abſtractione

ctione generica, quæ eſt abſtractio ab omni materia. Reſpódeo nullum, meo videri, eſſe inconueniẽs Theologiam, & Metaphyſicam contineri ſub eodem genere abſtractionis, & diſtingui inter ſe ſpecie propter diuerſam immaterialitatem ex parte obiecti vt dictum eſt, quamuis oppoſitum aſſerat Colleg. diſc. 19. q. 4. num. 58. ſed ad intentum noſtrum parum conducit quòd conueniãt, vel diſtinguantur in genere, dùm vnitas, vel diſtinctio refundatur in diuerſitatem abſtractionis obiecti. De vnitate autem Phyloſophiæ dicemus poſtea 757.

838. Arguitur 4. ad probandũ vnitatem ſpecificam ſcientiarum deſumi non ex abſtractione, ſed ex vnitate principiorum. Et videtur expreſsè traditum à D. Thom. Nam lib. 1. Poſt. lect. 41. iam citata ſic ait. (Sicut autem formalis ratio viſibilis ſumitur ex lumine, per quod color videtur; ita formalis ratio ſcibilis accipitur ſecundùm principia, ex quibus aliquid ſcitur. Et ideò quantùmcunque ſint aliqua diuerſa ſcibilia per ſuam naturam, dummodo per eadem principia ſciantur, pertinent ad vnam ſcientiam). Item ibidem poſt pauca ſic docet. (Sed vlteriùs conſiderandum eſt, quod ſecunda principia virtutem ſortiuntur à primis. Vnde requiritur diuerſitas principiorum ad diuerſitatem ſcientiarum). Et in eodẽ loco aſſerit vnitatem principiorũ ſub aliquo genere ſcibili requiri, & addit genera ſcibilium diſtingui ſecundùm modum cognoſcẽdi: & cõſequenter vnitatem principiorum, exiſtimat, concurrere ad vnitatem ſpecificam. Idẽ clare docuit 2. 2. q. 1. art. 1. vbi ait. (Cuiuslibet cognoſcitiui habitus obiectum duo habet, ſcilicet id qđ materialiter cognoſcitur, quod eſt ſicut materiale obiectũ, & id, per quod cognoſcitur, quod eſt formalis ratio obiecti; ſicut in ſcientia Geometriæ materialiter ſcita ſunt coclusiones; formalis verò ratio ſciendi ſunt media demonſtrationis, per quę concluſiones cognoſcuntur.) In quibus expreſsè fatetur formalem rationẽ obiecti eſſe media, ſeu principia. Ratio autem à priori ſic proponitur à Colleg. diſcalciat. num. 55. Nam principia, ſeu media demõſtrationis eatenùs pertinent ad rationem formalem ſpecificatiuam ſcientiæ, quatenus gerunt vicem luminis, per quod illuminatur, & cognoſcitur concluſio: ergo tunc concluſio erit diuerſa in eſſe ſcibilis, quando principia, per quæ illuminatur, fuerint in ratione luminis diuerſa, ſeù quando habuerint diuerſam vim illuminandi. Sed principia, quorum vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex alterutro, non habent diuersã vim illuminandi; benè autem, principia, quæ nec deriuantur ex aliis, neque ex alterutris; ergo, &c. Antecedens conſtat ex doctrina D. Thomæ, & conſequentia patet. Et minor probatur. Quia, vt rectè inquit D. Thomas, ſecunda principia ſortiuntur à primis virtutẽ inferendi, & illuminandi concluſiones; ergo quando vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex alterutro, omnia reducuntur in vnam radicem luminis, ac proinde pertinebũt ad eandem rationem ſcibilis, quando verò neque deriuantur ex alijs, neque ex alterutris, reducẽtur in virtutes illuminandi diuerſas, & conſequenter conſtituent diuer-

diuerſas rationes ſcibilis intra eãdem abſtractionem. Et poteſt hoc confirmari. Nam ſcientia diſtinguitur ab opinione propter ſolã diuerſitatem medij, ſeù principij, quo infertur concluſio, verbi gratia, intra eandem materiam Phyloſophiæ poteſt quis de vna concluſione habere ſciẽtiam, & alius de eadem poteſt habere opinionem, ſed nõ alia ratione, niſi quia vnus cognoſcit concluſionem per medium demonſtratiuũ, & alius per medium probabile, cum in vtroquè ſit eadem abſtractio; ergo diſtinctiuum ſcientiæ ab opinione prouenit ex diuerſitate medij ſeù principij, ſed idem eſt diſtinctiuum, & conſtitutiuum; ergo, &c.

839. Ad hoc argumentum reſpondeo ex dictis num. 740 vbi explicuimus mentem D. Thom. iuxta quam ad vnitatem tàm genericam, quàm ſpecificam vtrumque concurrit, & vnitas ſubiecti, & vnitas principiorum, & ita poſtquàm aſſignauit diſtincta genera ſcibilium penes diuerſos modos intellectualitatis, ſtatim ſubdidit etiam debere dari diſtincta principia, quæ concurrant ad talem diſtinctionem genericam; Et ſimiliter ad vnitatem ſpecificam docuit concurrere diuerſos modos intellectualitatis, & diuerſitatem principiorum. Quæ omnia veriſſima ſunt. & inter ſe rectè cohærent. At diſtinctio principiorũ ſumenda eſt ex diſtinctione intellectualitatis, nam illamet intellectualitas, ſeu immaterialitas, quæ eſt in obiecto, debet inueniri in principijs, & ſicut obiectum conſideratur in eſſe rei, & in ratione ſcibilis, ita principia poſſunt cõſiderari in eſſe rei, ſeù materialiter, & in ratione principij, ſeu luminis reſpectu talis obiecti, & ſic vt obiectum in ratione ſcibilis conſtituitur per immaterialitaté, ita principia in ratione luminis conſtituuntur per ſimilem immaterialitatem, & per hanc diſtinguentur inter ſe, & in ordine ad diuerſas ſcientias. Quapropter concedimus, vnitatem ſpecificam ſcientiarum ſumi ex principijs, ac iſta diſtinguuntur penes diuerſam immaterialitaté, ac proinde tota diſtinctio refundenda eſt in iſtam, per quam, & obiectum diſtinguitur, & etiam principia diſtinguuntur. Illa autem diſtinctio principiorum aſſignata in argumento prouenit ex diuerſo modo immaterialitatis, & ex illa diſtinctione ſequitur hæc, per quod patet ad authoritatem D. Thom. & ad rationem ibi poſitam. Circa quod nota cum Mag. Io. à Sancto Thoma quòd prædicta immaterialitas, quæ pertinet ad aliquam ſcientiam primò inuenitur in principiis, & ex iſtis applicatur ad concluſiones, eo quòd concluſio non aliter cognoſcitur niſi mediantibus principiis. Ad Confirmationem reſpondeo ſcientiam, & opinionem diſtingui penes diuerſa media, ſeù principia, quibus procedunt. Cæterùm huiuſmodi diuerſitas prouenit ex diuerſa immaterialitate, nam media illa diſtinguuntur penès neceſſarium, & contingens, ſiquidem medium demonſtrationis eſt neceſſarium, & immobile, medium autem opinionis eſt probabile, ſeù contingens, & poſſibile eſſe, & non eſſe, neceſſitas autẽ, ſeù immobilitas oritur ex propria immaterialitate, ſeù abſtractione à materia, vt ſupra dictum eſt nu. 741. ac proinde

Google

inde tota diſtinctio ſcientiæ, & opinionis oritur ex diuerſa immaterialitate. Alia argumenta omitto, quia ex dictis facilem ſolutionem habent.

§. 5.

Explicatur vnitas Phyloſophiæ.

840. VAriant authores, etiã Thomiſtæ, circa vnitatem Phyloſophiæ. Nam ferè omnes moderni aſſerunt habere vnitatem ſpecificam, quoad omnes ſuas partes. Ita Soto, Bañez; Arauio, Colleg. diſcalciatũ, Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma, & plures alij. Alij autem ex antiquis docent Phyloſophiam eſſe vnam genericè, & ſub ſe continere plures ſpecies, ita vt illa pars, quæ tractat de Cælo diſtinguatur ſpecie ab illa, quæ agit de ente generabili, & corruptibili. Ita Caietanus lib. 1. Poſt. cap. 22. & 22. q. 162. in introductione quæſtionis, & Soncinas lib. 6 Metaph. q. 8 Vtrã què autem exiſtimat probabilem Sanchez, licet magis inclinet in iſtam vltimam.

841. Hanc autem aſſerentem vnitatem genericã Phyloſophiæ, & diſtinctionem ſpecificã in ſuis partibus exiſtimo probabiliorẽ. Et moueor 1. authoritate D. Thomæ, qui lib. 1. Poſt. lect. 41. iam relata poſtquam diſtinguit triplex genus ſcibiliũ ſic ait. (Vnde aliud genus ſcibilium eſt corpus naturale, & corpus mathematicum, & vtrumque horũ generum diſtinguuntur in diuerſas ſpecies ſcibilium ſecundùm diuerſos modos, & rationes cognoſcibilitatis.) In quibus expreſſe ait quod corpus naturale eſt quoddam genus in linea ſcibilis, & quòd diuiditur in varias ſpecies ſcibilium; ſed corpus naturale, quod conſtituitur in ratione ſcibilis per abſtractionem à materia ſingulari, eſt obiectum ſpecificans Phyloſophiam: ergo hæc eſt vna genericè, ſicut ſuum obiectum, & ſub ſe habet varias ſpecies ſcientiæ, ſicut obiectum varias ſpecies ſcibilium.

842. Ad hanc authoritatem reſpondet Magiſt. Bañez quòd D. Thomas debet intelligi de corpore naturali, non ſolum prout conſideratur à Phyloſophia, ſed etiã pro eo, quod conſideratur à ſciẽtijs medijs, ſcilicet à Muſica, & Aſtrologia, quæ magis reducuntur ad Phyloſophiam, quam ad mathematicam, quia earum conſideratio terminatur ad materiã ſenſibilem. In contra opponit Sanchez lib. 1. q. 11. con. 2. Nam D. Thomas loquitur de corpore naturali, vt diſtinguitur contra corpus mathematicum, & hoc eſt ens mobile, quod includit in ſua diffinitione materiam ſẽſibilem, & ita cognoſcitur cum illa, quod non habet corpus mathematicũ, & aſſerit ſcibile mathematicum diuidi in diuerſas ſpecies ſcibilis, & ſimiliter ens mobile; ergo loquitur tantùm de corpore naturali, prout pertinet ad phyloſophiam, quæ agit de illo, vt eſt mobile. Opponit. 2. Nam iuxta mentem D. Thomæ illæ ſcientiæ mediæ magis dicendæ ſunt mathematicæ, quam Phyſicæ; ergo non magis debent poni ab ipſo ſpecies corporis naturalis, quam mathematici. Probatur antecedens. Nã D. Thomas Opuſc. 70. ſuper Boetium

Digitized by Google

tium q.5.art.5.ad 7.ſic ait(quædã ſunt ſcientiæ mediæ,quæ principia mathematicaad res naturales applicat,vt Muſica,& Aſtrologia, quę tamen ſunt magis affines mathematicis, quia in earum conſideratione,id, quod eſt Phyſici,eſt quaſi materiale: quod autem mathematici, quaſi formale; ſicut Muſica conſiderat ſonos, non in quantum ſunt ſoni, ſed in quantũ ſunt ſecundùm numeros proportionabiles;& ideo demõſtrat concluſiones ſuas circa res naturales: ſed per media mathematica.) Hæc D.Thomas. Ex quibus clarè conſtat quòd quando loquitur de corpore naturali, prout diſtinguitur à mathematico,non comprehendit ſub illo obiecta illarũ ſcientiarum, cum talia obiecta potiùs contineantur ſub corpore mathematico, vt conſtat ex ipſa doctrina D.Thomæ.

843. Item idem D. Thomas opuſc.70 q.5.ar.1.ĩ corpore poſt quam explicauit primum genus ſcibilium,eorum ſcilicet quæ abſtrahunt à materia ſingulari, & concernunt ſenſibilem. Quod in prędicta lectio.41.vocauit corpus naturale,ſubdit.(Et de his eſt phyſica,ſeu ſcientia naturalis,) ergo iuxta illius mentem quãdo aſtruit corpus naturale,vt quoddã genus ſcibile,loquitur de illo, prout eſt obiectum præciſè Phyſicæ, quæ etiam abſolutè dicitur ſciẽtia naturalis,ſicut, & eius obiectũ corpus naturale. Ex quo manet impugnata altera explicatio, quam affert Magiſt.Ioan.à Sancto Thoma dicens, quòd nomine Corporis naturalis accipitur id quod eſt commune ad corpus mobile, & corpus ſanabile, & in hac communitate diuiditur in ſcibile, qđ attingitur a phyloſophia, & ſcibile,quod attingitur à Medicina. Conſtat enim D.Thomam reſtrictè loqui de corpore naturali, prout correſpondet ſcientiæ naturali,& hæc eſt ſola phyſica,iuxta doctrinam D. Thomæ.

844. Probatur eadem ſentẽtia ratione à priori deſumpta ex doctrina à nobis tradita. Nam etiã ſi aliqua dno conueniant in eadẽ abſtractione, quatenus reſpicit terminum à quo,ideſt,materiam, quam derelinquunt, tamen ſi habeant diuersam immaterialitem in ſe,magiſquè participent de actualitate ex parte termini ad quem, poſſunt diſtingui ſpecificè in ratione ſcibilis; ſed ens mobile incorruptibile,& corruptibile,licet conueniant in eadem abſtractione à materia ſingulari, & hanc æqualiter vtrũquè nõ admittat, tamẽ alterũ in ſe habet maiorem actualitatẽ, & immaterialitatẽ,q̃ aliud; ergo diſtinguuntur ſpecie in ratione ſcibilis. Maior conſtat ex dictis ſupra.nu.745.& cõſtat in Mathematicis, quarum obiecta æqualiter excludũt materiã ſenſibilem,& quia ex parte ſua habent diſtinctam actualitatem, diſtinguuntur ſpecie in ratione ſcibilis. Et minor probatur. Nam corpus incorruptibile tantùm conſideratur, vt mobile ſecundùm locũ. & corpus corruptibile, vt mobile ſecundũ plures alios motus; ergo ex parte ſua accipitur, vt magis actnale,& immateriale;antecedẽs eſt certum. Et conſequentia probatur. Quia vbi minus eſt de mobilitate, minus eſt de materia, & magis de actualitate, & immaterialitate, ergo illud,quod conſideratur, vt mobile tantùm localiter,eſt magis actuale, & immateria.

Digitized by Google

teriale, quã illud, qđ cõſideratur, vt mobile alijs pluribus modis.

845. Si autem dicas cum Collegio diſcalciato diſp.19.q.5. nu. 72. quòd maior, vel minor abſtractio, ſeu immaterialitas non cauſat diuerſitatem in eſſe ſcibilis, niſi quando reſoluuntur in diuerſa prima principia, vt contingit in obiectis Geometriæ, & Arithmeticę; at in Phyloſophia ſunt eadem prima principia, nam per principia entis mobilis in communi procedit in omni ſui parte. In contra eſt. 1. Nam diſtinctio ſpecifica ſcientiarum ſumitur etiam ex diuerſitate abſtractionis, ita vt diuerſitas abſtractionis cõſtituat obiectum, & principia diſtincta: ergo non ſtat qđ ſit maior, vel minor abſtractio, & qđ principia nõ ſint diſtincta; abſtractio, enim, & inuenitur in obiecto, & primò in principijs, & conſequẽter ſi ſemel admittitur diſtinctio in abſtractione, non poteſt negari diſtinctio in ipſis principijs. Obſtat. 2. Nam licet Phyloſophia agat de ente mobili in communi, & eius explicet quidditatem, tamen quando deſcendit ad ſpeciales rationes entis mobilis, tractat de illis ſecundum ſuas rationes ſpeciales, & non ſolùm ſecundũ rationem communem entis mobilis, at ens mobile ſecundum ſuã communem rationem habet ſuã actualitatem, & immaterialitatem, & rurſus ens mobile incorruptibile maiorem immaterialitatem, quã corruptibile, & prout ſic attinguntur à diuerſis partibus Phyloſophiæ; ergo iſtæ oẽs diſtinguuntur ſpecie, propter diſtinctã abſtractionẽ repertã in obiectis, prout ab illis conſiderantur.

846. Contra hanc opinionem obijciunt aduerſarij. 1. Nam D. Thomas in proœmio Phyſicorum & librorum de Cælo, & de Generatione diſtinguit omnes iſtos tractatus, tanquàm partes vnius ſcientiæ naturalis, in quarum vna agitur de toto obiecto in communi, quod in alijs applicatur ad obiecta particularia; ſed hoc non ſufficit ad variandam ſpeciem ſcientiarum: ergo, &c. Probatur mi. quia aliàs in omni ſcientia quot ſunt tractatus de obiectis particularibus, tot multiplicandæ eſſent ſpecies ſcientiarum, & ſic eſſent plures ſpecies Metaphyſicę Theologię, & ſic de alij ſcientijs; quod non eſt dicendum; ergo illa diuerſitas non variat ſpeciem ſcientiæ. Obijciunt. 2. Nam tunc diuerſa abſtractio fundat diuersã ſpeciem, & modum illuminandi, quando oritur ex diuerſis principijs, cum ex principijs ſumatur illuminatio concluſionum, cum autem principia, quibus paſſiones probantur de ſubiecto, ſint diffinitiones, ideo ad diuerſum modum diffiniendi, riducitur diuerſa ſpecies ſciendi, & manifeſtandi diuerſas res ſcitas: ſed omnes diffinitiones quæ traduntur tàm in octo libris Phyſicorum, quàm in libris de generatione, & alijs procedunt ſub eadem abſtractione, & formalitate; ergo tota Phyloſophia eſt vna ſcientia. Maior ſupponitur. Et probat. minor. Nã omnia quæ diffininiuntur, ſunt ſecundùm habitudinem ad motum, & ſolùm eſt differentia, quòd in libris Phyſicorum diffiniuntur ea, quæ pertinent ad motum in communi, in alijs autem tractatibus ea, quæ pertinent ad ſpeciales rationes, & ſpecies motus; ergo omnes diffinitiones procedũt

ſub

Digitized by Google

ſub eadem abſtractione, & formalitate. Confirmatur hoc. Nam principia, quę traduntur in Phyſicis, ſeruiunt pro libris de Cælo, & Generatione, nec tamen iſti libri important aliquam ſcientiam ſubalternatam ad ſcientiam phyſicorum, vt de ſe conſtat; ergo ſi vtuntur principijs Phyſicæ in cõmuni, pertinent ad eandem ſcientiam; patet cõa. Quia eadem ſciẽtia, quæ agit de aliquo genere in communi, agit de ſpeciebus eſſentialibus eius, vt apparet in Metaphyſica; ergo ſi omnes tractatus Phyloſophiæ vtuntur principijs entis in communi, pertinent ad vnam, & eandem ſcientiam.

847. Ad 1. obiectum reſpondeo D. Thomam loqui de Phyloſophia ſicut de ſcientia, quæ eſt vna genericè, ſicut, & eius obiectum vnum genus ſcibile vocauit in verbis à nobis iam allegatis. Etenim quando ratio communis, & rationes ſpeciales illius attinguntur ſub eadem abſtractione, & immaterialitate, tunc non eſt ſufficiens ratio ad variãdas diuerſas ſcientias, & ideo eſt metaphyſica vna in ſpecie, quia de omnibus agit ſub eadem abſtractione, & licet ſub obiecto materiali illius ſint aliqua, quæ habẽt maiorẽ immaterialitatem, quam alia, tamen quia non agit de illis niſi ſub una, & æquali immaterialitate, ideo eſt vna ſpecificè. Et idem contingit in Theologia, & alijs ſcientijs. At quando ratio communis attingitur ſub propria immaterialitate, & rationes particulares attinguntur etiam ſub vniuſcuiuſque propria immaterialitate, tunc eſt ſufficiens ratio ad diſtinguendas varias ſpecies ſcientiæ, & hoc modo contingit in Phyloſophia. Nam in libris Phyſicorum agitur de ente mobili in communi ſub abſtractione à materia ſingulari, & in libris de Generatione agitur de ente mobili corruptibili, prout concernit materiam requiſitam ad omnes ſpecies motus, & in libris de Cælo agitur de ente mobili incorruptibili, prout concernit tantùm materiam ſenſibilem ſufficiẽtem ad motum localem, & conſequenter in his omnibus eſt diuerſa immaterialitas.

848. Ad 2. obiectionem reſpõdeo quod diuerſa abſtractio non ſumitur ex diuerſitate principiorum, ſed è contra. Nam illa dicũtur diuerſa principia, quæ gaudẽt diuerſa abſtractione, vt etiam fatetur idem Magiſt. Ioan. à Santo Thoma, cuius eſt hæc obiectio ſecunda: quocirca in diuerſis partibus Phyloſophiæ ſunt diuerſæ diffinitiones, & diuerſa pnincipia, quorum diuerſitas prouenit ex diuerſitate abſtractionis. Et quãuis omnes diffinitiones ſint per habitudinẽ ad motũ, tamẽ eſt magis, & minus in tali habitudine, qđ inuenitur in ipſis diffinitionibus, & ideo ſunt diuerſæ. Ad cõfirmationẽ reſpõdeo qđ vna quæque pars phyloſophiæ habet ſuas ſpeciales diffinitiones, q̃ ſũt ſpecialia principia, nec obſtat qđ aliquãdo vtatur vna principijs alterius, maximè illius, quæ attingit rationẽ cõmunẽ ſui obiecti, hoc enim nõ cõſtituit ſubalterationẽ, vt cõſtabit ex dicẽdis in Cõferẽtia ſequẽti. Et ſanè dictũ eſt iã quãdo eadẽ ſcientia quæ agit de ratione cõmuni, agat de ſuis particularibus, & quãdo nõ; hęc ſufficiãt ad ꝓbabilitatẽ huius ſententiæ; alia enim ſatis probabilis eſt.

Digitized by Google

CONFERENTIA 4.

Vtrum ſcientia ſubalternata ſit verè ſcientia in eo, qui non habet ſubalternãtem.

§. 1.

Explicatur in quo conſiſtat ſubalternatio ſcientiæ.

849. ALiqua breuiter dixi ſupra num. 234. explicãs diuiſionem ſcientiæ in ſubalternatam, & ſubalternantem, & aliqua addam hic, vt deueniamus ad difficultatem. Subalternatio enim cõſiſtit in dependentia vnius ſciẽtiæ ab altera, & ideo vna dicitur ſubalternata, id eſt, ſub altera poſita, quaſi ab illa depẽdens, & alia dicitur ſubalternans, id eſt ſub ſe habens alteram, quaſi ab ipſa dependentem. Quapropter vbicunquè reperitur aliqua depẽdentia vnius ſcientiæ ab alia, poteſt aſſignari aliquis modus ſubalternationis, licet nõ propriæ, vt ſtatim dicemus. Triplex igitur ſubalternationis modus communiter aſſignatur propter triplicem modum dependentiæ. Primus eſt ratione finis, quãdo, ſ. finis vnius ſciẽtiæ, ordinatur ad alium. Secundus ratione principiorum, quæ requirũtur in aliqua ſcientia, & hoc dupliciter, vel quia ſcientia accipit vnum vel alterum principium ab alia ſcientia, vel quia accipit omnia ſua principia. Tertius eſt ratione obiecti, eo quòd obiectum vnius ſcientiæ addat aliquid ſupra obiectũ alterius, & ſic ab iſto dependeat; & hoc etiã dupliciter poteſt accidere, vel quia addat aliquam differentiam eſſentialẽ ſupra obiectum alterius, vel quia addat aliquam differentiam accidentalem. Et ſanè his diuerſis modis dependentiæ, & ſubalternationis poſſunt ſcientiæ vocari aliquomodo ſubalternatæ.

850. Nihilominus iuxta communem ſententiam, illa dicitur propriè ſcientia ſubalternata, quę accipit ſua principia immediatè ab altera ſcientia, ita vt illius principia ſint concluſiones demõſtratæ in ſuperiori ſcientia, à qua accipiat manifeſtata, & hoc modo Muſica ſubalternatur Arithmeticæ, & Perſpectiua Geometriæ. Et in hoc modo dependentiæ fundatur propria, & eſſentialis ratio ſubalternationis, & inuenitur hic modus dependentiæ in tertio, iuxta quem obiectum vnius ſcientiæ addit differentiam accidentalem ſupra obiectum alterius, nam tũc ſcientia illa, cuius obiectum addit talem differẽtiã accipit ſua principia ab altera ſcientia. Et ideo Mag. Ioa. à Sancto Thoma 1. p. q. 1. diſp. 2. art. 5. §. (Oppoſitam) docuit quòd eſſentialis ratio ſubalternationis cõſiſtit in eo quòd principia vnius ſcientiæ non poſſunt eſſe immediatè, & per ſe nota, ſed manifeſtantur per lumen ſuperioris ſcientiæ, & refert D. Thomam in 1. ad Annibaldũ diſt. 1. q. 1. ar. 1. & addit, alias cõditiones appoſitas pro ſubalternatione ex parte ſubiecti eſſe acciden-

tales

tales ad veram rationem ſubalternationis, quæ ſine illis reperiri poteſt.

851. Quibus ſuppoſitis eſt preſens difficultas, an ſcientia ſubalternata, quæ inuenitur in illo, qui non habet ſubalternantem, & cōſequenter non cognoſcit euidenter ſua principia, ſit verè, & propriè ſcientia, v.g. Muſica accipit ſua principia ab Arithmetica, & ſine iſta inueniri poteſt, & de facto inuenitur, rogamus an illa ſit verè, & propriè ſcientia. Pro parte negatiua referuntur à Collegio diſcalciato diſp 19.q.3. Soncinas lib.4. Metaph. q.9. Suarez diſp.1. ſect.5. Vazquez, Valētia, Raphael de Auerſa, & alij Moderni. Partē affirmatiuam defendunt cōmuniter Thomiſtæ, quos refert, & ſequitur prædictum Collegium, & Mag. Ioa. à Sancto Thoma q.26. art.3.

§. 2

Reſoluitur difficultas.

852. PRo reſolutione veritatis ſit concluſio ſcientia ſubalternata eſt verè ſcientia in eo, qui non habet ſubalternantem, licet non habeat ſtatum perfectum ſcientiæ. Hæc concluſio, quo ad vtramquè partem defenditur cōiter à Thomiſtis, & docetur à D.Thom. pluribus in locis, videatur q. 14. de veritate art. 9. ad 3. cuius verba refert collegium diſ.d.19. logi, q.3. num.27. Et quoad 1. partem etiam docetur expreſsè 1.p.q.1.ar.2. Opuſ. 70.q. 2.ar.2 ad 5.6.& 7.& in 1. ad Annibaldum diſt.1.q.1.ar.1. ex quibus locis deducitur ratio à priori pro prima parte concluſionis. Nam diſcurſus factus ab illo, qui habet ſcientiam ſubalternatam ſine ſubalternante habet quidquid requiritur, vt ſit ſcientificus eſſentialiter: ergo ſcientia illa verè eſt ſcientia. Pr. añs. Nam circa rationem eſſentialem ſcientiæ, eſt duplex opinio, altera docens ſufficere certitudinem principiorum, ex quibus certò inferatur concluſio, etiam ſi non ſit euidentia principiorum, altera aſſerens requiri euidentiam, licet non actualem, virtualem tamen, & petitam ex vi ipſius ſcientiæ, de quo videatur Mag. Gonzalez 1.p.q 1. diſp.1 nu. 17. 18 19. Tunc iuxta primam opinionem ſic pr. añs. Nam ille eſt diſcurſus verè ſcientificus, qui procedit ex principijs certò cognitis ad inferendam concluſionem per euidentem cōam, nam certitudo illa principiorū influit certitudinē in concluſionem, quæ eſt aſſēſus certus deductus ex principijs certis. Sed qui habet ſcientiam ſubalternatam ſine ſubalternante cognoſcit certò principia, & ex illis per euidentem cōām infert ſuas concluſiones; ergo talis diſcurſus eſt verè ſcientificus. Maior ſupponitur. Et minor Pr. & quidem cōam, & bonitatem illius cognoſci euidenter ſupponitur. Qđ autem principia certè cognoſcātur, probatur 1. ex D. Tho. qui loco citato ad Annibaldū in corpore articuli ſic ait (Dicendū quòd ad rationem ſcientiæ duo requiruntur, vnum ex parte concluſionū, ſcilicet quod ex aliquibus principijs neceſſariò deducantur, aliud ex parte principiorum, ſcilicet quod ſint certa). Ecce quomodo ex parte principiorum ſolum exigit certitudinē, &

expli-

explicans diuerſitatem certitudinis proſequitur.(Quarundam.n. ſcientiarum principia ſunt ſimpliciter per ſe nota, &c. Quarumdam verò ſcientiarum principia ſunt certa, quaſi in alia ſcientia ſuperiori certificata, ſicut principia Perſpectiuę in Geometria; Vnde perſpectiuus certus eſt de ſuis principijs per viam credulitatis credens, & ſupponens ea à Geometria) ergo iuxta mentem D. Thomæ per viam credulitatis datur certitudo principiorum in eo, qui non habet ſubalternantem nam credulitas non habet locum in eo qui illam habet, ſiquidem de illis habet euidentiam, quæ certitudo principiorum per viam credulitatis ſufficiens eſt ad rationē ſcientiæ iuxta expreſſam doctrinam D. Thomæ.

853. Pr. 2. idem aňs ſuppoſita eadem opinione. Nam ille qui habet ſolam ſcientiam ſubalternatam certò cognoſcit illa principia, quibus vtitur, demonſtrari ab altera ſcientia ſubalternante, & in illa contineri, vt concluſiones demonſtratas, & prout ſic illas accipit, quæ certitudo ex multis capitibus colligitur ab habēte ſcientiam ſubalternātem, tum quia illi conſtat qđ omnes Doctores illius ſciētię coueniunt in prædictis principijs, & tanquam certa inueniūtur in eorum libris, tum quia videt prædictos Doctores, vt ſcientificos admitti, & eorum libros, vt continentes doctrinam certā, & demonſtratam ab illis ſcientijs, ab omnibus haberi; quæ omnia reddunt talia principia illi certa, licet non conſtet ſibi de demonſtratione facta in ſuperiori ſcientia, de quo videatur Colleg. diſcalc. dicta diſp. 19. q. 3. num. 28. & Mag. Ioa. à S. Thoma 1. p. q. 1. diſp 1. art. 5. ad vltimum circa 1. punctum; ergo habet ille certitudinē principiorum: Etenim aliquando accipimus aliqua per fidem aliorum, de quibus omninò certi ſumus, verbi gratia, Romam eſſé, vel eſſe Indos, ac proinde etiam ſi per viam credulitatis accipiantur talia principia, poſſunt tamen certò cognoſci.

854. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Nam ille aſſenſus eſt verè ſcientificus, qui deductus eſt ex principijs certò cognitis, etiam ſi non adſit euidentia, per hoc enim quod ſit certus innitens principijs certò cognitis, & ex iſtis deductus, diſtinguitur ab omni alia ſpecie, vt conſtabit diſcurrenti, & vt notat Mag. Ioa: à ſancto Thoma proximè citatus art. 4. §. (fundamentum). Phyloſophus ſolam certitudinem poſtulauit in diffinitione ſcientiæ, nempe (ſcire eſt cognoſcere cauſam, ob quam res eſt, illius cauſam eſſe, & fieri non poteſt aliter ſe rē habere) totum autem hoc reperitur in aſſenſu facto ab illo, qui habet ſolam ſcientiam ſubalternatam vt conſtat ex dictis; ergo ille eſt verè ſcientificus, & habitus per illum productus erit verè ſcientia.

855. Deinde probatur illud aňs ſupponendo aliam opinionē. Nam ad rationem ſcientiæ non deſideratur euidētia actualis principiorum, ita, vt qui habet talem ſcientiam euidenter cognoſcat talia principia, ſed ſufficit, quòd talia principia ex ſe ſint euidentia in ſuperiori ſcientia, & quòd inferior petat ex ſe coniungi, & inueniri cum illa, vt ab illa accipiat euidentiam principiorum; ſed

ſed hoc inuenitur in ſcientia ſub alternata; ergo eſt verè, & propriè ſcientia. Maior videtur certa. Nā ex eo quòd petat euidentiam principiorum, ex quibus debet procedere, diſtinguitur ſufficienter ab omni alio habitu, qui non eſt ſcientia. Et minor probatur. Nam principia ſubalternatæ ſunt euidenter nota, & vt talia attinguntur à ſubalternante, & ex propria ratione formali ſubalternatæ exigitur procedere ex illis, vt contentis in ſubalternante, & propterea dicitur ſubalternata, quaſi inferior, & dependens ab altera, vt ſua principia illi communicicet, & illi manifeſtet; ergo totum illud reperitur in ſubalternata, & ſic ſua principia euidentia ſunt ſubalternanti, & cum iſta petit coniungi, & tunc habebit euidentiam ſuorum principiorū non facta ab ipſa ſubalternata, ſed à ſubalternante, & ideo dicitur euidentia ſuppoſita reſpectu ſubalternatæ.

856. Secunda pars concluſionis, nempè, qđ non habeat perfectionem, & ſtatum ſciētię, cōſtat. Nam quamdiù eſt ſeparata à ſubalternante non habet euidentiā actualem principiorum, quā accipit quando cum illa coniungitur, & talis actualis euidentia conſtituit ſtatum perfectum ſcientiæ. Tunc enim intellectus ex vi ſubalternantis habet euidentiā actualē principiorum, & ex vi ſubalternatæ euidentiam actualem concluſionum, & ſic ſubalternata ex cōiunctione cum ſubalternante accipit ſtatum perfectum ſcientiæ, ad modum, quo dicitur à Theologis qđ virtutes ſine Charitate habēt eſsētiā virtutis, nā ſtatū accipiunt ex charitate, q̄ reſpicit finē.

§. 4.

Proponuntur argumenta, & ſoluuntur.

857. ARguitur. 1. ad probandum, non dari ſcientiam ſubalternatam, quæ ſit verè ſcientia. Nam obiectum formale ſubalternatæ, vt aſtruitur à nobis, eſt ens per accidens; ſed de hoc non datur ſcientia, vt docet Ariſt. lib. 6. Metaph. c. 2. & ibidem D. Thom. lect. 2. ergo ſcientia ſubalternata non eſt verè ſcientia. Probatur maior. Nam vna ex conditionibus obiecti ſubalternatæ eſt quòd addat differentiam accidentalem ſupra obiectum ſubalternantis, & ſic linea viſualis eſt obiectum Perſpectiuæ, quia viſualitas, quæ eſt accidens lineæ, additur illi, quæ eſt obiectum Geometriæ; & idem eſt de numero ſonoro, ſed ex ſubiecto, & accidenti fit vnum per accidens: ergo obiectum ſubalternatæ eſt ens per accidens. Nec valet ſi dicas eſſe ens per accidens in eſſe entis, non autem in eſſe ſcibilis. Non inquam valet 1. Nam mens Ariſtotelis, & D. Thomæ eſt quòd id eſt incapax terminandi ſcientiam (in quo conſiſtit ratio ſcibilis) qđ in ſe eſt ens per accidens, quod pertinet ad eſſe entis: ergo talis diſtinctio non eſt ad rem. Non valet. 2. Nam ratio ſcibilis addit ſupra rationem entis, ſupra quam fundatur, quòd habeat eſſentiam, & paſſiones demonſtrabiles de illo, at ens per accidens in eſſe entis, non poteſt habere eſſentiam, & paſſiones ſpeciales demonſtrabiles de ipſo; ergo impli-

implicat quod ſit per accidens in eſſe entis, & vnum per ſe in eſſe ſcibilis.

858. Ad hoc argumentum relictis alijs ſolutionibus, quas impugnant Collegium diſcalciatum diſp.19. logicæ q.2. à num. 17. & Mag. Ioa. à Sancto Thoma q. 26. art. 2. reſpondeo iuxta doctrinam horum quòd ſi obiectum ſubalternatæ, verbi gratia, numerus ſonorus, qui eſt obiectum Muſicæ, accipiatur prout dicit in recto vtrumquè ſcilicet numerũ, & ſonoritatem, hoc modo eſt ens per accidens, & prout ſic non eſt ſcibile, nec conſideratur à Muſica, quia ex illo ſic accepto non dimanant propriæ paſſiones, nec habet veram eſſentiam. Cæterum ſi accipiatur, prout dicit in recto ſonoritatem, prout repertam in numeris, ita vt numerus ſe habeat de connotato, tunc eſt ens per se, & ſufficiens ad terminandã ſcientiam, eo quod ad ſonorum repertum in numeris ſequuntur ſpeciales paſſiones, & ſimiliter ad Viſuale inuentum in linea, ac proinde obiectum Perſpectiuæ eſt linea viſualis, prout in recto dicit viſuale, & in obliquo, & de connotato, lineam. Videatur Collegium diſcalc. ibidem à num. 19. vſque ad 23.

859. Arguitur 2. contra principalem reſolutionem. Nam ille dicitur aſſenſus verè ſcientificus, qui eſt certus, & euidens, deductus ex principijs certò, & euidenter notis. Sed aſſenſus ille elicitus ab habente ſolam ſcientiam ſubalternatam, non eſt talis; ergo non eſt verè ſcientificus. Maior conſtat ex ipſa diffinitione ſcientiæ à nobis ſupra tradita num. 223. & traditur à D. Thom. tùm q. 14. de veritate art. 9. vbi ſic ait. (Quæcumquè ſciũtur propriè accepta ſcĩetia, cognoſcuntur per reſolutionem in prima principia, quę per ſe, pręſtò ſunt intellectui, & ſic omnis ſcientia in viſione rei perficitur). Tùm in 3. ſtiſt. 33. q. 1. art. 2. qla 4. ait. (Si eſſet aliqua ſcientia, quæ non poſſet reduci ad principia naturaliter cognita, non eſſet eiuſdem ſpeciei cum alijs ſciẽtijs, neq; vniuocè ſcientia diceretur). At principia nota naturaliter, ſunt certò, & euidenter nota, & cõnter ad aſſenſum ſcientificum requiritur cognitio certa, & euidens illorum. Minor autem probatur. Nam qui non habet ſcientiam ſubalternantẽ, accipit principia iſtius per fidem aliorũ, creditquè Magiſtris talia principia tradentibus, & illa in ſe non videt, cum illorum viſio, & certa cognitio pertineat ad ſcientiam ſuperiorem, quam in illo non eſſe ſupponimus; ergo aſſenſus elicitus ab illo qui non habet ſcientiã ſubalternantem non eſt verè ſciẽtificus.

860. Ad hoc argumentum cõſtat ex dictis probando noſtram concluſionem, ſi n. de ratione eſſentiali ſcientiæ eſt ſola certitudo, diximus iam quomodo talia principia certo cognoſcantur, & quãuis per fidem humanam accipiantur, tamen cognoſcitur certò illa principia contineri in ſcientia ſuperiori, & hęc certitudo eſt ſufficiens in principijs, vt ex ipſis poſſit deduci aſſenſus, qui ſit ſcientificus. Eo vel maximè, quia nõ requiritur æqualis certitudo in omnibus ſciẽtijs, ſed maior, aut perfectior iuxta maiorem perfectionem ſcientię, & cum ſubalternata ſit inferior, ſufficit illi certitudo

do illa à nobis aſſignata. Deinde ſi de ratione eſſentiali ſcientiæ eſt euidentia, intelligitur non de euidentia actuali, ſed de virtuali, quæ etiam inuenitur tunc; nam, vt dicebamus, ſubalternata ex vi ſuæ propriæ ſpecificæ rationis, quam accipit ex ſuo obiecto petit coniungi cum ſubalternante, à qua accipiat euidentiam, & claritatem ſuorum principiorum; & hoc ſufficit ad ſaluandam veram rationem scientiæ, quàmuis non habeat ſtatum, & perfectionem illius, quouſque coniūgatur cum ſubalternante, & actualem euidētiam ſuorum principiornm habeat. Et per hęc patet ad alia argumenta faciliora.

CONFERENTIA 5.

Vtrum Scientia, & Opinio de eadem veritate poſſint eſſe ſimul in eodem intellectu.

§ I

Explicatur difficultas, & referuntur ſententiæ.

861. EXplicui breuiter ſupra num. 243. in quo differant ſcientia, opinio, & fides, & modò moueo celebrem difficultatem circa compoſſibilitatem ſciētiæ, & opinionis reſpectu eiuſdē intellectus, ex cuius reſolutione conſtabit quidditas vtriuſquè, & ſuppono 1. ex communi doctrina quòd triplex combinatio fieri poteſt, prima inter actum ſcientię, & actum opinionis; ſecunda inter habitus ipſos, tertia inter habitum vnius, & actum alterius. Et de omnibus aliqua dicēda sūt. Suppono 2. certum eſſe compati ſcientiam, & opinionem in omni cōbinatione ſi ſit circa diuerſam veritatē.l. diuerſi intellectus: etenim habere ſcientiā de vna veritate, & opinionem de alia, & ſimiliter vnū habere ſciētiā de vna veritate, de qua alius habet opinionē, ita de facto contingere nullus negabit.

Circa primam cōbinationem eſt prima ſententia aſſerens compati vtrumquè actum ſcientiæ, & opinionis. Ita aliqui Nominales, quos ſequuntur aliqui Moderni relati à Colleg. diſcal. diſp. 20. logicæ q. 4. n. 32. & Mag. Cabero, vt refert Mag Ioa. à Sācto Tho. q. 26. art. 5. Secunda ſentētia docet nullatenus poſſe compati, et hæc eſt cōis Thomiſtarū. Tertia diſtinguit inter actū opinionis, qui habet ſecū adiūctā actualē formidinem, et hunc dicit non compati cum actu ſcientiæ, et actum opinionis qui ſimilē actualē formidinē, vel hęſitationē non habet, et hunc docet compati cum actu ſcientiæ, Pro qua ſententia referuntur Conimbricenſes lib. 1. Poſt. cap. 16 q. 2 ar. 2. Circa ſecundam combinationē eſt prima ſententia aſſerens habitus ipſos inter ſe cōpati, pro qua referuntur Durandus, Salas, Valentia, Rubio. Hurtado, et alij Moderni, qui omnes conſequenter docent poſſe compati iuxta tertiam combinationem, habitū vnius cum actu alterius. Secunda ſententia docet ipſos habitus non

compati, ita defendunt plures Thomiſtæ, quos refert, & ſequitur Collegium diſcalc & Mag. Ioa. à Sancto Thoma. De tertia autem combinatione eſt aliqua diuerſitas adhuc inter Thomiſtas, de qua dicemus poſtea.

§. 2

Reſoluitur difficultas de cõpoſsibilitate actus vtriuſquè.

862. PRo reſolutione veritatis ſit 1. cõcluſio. Actus ſcientiæ non non compatitur cũ actu opinionis de eadem veritate, & in odem intellectu. Hæc cõcluſio expreſsè traditur à D. Thoma plurib. in locis relatis hic à Collegio diſcal. & à Magiſtro Ioa. à Sancto Thoma. Docuit enim eam lib. 1. Poſt. lect. 44. ibi ait (Manifeſtum eſt quod non contingit idẽ ſimul ſciri, & opinari quia ſimul homo haberet exiſtimationẽ qđ poſſet aliter ſe habere, & quòd nõ poſſet aliter ſe habere). Idem docuit q. 14. de veritate art. 9. & 2. 2. q. 1. art. 5. ad 4. cuius verba videantur in dictis authoribus nã vterquè eadem teſtimonia refert, & communiter referuntur à Thomiſtis. Hanc concluſionem diuerſimodè probant Thomiſtę, & nos aliquando illam probabamus ex ratione communi contrarietatis, quæ incõpoſſibilitatem dicit reſpectu eiuſdem ſubiecti; relictis tamen varijs rationibus, deducenda eſt ratio à priori ex doctrina D. Thomæ, & ſic formatur. Nam quando duæ formę ſecum afferũt effectus formales incompoſibiles reſpectu eiuſdem ſubiecti, non ſe cõpatiuntur in illo; ſed actus ſciẽtiæ, & actus opinionis ſunt formæ intellectus, & afferunt effectus formales Incõpoſibiles reſpectu eiuſdem; ergo non ſe cõpatiuntur in eodem intellectu. Maior ſupponitur. Et minor, in qua eſt difficultas, probatur. Nam actus ſcientificus reddit intellectũ certum, & firmum, & clarè vidẽtem, & conuictum circa ſuum obiectũ, & exiſtimantem non poſſe aliter ſe habere, vt docuit D. Thomas; & actus opinionis reddit intellectum incertum, & cum formidine alterius partis, & obſcurè attingentem veritatem, & exiſtimantem rem poſſe aliter ſe habere, in quo conſiſtit formido opinionis; ſed eſſe certum, & incertum, firmum, & cum formidine, attingẽtem clarè, & obſcurè, exiſtimare poſſe aliter rem ſe habere, & non poſſe aliter ſe habere, ſunt effectus omninò incompoſſibiles reſpecta eiuſdem intellectus; ergo tales effectus afferunt actus ſcientię, & actus opinionis.

863. Huius rationis diuerſæ ſolent adduci ſolutiones, ex quarum impugnatione magis firma manebit noſtra ratio. Prima ſolutio eſt nullum eſſe inconueniens prædictos effectus formales ſimul reperiri in eodem intellectu, ſi prædicti actus innitantur diuerſis medijs, nam ex vno medio prouenire poteſt certitudo, & euidentia, & ex alio poteſt oriri incertitudo, & obſcuritas, & cum ſcientiæ actus, & actus opinionis innitantur diuerſis medijs, hinc eſt prædictos effectus formales non eſſe incompoſibiles, ſiquidem ex diuerſis capitibus proueniunt. Incontra

Digitized by Google

contra eſt primò. Nam quando effectus formales inter ſe dicunt oppoſitionem, ſunt imcōpoſſibiles ſiuè proueniant ex vno capite, ſiue ex diuerſis: at prædicti effectus formales à nobis enumerati inter ſe dicunt oppoſitionem; etenim certum,& incertum,clarum, & obſcurū ſine dubio inter ſe dicunt oppoſitionem; ergo etiam ſi proueniant ex diuerſis medijs, non compatiuntur in eodem ſubiecto. Maior probatur pluribus exemplis. Nam quia lux,& tenebræ inter ſe dicunt oppoſitionē, etiam ſi ex diuerſis cauſis procedant,non tamen compatiuntur in eodem ſubiecto. Item ſcientia, & error procedunt per diuerſa media, & nihilominus reſpectu eiuſdem veritatis non compatiuntur in eodem intellectu circa cādem veritatem, quod etiam probant innumera alia exempla; ergo ſi effectus formales ſunt inter ſe oppoſiti, non compatiuntur in eodem ſubiecto etiā ſi ex diuerſis medijs procedant.

864. Confirmatur,& explicatur hæc obiectio. Nam media illa diſtincta ſi ſint reſpectu eiuſdem intellectus in ordine ad eandem veritatem obiectiuā, inter ſe habent oppoſitionem in ordine ad mouendum intellectum, vt præbeat aſſenſum eidem veritati; ergo diuerſitas mediorum non tollit oppoſitionem, & incompatibilitatem actuum, ſed potius ex illis deſumitur. Probatur antecedens. Nam medium demonſtratiuum, vt tale conſideratum, eſt in ſe omninò certū influens in intellectu certitudinem, & euidentiam, ita vt ratione illius conuincatur, medium autem opinatiuū, vt tale,eſt incertum, & infirmum influens incertitudinem, & obſcuritatem,ita vt ex vi illius intellectus non maneat conuictus, ſed potiùs formidans de tali veritate; ſed influere certitudinem, euidētiam, & conuincere intellectum, & influere incertitudinem, formidinem,& obſcuritatem, & non conuincere intellectum inter ſe dicunt oppoſitionē reſpectu eiuſdem intellectus; ergo media ipſa, vt talia, opponuntur, & conſequenter non poſſunt ſimul influere effectus ita oppoſitos in eodem intellectu. Itaquè ex ipſis medijs, nempè demonſtratiuo,& opinatiuo,ſi ſint reſpectu eiuſdem veritatis, & ex vniuſcuiuſquè modo mouendi, & influendi oritur oppoſitio,& incompoſſibilitas actus ſcientiæ, & opinionis. Illa enim ſimul mouere non poſſunt ad cādem veritatem, & ideo non poſſunt dari ſimul prædicti duo actus ſcientiæ,& opinionis. Et illa ſimul mouere non poſſunt, nam vnumquodque cauſat ſuum effectum oppoſitum,& incompatibilem cum alio in eodem ſubiecto, vt dictum eſt, & magis conſtabit ex dicendis, in quibus explicabitur quis modos oppoſitionis ſit iſte.

865. Secunda ſolutio noſtræ rationis colligitur ex Patre Hurtado qui docet diſp.10. de Anima ſection. 5. quòd ſcientia nō compatitur cum opinione,quæ ſecum affert formidinem actualem, & hoc probat noſtra ratio, compatitur tamen cum opinione, quæ non affert ſecum talem actualem formidinem,hanc enim eſſe ſeparabilem ab opinione ſupponit. In contra eſt. Nam licet formido illa actualis, quæ conſiſtit in actu quodam reflexo, quo intellectus

Google

iudicat ſuam opinionē poſſe eſſe falſam, aut aliquomodo formidat de ſua veritate, poſſit ſeparari ab opinione, & de facto ſeparetur, cū multoties eliciamus actus opinatiuos, & ſimilem actum reflexum non habeamus: tamen eſt altera formido, quæ intrinſeca eſt ipſi opinioni, & ab illa inſeparabilis, ratione cuius opponitur ſcientiæ, & cū iſta eſt incompoſſibilis in eodē intellectu; ergo prædicta ſolutio inſufficiēs eſt. Prob. antecedens ex doctrina Mag. Soto quā adduximus ſupra nu. 243. & traditur ab ipſo lib. 1. Poſt. q. 8. ferè in fine. Vbi poſt quā propoſuit dubium, in quo cōſiſtat formido intrinſeca opinioni, docet qđ formido non pōt meliùs explicari, quàm ſi dicas qđ eſt priuatio certitudinis. Vnde hoc eſt aſſentiri vni parti cum formidine alterius, qđ eſt intellectum non ita eſſe determinatum ad hāc partem, quin fluctuet quoddāmodo circa aliā. Quibus verbis elegātiſſimè explicuit quidditatem formidinis, quæ intrinſeca eſt opinioni. Ex cuius doctrina ſic probatur āns. Nam intellectus ex vi actus opinatatiui innitentis medio opinatiuo redditur incertus de veritate, & non omninò determinatus, actus enim opinatiuus caret certitudine, & huiuſmodi carentiam, ſeu priuationem communicat intellectui, & ſimiliter medium opinatiuum, vt tale, caret certitudine, & in hac carentia certitudinis cōſiſtit formido intrinſeca opinionis, quæ ab alijs dicitur formido radicalis, eò qđ ex iſta originatur alia actualis, quæ conſiſtit in illo actu reflexo, ſed talis carentia, ſeu priuatio certitudinis intrinſeca eſt, & inſeparabilis ab opinione; & aliàs opponitur certitudini ſcientiæ; ergo datur formido intrinſeca opinioni, & ab iſta inſeparabilis, ratione cuius opinio opponatur ſcientiæ, & cum iſta ſit incompatibilis: non enim compatiuntur in eodem ſubiecto de eadem veritate omnimoda certitudo, & carentia, ſeu priuatio certitudinis, in quo ſita eſt ratio formidinis intrinſecæ opinioni.

866. Secunda concluſio Habitus ipſi ſcientię, & opinionis non compatiuntur in eodem intellectu circa eandem veritatem. Hæc concluſio recipitur communiter à Thomiſtis. Et probatur 1. authoritate D. Thom. nam vt notat Collegium diſcalc. diſp. 20. q. 4. nu. 40. in locis citatis pro prima concluſione loquitur non ſolùm de actibus, ſed etiam de habitibus, & in lib. 1. Poſt. lect. 44. explicans doctrinam ariſtotelis ait. (Comparat ſcientiam ad alios habitus cognoſcitiuos, qui ſunt ſemper verorum), & ibidem docuit incompatibilitatem ſciētiæ, & opinionis; ergo intelligendus eſt non ſolum de actibus, ſed præcipuè de habitibus. Pr. 2. rōe. Nam actus ipſi ſcientiæ, & opinionis inter ſe ita opponuntur vt reſpectu eiuſdem ſubiecti in ordine ad eandem veritatem, non compatiātur propter effectus oppoſitos, & incompatibiles, quos inſeparabiliter afferunt reſpectu eiuſdem ſubiecti; ergo idem dicendum eſt de habitibus, ſeruatā proportione. Antecedens ſupponitur ex dictis, con. 1. Et cōa prob. Nā illamet oppoſitio, quæ actualiter, & in exercitio reperitur in actibus, præhaberi debet in ipſis habitibus. Iſti. n. ad illos per ſe ordinātur, & ab illis ſpecificantur

cantur

Digitized by Google

cantur, & tam actus, quàm habitus ſpecificantur ex modo tendẽdi circa ſua obiecta; ergo illa oppoſitio quę reperitur in ipſis actibus, etiam debet poni in habitibus. Quo circa, ſicut actus afferũt effectus oppoſitos, ita, & habitus, & ſicut per actum ſcientiæ redditur intellectus certus, clarè attingens obiectum, & conuincitur de veritate illius, ita per habitum redditur habitualiter certus, & inclinatus ad videndum clarè, & ſe conuincendum de veritate, & cum proportione idem dicendum eſt de habitu opinionis, ac proinde vterque habitus afferunt effectus oppoſitos, & incõpatibiles reſpectu eiuſdem ſubiecti.

867. Tertia concluſio. Actus ſcientiæ ex natura rei compatitur cũ habitu opinionis, & actus opinionis cum habitu ſcientiæ, per accidens tamen vnus expellit alium. Hæc concluſio quoad 1. partem, probatur Nam actus non opponitur formaliter, & immediatè habitui, nã immediata, formalis, & directa oppoſitio eſt actus cum actu, & habitus cum habitu, vt docuit D. Thomas 2. 2. q. 24. artic. 12. habitus enim dicit actum primum, ſeu inclinationem ad ſuum actum, & ita debet opponi alteri actui primo, ſeu inclinationi ad alterum actum, actus autem dicit actualem tendentiam; ſed ea, quę non opponuntur immediatè, formaliter, & directè, compatiuntur ex natura rei in eodem ſubiecto; ergo actus ſcientiæ ex natura rei compatitur cum habitu opinionis, & è contra. Et ita de facto cõtigit in D. Paulo in quo manſit fides habitualis, & actualis Dei clara viſio in raptu, de quo dicemus poſtea, ita ſimiliter dicẽdũ eſt in noſtro caſu, cũ vtriuſq; ſit eadem ratio. Secunda pars cõcluſionis probatur. Nam actus generat habitum, & actus perfectus generat habitum perfectum, quo expellitur habitus imperfectus, v. g. actus ſcientiæ generat habitum ſcientiæ, qui propter ſuam perfectionem expellit habitum opinionis: ergo per accidens vnus actus opponitur habitui, iſtumq; expellit. Opponi enim, & expellere per accidens, prout ad præſens, eſt opponi, ſeu expellere ratione alterius, ſeu per alterum à ſe productum, & cum vnus actus producat habitum, qui opponitur alter, illum què expellit; ideo dicitur actus opponi, ſeu expellere per accidẽs, ideſt, per aliud.

§. 3.

Reſoluitur quid dicendum de compoſibilitate in ordine ad potentiã Dei abſolutam.

868. QVamuis in præſẽti ſolum agant communiter authores de compoſſibilitate ſcientiæ, & opinionis, attentis earum

earum naturis; tamen placuit aliqua dicere, attenta Dei potentia abſoluta, vt magis explicetur quidditas ſcientiæ, & opinionis. Et quidem loquendo de ipſis actibus eſt communis ſententia Thomiſtarum aſſerens non poſſe compati, etiam inſpecta potentia Dei abſoluta. Et probatur. Nam in tantùm actus ſunt incompoſibiles, in quantum afferunt ſecum effectus omninò incompoſibiles, ſed iſti effectus ſunt huiuſmodi, etiam de potentia Dei abſoluta: ergo eadem inſpecta actus ipſi nō compatiuntur. Mi prob. Nam illi effectus inter ſe opponuntur priuatiuè, & contradictoriè. Nam certitudo priuatiuè opponitur carentiæ certitudinis, in quo conſiſtit formido, Item euidens, & obſcurum opponuntur penes videre, & non videre, & tandem cōuinci, & non conuinci opponuntur contradictoriè, ſed effectus tributus à ſcientia eſt certitudo, euidentia, & cōuictio intellectus, & effectus procedens ab opinione eſt carentia certitudinis, obſcuritas, & non conuictio, ita vt hi effectus inſeparabiles ſint ab ipſis actibus; ergo tales effectus ſunt incompoſibiles etiam in ordine ad potentiam abſolutā, cum priuatiuè oppoſita, & contradictoria non poſſint eſſe ſimul, eadem potentia abſoluta inſpecta.

869. Maior difficultas videtur eſſe de habitibus, qui ſolùm videtur opponi contrariè, & contraria ſimul ponere in eodem ſubiecto nulla ſit implicatio. Nihilominus eodem modo diſcurrendū eſt de ipſis habitibus. Et probatur ratione adducta ex Magiſt. Araujo in Metaph. tom. 2. lib. 10. q. 1. art. 3. vbi poſt quam in illius reſolutione docuit quòd ſola oppoſitio contraria non affert incompoſſibilitatem ſaltim de potentia Dei abſoluta, addit quòd ſi inueniatur priuatiua oppoſitio ſimul cum contraria, infertur neceſſariò incompoſibilitas etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutā, & ponit exemplum in actibus fidei, ſcientiæ, & opinionis. Et loquens de habitibus ſic ait nu. 16. qua de cauſa puto habitus ipſos ſcientię, fidei, & opinionis de eadem veritate non poſſe compati. Et ratio eſt. Quia ſicut ſunt habituales quædam inclinationes ad aſſenſus oppoſitos priuatiuè, ita etiam ipſam priuationem inuoluunt. Ex qua ſic formatur ratio pro noſtra concluſione. Nam oppoſitio reperta in ipſis actibus præhabetur in habitibus, ſed in actibus non eſt ſola oppoſitio cōtraria, ſed priuatiua, & contradictoria ratione effectuū, quos cauſant in ſubiecto: ergo inter habitus illis correſpondentes non eſt ſola contraria oppoſitio, ſed etiā priuatiua, & contradictoria, & idcirco erunt incompoſibiles etiā in ordine ad potentiam abſolutā. Ex qua doctrina conſtat quomodo quantum ad compoſibilitatē ſit eadem ratio actuum, & habituum, quamuis Mag. Araujo 2. 2. art. 5. dub. 3. immemor doctrinæ à ſe traditæ in loco allegato ex Metaphyſica intendat tradere differentiam inter habitus, & actus, docens oppoſitionem priuatiuā ſolum exerceri in actibus, & non in habitibus, & propterea doceat oppoſitam ſententiam nempè habitus compati de potentia Dei abſoluta.

Pro-

§. 4.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

870. Contra 1. concluſionẽ arguitur. 1. quibuſdã teſtimonijs D. Thom. & primum eſt illud celebre ex 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. vbi ſi ait. (Opinio ex ſyllogiſmo dialectico cauſata eſt via ad ſcientiam, quæ per demonſtrationem acquiritur; qua tamen acquiſita poteſt remanere cognitio, quæ eſt per ſyllogiſmum dialecticum, quaſi conſequens ſcientiam demonſtratiuam, quæ eſt per cauſam, quia ille, qui cognoſcit cauſam, ex hoc etiam magis poteſt cognoſcere ſigna probabilia, ex quibus procedit dialecticus ſyllogiſmus). In quibus verbis maniſeſtè aſſerit D. Thom. cum ſciẽtia de eodem obiecto compati opinionem.

871. Reſpondet 1. Magiſt. Ioa. à ſancto notando cum Caietano D. Thom. ex induſtria mutaſſe verba, dum primo loco nominat opinionem illam, quæ cauſatur ex ſyllogiſmo dialectico, & deinde quando loquitur de permanẽtia illius cum ſcientia vocat illã cognitionem per medium probabile. Nam opinio non eſt idem qđ cognitio per medium probabile quomodocunquè acceptum, ſed vt exercitè eſt ratio, & motiuum aſſentiendi cum formidine alterius partis, & hoc modo non manet cum ſcientia. Sed præcisè vt dicit cognitionem medij probabilis, quantùm ad vim probabilitatis circa talem veritatem, quòd fit per actum reflexum, & conſequutum ad ſcientiam, & prout ſic non eſt opinio. Itaque mens D. Thomę eſt qđ ille qui habet ſcientiam poteſt per actum reflexum iudicare medium probabile habere connexionem probabilem cum tali veritate, qđ iudicium directè fertur circa ipſam probabilitatẽ, & tale iudicium conſequitur ſciẽtiam, non autem poteſt vti in exercitio tali medio, vt ex vi illius in exercitio aſſentiatur tali veritati, in quo conſiſtit formalitas opinionis.

872. Hæc autem ſolutio, & explicatio impugnatur. Nam ad intentum illius articuli neceſſum eſt verificari qđ ſimul cum ſcientia compatiatur altera cognitio, quæ in exercitio vtatur medio probabili ad attingendam veritatem. Et ratio eſt, quia D. Thomas ad verificandum quod in Chriſto ſint duæ ſcientiæ altera Beata, & altera infuſa de eiſdem rebus, ita vt iſta aliam ſequatur; & ab illa confirmetur, adducit illud exemplum de cognitione per medium probabile, quæ remanet cum ſciẽtia, quaſi conſequens ipſam ſcientiam, ſed in Chriſto domino ſimul fuerunt ſcientia Beata, & ſcientia infuſa, ita vt vtraque in exercitio vteretur ſuo proprio medio, cui innitebatur ad cogoſcenda eadem obiecta; ergo, vt exemplum eſſet ad intentum, debet intelligi D. Thomas, ita quod ſimul cum ſcientia maneat aliqua cognitio vtens in exercitio illo medio probabili, & cum iſtæ duæ cognitiones ita ſe habeant, vt vna ſit diſpoſitio ad alteram, vt D. Thom. docuit, optimè intelligetur quomodo antecedat, & ſequatur, & cõter quomodo ſcientia

tia infuſa in Chriſto ſit ſimul cũ Beata.

873. Secundò dicunt alij quòd D. Thom. ſolùm intendit docere quod adueniente ſcientia, manet cognitio cauſata per ſyllogiſmũ dialecticum, non ſub formalitate opinionis, vt præſupponebatur ad ſcientiam vt diſpoſitio ad illam, nam hoc modo non compatitur cum ſcientia, maẽt tamen ſub ratione cognitionis per mediũ probabile: ita vt illa prima cognitio opinatiua, quæ anteceſſit vt diſpoſitio, amittatur, & ſubſequatur alia perfectior elicita ab ipſa ſciẽtia, quæ cognitio dicitur probabilis, & non pertingens ad perfectionem ſcientiæ. Ita explicant Thomiſtæ communiter præfatũ teſtimonium, vt videre eſt in Collegio diſcal. vbi ſupra relato, & in alijs Thomiſtis, cui explicationi libenter adhæreo, vt cõformiori menti, & intento D. Thomæ in illo articulo.

874. Secundum teſtimonium D. Thomæ deſumitur ex 1.2.q.67. art. 3. in corpore vbi expreſſe docet qđ cognitio per medium probabile, & per medium demonſtratiuum differunt ſecundum perfectum, & imperfectũ ex parte medij, & deindè ſubdit (Similiter etiam impoſſibile eſt qđ cognitio perfecta, & imperfecta ex parte medij, conueniant in vno medio; ſed nihil prohibet quin conueniant in vno obiecto, & in vno ſubiecto; poteſt.n.vnus homo cognoſcere eãdem cõcluſionem per medium probabile, & demõſtratiuum.) Ecce quomodo de eadẽ concluſione poteſt intellectus habere cognitionem per mediũ probabile, quæ ẽ cognitio opinatiua, & demonſtrationẽ per mediũ demonſtratiuum. Reſpõdet M. Ioã à S. Thom. ſicut. & ad præcedens teſtimonium, D. Thom. loqui de cognitione illa reflexa, qua cognoſcitur probabilitas medij, non autem de alia qua in exercitio vtatur tali medio. At D. Tho. docet in eodem ſubiecto, & reſpectu eiuſdem obiecti poſſe inueniri illas duas cognitiones, non alia rõe, niſi quia ſolum differunt penes perfectum, & imperfectum ex parte medij, & non ex parte ſubiecti, vel obiecti, & cõnter loquitur de ipſis cognitionibus, prout in exercitio vtũtur illis diuerſis medijs. Quapropter aliter dicendum eſt, & eſt valde notandum qđ D. Tho. aliter loquitur de cognitione per medium probabile, & de opinione, nam de illa docuit dicere imperfectionẽ ex parte medij, & de iſta aſſeruit dicere imperfectionem ex parte ſubiecti; & ideo dicendum eſt quòd cognitio per medium probabile poteſt cõpati, & de facto compatitur cum ſcientia, non autem opinio. Sed inquires in quo differat opinio à cognitione per medium probabile? Reſpondeo ex D. Thoma opinionem ſecum afferre imperfectionem ex parte ſubiecti repugnantem cum ſcientia; cognitio autem per medium probabile ſolùm dicit imperfectionem ex parte medij, nec communicatur ſubiecto, eo quod eſt incapax illius, cum aliàs perfectè attingat illud obiectum per aliud medium demonſtratiuum. Alia teſtimonia ſolent adduci quæ ex dictis facilem ſolutionem habent, ſi attendatur, quòd non eſt idẽ, in modo loquendi D. Thomæ, opinio, & cognitio per medium probabile.

875 Ar-

875. Arguitur 2. contra 1. con. Nam falſum eſt dicere quòd actus ſcientiæ, & opinionis afferant effectus incompoſſibiles in eodem ſubiecto; ergo fundamentum cõcluſionis eſt nullum. Probatur antecedens Nam effectus ſcientię eſt reddere intellectum certum, & euidentem attingẽtem obiectum ex ui medij demõſtratiui: & effectus opinionis eſt reddere intellectum incertum, & obſcurè attingentem idem obiectum ex vi alterius medij, nempè, opinatiui, ſeu probabilis; ſed prædicti effectus conſiderantur, & proueniunt ex diuerſis cauſis; ergo non ſunt incompoſibiles in eodem ſubiecto; patet hæc conſequentia, quia incompoſibilitas oritur ex oppoſitione, & oppoſitio non inuenitur niſi ſit reſpectu eiuſdẽ ſubiecti ſub eadem formalitate; ergo ſi tales diuerſi effectus proueniunt ex diuerſis medijs, ſeù cauſis, non dicunt oppoſitionem, & cõſequenter nec incompoſibilitatem. Confirmatur hoc. Nam oppoſitio illa quæ eſt inter actum ſcientiæ, & opinionis, vel eſt priuatiua, & cõtradictoria, vel tantùm contraria; Hoc ſecundum non ſufficit, nam actus contrarij circa idem obiectum poſſunt repiriri in eadẽ potentia. v. g. in voluntate poſſunt eſſe motus gaudij, & triſtitiæ circa idem obiectum, & ita contigit in Chriſto D. reſpectu ſuę paſſionis; ergo non ſufficit oppoſitio contraria, vt ſimul nõ poſſint eſſe illi duo actus. Primum autẽ, nempè quod ſit oppoſitio priuatiua, aut contradictoria, non poteſt dici. Nam actus ipſi ſunt formæ poſitiuæ, & inferunt in intellectu effectus poſitiuos. Certitudo enim, & incertitudo, euidentia, & obſcuritas ſunt effectus poſitiui; ex quibus alij conſequuntur; ergo talis oppoſitio non eſt priuatiua, aut contradictoria, cũ hæc verſetur inter eſſe, & non eſſe, & non inter extrema poſitiua.

876. Ad hoc argumentum reſpondeo negando añs. Ad cuius probationem reſpondeo ex dictis probando conc. 1. quòd ſi effectus inter ſe afferunt oppoſitionem, & incompoſibilitatem, parum intereſt quòd proueniant ex diuerſis cauſis: nam, vt notat optime Mag. Ioa. à S. Thoma, ſemper huiuſmodi effectus oppoſiti, & incompoſibiles proueniunt ex diuerſis cauſis, & tamen non ſemper compatiuntur in eodem ſubiecto. Eſt igitur attendendum ad naturam ipſorum effectuum, quòd ſi ex ſe dicunt oppoſitionẽ reſpectu ſubiecti, non compatientur ſimul. Præterquàm quòd, vt dicebamus, etiam ipſa media, quæ actus ipſi reſpiciunt, dicunt inter ſe oppoſitionem in ordine ad mouendum ſimul eundem intellectum, vt eidem veritati aſſentiatur, ac proinde oppoſitio actuum ex oppoſitione mediorũ deſcendit.

877. Ad confirmationem dico .1. quòd adhuc dato oppoſitionem illam actuum eſſe purè contrariam, optimè infertur illos nõ poſſe compati ſaltim ex natura rei, & attenta lege ordinaria, iuxta quam contraria ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt, quidquid ſit in ordine ad potentiam abſolutam. Nec obſtat exemplum de actibus voluntatis, nam ſi ſunt contrarij, nullatenus compatiuntur reſpectu eiuſdem obiecti, & ita gaudium, & triſtitia in Chriſto D. diuerſa obiecta reſpicie-

Ddd bant.

bant. Nam Chriſtus reſpiciens ſuam paſſionem, vt bonum commune, gaudebat; & illam conſiderans, vt malum naturæ, triſtabatur, ac proinde licet gaudium, & triſtitia tendant in idem obiectū materiale, quod eſt mors, tamen obiectum formale gaudij eſt bonitas, & formale obiectum triſtitię eſt malitia. In noſtro autem caſu ſupponimus eſſe eandem veritatem obiectiuam, quæ debet attingi per vtrumquè actum ſciētiæ, & opinionis, & ideo ſimul attingi non valet. Secundò reſpondeo prædictos actus inferre ex parte ſubiecti effectus contradictoriè, & priuatiuè oppoſitos, ſeu, vt meliùs, et clariùs dicam, tales actus exigere neceſſariò ex parte ſubiecti contradictoriam, et priuatiuam oppoſitionem, et ideo docuit D. Thomas 1.2.q.67. ar.3. quòd ſcientia, et opinio differunt ſecundùm perfectum, et imperfectum. Et eſt ſenſus quòd ſcientia conſtituit ſubiectum perfectum, ideſt, perfectè attingens obiectum. Opinio autem, cum ſit imperfecta cognitio, exigit ſubiectum eſſe imperfectum, et carens prędicta perfectione, et ita requirunt effectus contradictoriè, et priuatiuè oppoſitos in ſubiecto, nempe eſſe perfectum, et non eſſe perfectum, ideſt, clarè, et non clarè, certò, et non certò attingere obiectum, cumquè prædicti effectus in eodem ſubiecto reſpectu eiuſdem veritatis ſint, eſt contradictoria oppoſitio, et priuatiua, ideoq; non compatiuntur. Itaque actus ipſi ſunt formæ poſitiuæ, compatitur autem ipſos exigere in ſubiecto priuatiuam oppoſitionem, et propter hanc non cōpatiuntur, non ſolùm ex natura rei, ſed etiam de potentia Dei abſoluta. Quando vero imperfectio, vel perfectio actuum attenditur ſolùm ex parte medij, vt dicebamus de ſciētia, et cognitione per medium probabile, tunc oppoſitio non eſt reſpectu ſubiecti, ſed medij, et ita non procedunt per idem medium, quia reſpectu illius eſt oppoſitio, poſſunt tamē reperiri in eodem ſubiecto per diuerſa media, quia oppoſitio non eſt reſpectu ſubiecti. Itaque concludo incompoſſibilitatem actuū attēdi reſpectu illius, ad quod comparantur vt perfectum, et imperfectum, et ex illo oritur oppoſitio, quapropter ſi comparantur, vt perfectum, et imperfectum reſpectu eiuſdem obiecti vel medij, non compatiuntur in ordine ad idem obiectum, vel medium, et eodem pacto ſi ſe habent, vt perfectum, et imperfectum reſpectu ſubiecti, non compatiūtur in eodem ſubiecto, et hæc eſt expreſſa mens D. Thomæ loco allegato ex 1.2. in quo fundatur totus diſcurſus huius conferentiæ.

878. Tertiò principaliter arguitur. Nam actus ſcientiæ, et fidei ita opponuntur, imo magis, quàm actus ſcientiæ, et opinionis; ſed actus ſcientię, et fidei cōpatiuntur in phyloſopho fideli circa hanc veritatem, (Deus eſt.) quam demonſtratiuè cognoſcit; et ſimul credit per fidem; ergo poſſunt compati actus ſcientiæ, e opinionis circa idem obiectum. Maior ſupponitur, et minor probatur, et quidem Phyloſophum attingere demōſtratiuè illam veritatem, vt certum ſupponimus; quod autem ſimul credat illam per fidem diuinam, probatur. 1. ex illo Pauli ad Hæbreos. 11.

(Opor-

(Oportet credere accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.) Vbi exiſtentia Dei aſtruitur, vt veritas ab omnibus fidelibus neceſſariò credenda, à qua obligatione Phyloſophi excuſari non debent.

879. Si autem dicas quòd D. Paulus debet intelligi de exiſtentia Dei, vt eſt author, & finis ſupernaturalis, quam fide diuina omnes tenentur credere, non autem de exiſtentia Dei, vt eſt author, & finis naturalis, quam non eſt neceſſarium omnibus credere. In contra obijcit Pater Suarez diſp. 3. de fide ſect. 9. Primò ex ipſis verbis Pauli; Nam Deum eſſe non ſignificat eſſe ſupernaturaliter, aut habere alia ſupernaturalia attributa, ſed ſignificat ſimpliciter ſubſtantiam Dei exiſtere, & ita intelligunt prædicta verba cõmuniter Patres, Chriſoſt. Theodoretus, Athanaſius, & alij Græci. Et ſanè quod oporteat aliquid ſupernaturale credere explicuit Paulus in verbis ſequentibus addens. (Et inquerentibus ſe remunerator ſit,) nam hæc remuneratio ſupernaturalis eſt, & de illa loquitur ſæpè Paulus in illo capite cum dicit Patres antiquos per fidem aſpexiſſe in remunerationem, & ita intelligunt D. Anſelmus, & D. Thomas ergo prædicta explicatio admittenda non eſt.

880. Secundò obijcit P. Hurtado, diſp. 30. de fide, ſect. 2. ſubſect. 2. §. 22. ex dicta explicatione ſequi intentum argumenti. Nam iuxta illam Phyloſophus fidelis per demonſtrationem cognoſcit exiſtentiam Dei ſecũdùm ſe, ideſt, exiſtentiam à ſeipſa ſine dependẽtia ab alio; & ſimul per fidem cognoſcit eandem exiſtentiam Dei vt eſt author, & finis ſupernaturalis, & credit illam eſſe à ſe, ſine dependentia ab alio; ergo demonſtratio, & fides circa idem obiectum verſantur. Patet conſequentia. Nam eadem eſt exiſtentia Dei authoris, & finis naturalis, ac ipſius authoris, & finis ſupernaturalis; & licet per fidem cognoſcatur cum connotatione ad effectus ſupernaturales, & per demonſtrationem cum connotatione ad effectus naturales tamen hæc diuerſa connotatio non tollit quominus eadem ſit exiſtentia ſecundùm ſe, quæ attingitur in vtroquè caſu; ergo ex tali explicatione ſequitur intentum argumenti.

881. Probatur. 2. illa minor principalis argumenti. Nam ſi Phyloſophus fidelis non crederet fide diuina talem veritatem, eſſet peioris conditionis quàm fidelis ruſticus; ſed hoc dicendum non eſt, cum honeſtum, & laudabile ſtudium ſcientiarum, quo medio fidelis aſſequitur ſcientiam illius veritatis non vergat in detrimentum illius; ergo dicendum eſt ipſum attingere prædictam veritatem per fidem diuinam. Probatur maior; tùm quia non habet meritum fidei, ſicut habet ruſticus in actu fidei circa talem veritatem. Tum quia non ita certò attingeret illam veritatem ſicvt ruſticus nam iſte illam attingit per actum fidei diuinæ, ille autem per actum ſcientiæ naturalis, certitudo autẽ illa hanc excedit, vt ſuppono, ergo eſſet peioris conditionis. Nec ſufficit recurrere ad certitudinem habitualem prouenientem ex habitu fidei, qui manet in Phyloſopho, licet non eliciat actum. Non, inquam, ſufficit. Nam illa

habituali certitudine admiſſa, ad huc Philoſophus exceditur in cer titudine actuali proueniente ex actu fidei elicito à ruſtico, quem non valet elicere Philoſophus, ac proinde ex hac parte relinquitur peioris conditionis tàm in certitudine, quàm in merito. Si autem dicas actum illum ſcientificum ex vi demonſtrationis elicitum participare certitudinem ſupernaturalem fidei ex eo quod eſt elicitus à phyloſopho habente fidem. In contra eſt. Nam in tali Philoſopho inuenitur habitus fidei ita impeditus vt non poſſit prorumpere in actum circa talem veritatem, vt modò ſuppono, ergo non poteſt communicare aliquam certitudinem actui illi ſcientifico: ſiquidem prędicta cõmunicatio debet fieri mediante aliquo actu ſecundo, qui in præſenti non aſſignabitur in fide, ſed ſolus habitus, ipſe nullatenus operans perſeuerat; ergo talis participatio certitudinis abſque fundamento ponitur.

882. Ad hoc argumentum, quòd tangit difficultatem Theologicã, breuiter reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad primam probationem optima eſt explicatio teſtimonij D. Pauli, quam docuit D. Thomas explicans prædictum caput 11. ad Hæbreos lect. 2. & q. 14. de veritate art. 9. vbi propoſuit octauum argumentum ſic. (Deum eſſe vnum ponitur inter credibilia, ſed hoc demonſtratiuè probatur à Phyloſophis; ergo de eodẽ pôt eſſe fides, & ſcientia) Ecce argumentum, in cuius ſolutione inſiſtimus. Cui reſpondet ſic D Tho. (Dicendum quòd Deum eſſe vnũ prout demõſtratũ, non dicitur articulus fidei, ſed præſupoſitũ ad articulos, &c. ſed vnitas diuinæ eſſentiæ talis, qualis ponitur à fidelibus cũ omnipotentia, & omniũ prouidẽtia, & alijs huiſmodi, quæ probari nõ poſſunt, articulum cõſtituit.) Ecce ſolutionẽ noſtram. Ad 1. huius impugnationem dico quòd quãuis verba illa videantur abſolutè ſignificare exiſtentiam Dei, tamẽ explicari debent iuxta ſubiectam materiam, & ſic ſunt intelligendi Patres, quando loquuntur de fide circa Dei exiſtentiam. Et non ſolùm explicuit D. Paulus aliquid ſupernaturale de Deo credendum dicens quòd ſit remunerator, ſed etiam dicens ipſum eſſe, & idcirco D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 7, in illis verbis diſtinxit duo prima principia fidei, in quibus continentur implicitè omnia myſteria ſupernaturalia fidei. Ad 2. impugnationẽ reſpondeo eſſe duas veritates valde diuerſas, quòd Deus, vt author, & finis naturalis exiſtat, & quod ipſe, vt finis, & author ſupernaturalis exiſtat, & quãuis idem Deus ſit finis naturalis, & ſupernaturalis, tamẽ diſtinguũtur ratione ratiocinata cum fundamento in re illæ duæ rationes ex parte ipſius Dei, & ſimiliter ex parte illius exiſtentiæ, & hoc ſufficit, vt ſint diuerſæ veritates, ac proinde poſſit vna attingi demõſtratiuè, & altera per fidem diuerſa autem connotatio infert prædictam diſtinctionem, & conſequenter infert diſtinctam veritatem.

883. Ad 2. probationem reſpondeo negando maiorem. Et ad 1. probationem reſpõdeo Phyloſophum conſequi meritum fidei, etiam ſi non eliciat actum fidei circa illam veritatem, ex eo quòd

Digitized by Google

quòd habeat animi præparationem ad illam credendam, ſi poſſet. Ita docet D. Thomas. 2.2.q.2. art. 10. ad. 1. Ad. 2. probationem aliqui dicunt Phyloſophum aliquo modo excedere ruſticum ex eo quòd ſimul cum habituali certitudine fidei, habet certitudinē, & euidentiam illius veritatis, licet excedatur à ruſtico quantùm ad illam actualem certitudinem fidei, in quo nullum reputant inconueniens, nec ex hoc ſequitur ſtudium vergere in detrimentum, cum ex illo conſequantur prædictam euidentiam, quam non habet ruſticus. Quæ ſolutio probabilis eſt Nihilominus reſpondeo ſolutione ibidem data, quam optimè defendit Mag. Ioa. à Sancto Thoma. q. 26 logicæ artic. 5. ad. 2. ad cuius intelligētiam nota quod fides influit certitudinem in illū actum ſcientificum non per actū aliquem credēdi, ſed medijs alijs actibus, qui non ſunt actus eliciti ab illa, ſed ſunt effectus illius. Nā fidelis habet duo iudicia, quæ dicūtur effectus fidei, alterum, quo iudicat omnem veritatem pertinentem ad fidem, certiſſimam eſſe, & maximè excedere in certitudine omnem aliam veritatem naturalem: alterum iudicium eſt, quo iudicat hāc veritatem, Deus eſt, contineri ſub veritatibus pertinentibus ad fidem. Igitur fidelis habēs hæc duo iudicia firmiùs adhæret illi veritati, quàm ſi illa non haberet, & ideo quando elicit actum demonſtratiuum, talis actus participat certitudinem illam repræſentatam in illis duobus iudicijs, & cum certitudo illa pertineat ad fidem, conſequens eſt vt habeat certitudinem fidei. Qui modus accipiendi certitudinem explicatur ex doctrina Diui Thomæ 1. p. q. 106. art. 1. vbi tractat modum quo angeli inferiores perficiuntur in ſui cognitione à ſuperioribus, hoc enim non aliter fit niſi mediante propoſitione & repræſentatione obiecti illuminati, & ſic contingit in noſtro caſu. Contra iſtum modum explicandi hanc certitudinem aliqua obijciuntur præcipuè à Patre Suarez, quę, quia non ſunt huius loci, omitto, & quia ex dictis facilem ſolutionem habent. Conſtat ergo ad impugnationem ſupra poſitā, per quem actum fides influat certitudinem

884. Quartò principaliter arguitur contra con. 2. Nam inter ipſos habitus ſcientiæ, & opinionis nō eſt oppoſitio aliqua, ratione cuius ſint in compoſſibiles in eodem ſubiecto, maximè in ordine ad potentiam Dei abſolutam ergo, &c. Probatur antecedens. Nam oppoſitio, quę poterat eſſe, eſt ratione euidentiæ, & obſcuritatis, certitudinis, & formidinis; ſed hæc oppoſitio non exercetur in habitibus; ſed in actibus, nam quādiù habitus ſcientię non exit in actum, non facit certitudinem & euidentiam de ſuo obiecto, & quādiù opinio non exit in actum, non cauſat obſcuritatem, & formidinem; ergo in ipſis habitibus nulla exercetur oppoſitio, quæ impediat illorum compoſſibilitatem in eodem ſubiecto; maximè in ordine ad potentiam Dei abſolutam. Nec valet ſi dicas ſufficere quòd ipſi habitus ordinentur per ſe ad actus, inter quos exercetur talis oppoſitio, vt etiam inter ſe opponantur. Non, inquā, valet. Nam ſi inter ipſos habitus non exercetur talis oppoſitio, nihil

hil intereſt, quòd inter actus exerceatur; incompoſſibilitas enim eſt inter illa extrema, inter quę exercetur oppoſitio. Et ſane non videtur inconueniens quòd idem intellectus ſit proximè inclinatus ad actum ſcientificum, & proximè inclinatus ad actum opinatiuum, ſiquidem actus primus ad duos actus ſecundos oppoſitos eliciendos, vel recipiendos non ſimul, ſed pro diuerſis temporibus, multoties inuenitur; ergo oppoſitio ipſa actuum infert tãtùm in compoſſibilitatem ipſorum, & non habituum, qui ſe habent per modum inclinationis, & actus primi.

885. Confirmatur hoc. Nam ita de facto contingit in raptu D. Pauli, in quo dum clarè vidit diuinam eſſentiam, non amiſit habitum fidei, vt expreſsè docet D. Thomas 2.2. q. 175. art. 3. ad 3. & tamen habuit lumen gloriæ habituale, quod eſt principium illius viſionis clarę; ergo ſimul erat D. Paulus inclinatus ad actũ obſcurum eliciendum per fidem, & ad actum clarum, quem actũ eliciebat per lumen gloriæ; ergo in noſtro caſu potiori iure poteſt intellectus habere illas duas inclinationes, ſeu duos actus primos, qui minus opponuntur, quã lumen gloriæ, & habitus fidei. Si autem dicas actum illum viſionis claræ fuiſſe elicitum ſine habitu, eo quòd non habuit ſtatum permanentiæ, fuiſſe autem elicitum mediante auxilio, ideſt, qualitate tranſeunte ſupplente vicem habitus. In contra eſt. Nam D. Thomas dicta q 175. art ad. 3. expreſsè ait. (Quòd diuina eſſentia videri non poteſt niſi per lumen gloriæ ab intellectu creato,) Et licet ſtatim ſubdat. (Quod tamen dupliciter poteſt participari vno modo p modum formę immanentis, & ſic Beatos facit Sãctos in Patria; alio modo per modum cuiuſdam formæ tranſeuntis, & hoc modo lumen illud fuit in Paulo,) tamen abſolutè docet lumen gloriæ habituale fuiſſe illi in raptu cõmunicatum, licet non per modum formæ permanentis, ſed tranſeũtis; qui diuerſus modus communicationis non tollit ipſam ſubſtantiam luminis: ergo falſum eſt dicere ibi nõ fuiſſe lumen gloriæ, ſed auxilium aliquod gèrens vicem habitus.

886. Ad hoc argumentum, quo conuincitur Mag. Araujo, vt affirmet habitus ſcientiæ, & fidei poſſe compati de potentia abſoluta, reſpondeo ex ipſius doctrina, quam alibi tradidit quòd etiã inter ipſos habitus ſciẽtiæ, & opinionis exercetur propria oppoſitio in ſuo ordine ſimilis oppoſitioni, quæ exercetur inter ipſos actus. Nam habitus ſcientię conſtituit ſubiectum perfectum habitualiter, & habitus opinionis requirit ſubiectum carere tali perfectione, vt ipſum poſſit conſtituere imperfectum habitualiter; quapropter differunt ex parte ſubiecti penes perfectum, & imperfectum habitualiter, ſicut, & ipſi actus penes perfectum, & imperfectum actualiter ex parte ſubiecti, & ſicut propter hanc rationem actus ſunt incompoſibiles, etiam de potentia Dei abſoluta, vt dicebamus, ita etiam habitus ſunt incompoſibiles, eadem potentia abſoluta inſpecta. Et ad vltimum ibi additum reſpondeo ex dictis quod ſi actus primi diſtinguantur penes perfectum, & im-

imperfectum ex parte ſubiecti, non compatiuntur in eodem, ſecus autem ſi non ſic diſtinguantur.

887. Ad confirmationem reſpondeo quòd lumen gloriæ fuit cõmunicatum D. Paulo per modum formæ tranſeuntis, & prout ſic non habet ſtatum perfectum habitus, ideoque non expellit oppoſitum; oppoſitio enim nõ exercetur niſi quando vterque habitus habet ſtatum perfectum, & ideo non fuit expulſus habitus fidei. At, quia lumen illud fuit communicatum cum illo modo, qui proprius eſt auxilij, ideo vocatur ab aliquibus auxilium, non tamen quia ſit aliud principium alterius ſpeciei à lumine gloriæ. De quo videatur Mag. Ioa. à Sancto Thoma 1.p.q.12.diſp.14.art.5.ad.3.& ita licet in logica neget habitum, & ponat auxilium loco habitus. ſic intelligendus eſt.

Et hæc dicta ſufficiant de hac conferentia, & pro toto hoc opere, & omnia cedant in laudem omnipotentis Dei, & eiuſdem sãctiſſimæ Matris, Patriarchæ noſtri Dominici, & Doctoris Angelici D. Thomæ Aquinatis.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA.

N. Significat numerum marginalem. P. principium vel circa principium. M. medium. F. finem eiuſdem numeri.

N.49.F.malè.Lege malæ.n.64.F.tali, quę reſpectu cæli.Lege taliq;aſpectu Cęli. n.84.p.Contra l.Circa.ibidem.M.determinatiuum l. denominatiuum.n.86.F.homo currit.l.homo:currit.N.113.F.animalia.l.animal N.184.p.fine.l.ſiuè N.356.poteſtudare,l.g.poteſt dare,n.432.fatero,l.fateor. N.574.F.ſiuè attributionis.deleantur hæc duo verba.N.316.p.non fit à Logica ſcientia. dele illud.non.

Pagina.112.nu.223.l.n.323.pagina 113.num.234.l.324. pagina.114.num.235. l.325.& ſic vſq;ad num.341.cætera, quę non corrumpunt ſenſum, relinquuntur iudicio Lectoris,

Vbi in numeris marginalibus, non inuenitur doctrina illa, quam citat Auctor, præfatis numeris ſuperaddantur alij nonaginta, & doctrina citata inuenietur.

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google